

12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100

h

Ms. 131 175
MONS

THABOR

SIVE

Solitudo Exercitiorum Spiritualium, in
qua PHILOTHEUS, & MONOPHILUS, Duce &
Comite THEOPHOBEO per triplicem
viam,

PURGATIVAM, ILLUMINATIVAM
ET UNITIVAM.

B/40.
Quasi tria Tabernacula

MOYSIS, ELIÆ,

ET

JESU CHRISTI,

Decem Dierum spatio digressus transfiguratur in
splendorem vitæ perfectioris.

LIBER OMNIBUS RELIGIONUM

Vota, maximè verò S. P. BENEDICTI Regulam
Professis: Nec non Sacerdotibus singulariter
accommodatus & utilis,

Revisus & Auctus ab Authore ipso paulò
ante mortem,

A. R. P. ANSELMO BISLING.

Ordinis S. Benedicti, SS. Theol. Doctore, Not.

Apost. & Exempti Cœnobii B. V. MARIE Einsidensis

Professo.

Pro Convitu Cum facultate Superiorum. *Casim. brod.*

Comparatus Viennæ, Leopoli Fl. 6.

Impensis GEORGI LEHMANNI. An. 1726.

MONS
THABOR

SIVE
Solutio Exercitiorum spiritualium
per P. Thomam de Monasterio Ducis &
Theophrasti patrum

PURGATIVAM, ILLUMINATIVAM
ET UNITIVAM

MOYSIS, ELIE,
ET
JESU CHRISTI

in eodem diebus scriptis transmissam in
litteris per nos perceptoris
HABER OMNIBUS RELIGIONUM

in eodem diebus scriptis transmissam in
litteris per nos perceptoris
Protasius Neveus & alii in
Reverendissimo & Reverendissimo

R. P. ANSELMO BILING
Ordinis S. Benedicti, SS. Theol. Doctor, Prae-
sidi & Rectori Collegii S. Augustini

Cum facultate per litteras
Venerabilis Patris
Georgii BRUNNII

100



FACULTAS
ILLVSTRISSIMI ET REVE-
RENDISSIMI DOMINI,
DOMINI
ABBATIS.

AUGUSTINUS
DEI ET APOST. SEDIS

Gratiâ Abbas Monasterii Einsidlen-
sis & S R, I. Princeps.

C*um Liber, cui Titulus est MONS
THABOR &c. à Reverendo,
& dilecto nostro P. Anselmo Bis-
lino n. m. quondam compositus, ad plu-
leinde instantiam revisus & au-
sus, per duos Theologos, quibus id mu-
nus commissimus, fuerit recognitus,
& approbatus: idcirco tenore presen-
tium Facultatem concedimus, eundem
typis mandandi.*

Dat. in Monasterio nostro Einsidlensi

Die 1. mensis Januarii, 1682.

AUGUSTINUS ABBAS.

) (2

APPRO-

APPROBATIO.

A Ptè huic libello nomen Mons
Thabor præfigitur. Conscende
eundem anima devota, & cor
tuum ab omni inordinata cura, &
affectu abstrahere: sede tantisper so-
litaria & tace, & leva te super te,
& acclamabis cum Apostolo Bo-
num est, nos hic esse; ubi se tibi
Christus transfigurabit, teque in se
per amorem transformabit, ut ve-
modicè nunc prælibando, sentias
quantum gloriæ pondus te maneat
in Montibus æternis.

P. Adelricus Suter, Exemptus
Monasterii Einsidlenfis
Subprior, ac Ordinarius
quondam ibidem SS
Theologiæ Professor.

APPROBATIO.

SIn ore duorum, vel trium testium, juxta Divinam Veritatem Matth. 18. stet omne verbum, quidni & in plurium, quos sequentes pagellæ exhibent? Quare eorundem judicio subscribo, posse hunc Montem Thaboræum à primo suo authore cygneo more revisum & auctum rursus non solum absque fidei, vel morum periculo, verum cum ingenti animarum lucro ac meritorum augmento ascendi.

P. Dionysius Hartmann, in
Exempto Monasterio
Einsidlensi Professus, &
Theologus.




Formatio ad benevolum
Lectorem.

Sicut nitidum magni illius in cœ-
lo Luminaris splendorem sua se-
quitur umbra, sic Thaboræus iste
Mons à primâ statim editione, dum
plurimis ad novam vitæ perfectio-
ris transfigurationem præluxit, à
nonnullis cùm eruditione, tum Ec-
clesiasticâ dignitate spectatis viris
suas passus est oblocutionis, ac si-
nistre intelligentiæ umbras. Sed
tametsi palàm cognitum fuit, Au-
ctorem magis, quàm ejus lucubra-
tionem non nisi ex præciso Religiosæ
obedienciæ mandato publicæ lucis fa-
ctam, displicuisse. Quia tamen
ejusmodi nigri calculi notæ eorū quæ
etiam



etiam in scriptis circumvolabant,
donec ad proprias Auctoris manus
originaliter pervenirent; visum est
Approbatoribus prænотatis, operæ
pretium fore, si è quamplurimis
albi calculi votis eidem libello suf-
fragantibus aliqua potiora secer-
nantur, Et tanquam irrefragabiles
virorum sapientiâ, integritate, Et
dignitate longè eminentiorum cen-
sura ex Originalibus literis ad Au-
ctorem datis extractæ (pro pura pu-
ta solius Dei gloria) hîc adjun-
gantur.





CENSURÆ

LIBELLI MONTIS

THABOR.

I. **R**EV.^{MUS} D. Conradus Morus
S. Th. Doct. Cathedralis
Ecclesiæ Curiensis nunc Præ-
positus, sub dato 22. Julii 1665.

*Iste sue claustrales primitiæ non
possunt satis laudari ab hisce Rev.^{MIS}
DD. Cathedralibus, & aliis principa-
libus Curatis, quibus communicavi
opusculum.*

II. Rev.^{MUS} D. Melchior im
Hoof S. Th. Doct. Præpositus,
Commisarius, Decanus & Pa-
rochus Altorfii 19. Apr. 1665.

*Si liber ille digno pretio æstiman-
dus foret, non posset alio, quàm mul-
ti auri & argenti æstimari, tam is
est*



*est pretiosus in suo genere, vix sui par-
tem habens.*

Rev.^{mus} D. Nicolaus Hedinger,
Præpositus & Commissarius So-
lodori 13. Maij. 1665.

*Ut liber iste spiritualis in conven-
tu nostro hebdomadario publicè præle-
geretur, quamprimùm operam dedi,
quatenus major ex illius usu fructus
animarum consequatur, quod certo
certiùs futurum esse spero.*

IV. Adm. Rev.^{dus} &c. D. Fran-
ciscus Radheller, S. Th. Doct.
Decanus & Parochus Suitii. 18.
Decembr. 1665.

*Libellus iste aureus est, imò An-
gelicus: aureus, quia luteos homines
aureos facit: Angelicus, quia homi-
nes in Angelos transformat. Dignif-
simus eapropter est, & maximè nobis
secularibus Sacerdotibus, ut qui hîc in
terris potestate plusquam pollemus
Angelicâ, vitâ quoque Anglicâ pro
possibili fulgeamus.*



V. Adm. Rev.^{us} Gregorius Siger S. Th. Doct. Commissarius, Decanus, & Parochus Tugii 29 Decembr. 1664.

Montem hunc A. R. P. solitudinem appellas, quem cœlum ego rectius dixerim, tot stellis, ut inspexi, quot verbis rutilum gratiæ firmamentum, & viam lacteam perfectionis. Unum hoc libello, Pater, omnia mihi donâsti, quia cœlum & Deum dedisti.

VI. Adm. R. D. Joannes Rotenflue, S. Th. Doct. Commissarius, Decanus, & Parochus Rapersuilæ. 27. Janu. 1665.

Suas mihi antheac jam cognitâs nunc luci editas lucubrationes accepti opusculum sanè meo judicio, absque fuco dico, toto mundo admodum immundo reformando dignissimum.

VII. Rev.^{us} D. Gerardus Abbas Monasterii Maristellani, Ord. Cister



Cisterciensis sub dato 20. Januarii
1665.

*Liber iste, quem nemo non amet,
quàm qui pietati Religiosæ, & virtuo-
sæ probitati, imò omni sanctioris vitæ
perfectiõni bellum indixerit, versaba-
tur jam aliquanto tempore inter manus
meorum; cùm piissimâ invidentiâ
quisque inter primos numerari vo-
luerat hujus pretiosi thesauri posses-
sores.*

VIII. Rev.^{mus} D. Georgius Ab-
bas Monasterii Adelbergensis.
Ord. Præmonstratensis, 18. Janu.
1665.

*Nec minùs bene factum, accom-
modando scriptionis argumentum sta-
tui Clericatùs secularis, cujus ma-
xima cura est animarum salus, ad
cujus præsidium apprimè conducit vi-
tæ exemplum cujus præsidia Mons
iste pinguis suppeditat.*



IX. Rev.^{mus} P. Seraphinus, Ord.
S. Francisci Conventualium Pro-
vincialis. 21. Febr. 1665.

*Venit ad manus meas Mons Tha-
boræus, quem avidè desideravi. Ego
jam aggressus pedem Montis, quæcun-
que mihi se præbent obviam, ambabus
manibus amplector, tota totus approbo,
spe plenus optimâ, futurum, ut ex tan-
tâ rerum pulcherrimarum ubertate,
parvulum saltem fructum mi-
hi invenire possim.*



THEOPHOBUS

AD PHILOTHEUM
ET MONOPHILUM
EXERCITIORUM
SPIRITUALIUM
CANDIDATOS.

I.



Ille quondam *dilectus Deo* Eccles. 1.

& *hominibus* Moyses à teneris in aula Pharaonis quasi Regis filius educatus, ac destinatus hæres, cum jam

totis quadraginta annis in omni Ægyptiorum scientia exultissimus fumantes

tandem ollas fastidiisset, *malens affligi* Heb. 11.

cum populo DEI, quàm temporalis peccati habere jucunditatem. profugit aliquando in Madian, ubi divinæ Philoso-

phiæ vacans, ad radicem montis Sinai Moyse videt Rubum

mirificâ Rubi ardentis, & non combusti incombustum.

visione fuit illustratus. Exod. 3. Quod factum

omne, tum præsentis instituti, tum vestri

(dilectissimi Philothee, sive Dei Amans

Sacerdos, & Monophile Religiosæ soli-

tudinis Amator) perfectionis adipiscen-

dæ studii thema complectitur. Etenim si

ille ab Ægypto elongatur fugiens & ma-

net

net

Applicatur visio ad exercitia spiritualia.

A

net in solitudine, vos per breve temporis spatium sedetis solitarii, & taceris, & levatis vos super vos: ille minat gregem suum in interiora deserti; vos sensus, potentias, cogitationes, & affectus, in secretiora exercitiorum ergastula convocatis: ille ad montem Dei Horeb, vos ad montem Christi Thabor: ad ignem ipse in viridanti rubo, vos animis ardentes ad Deum in humana carne designatum: ille solutis pedum calceamentis accedendo, vos verò vanitatum ac seculi mores exuti appropinquando. Magnus ille Patriarcha eduxit Israëlem de Ægypto, vos animas vestras de mundo: *Moyse currus Pharaonis & exercitum ejus projecit in mare*; à vobis Tenebrarum Principes Dæmon, Mundus, & Caro submerguntur *quasi plumbum in aquis vehementibus lacrymarum*: ibi demum ille orationis assiduitati vacans in monte, novam Legis normam à Deo accepit, vos novos emendationis vitæ spiritus, ac leges assumitis, ut de veteri non remaneat ungula.

Exod. 15.

ib.

Exod. 19.

II. Verum neque hîc sistendus est gradus; sed ulterius digrediendo ad Rubum illum, (*qui in igne Deitatis carnis nostra dolores quasi Rubi spinas suscepit, & in consumptam mortalitatis nostræ substantiam*

*S. Greg. 1.
28. mor.
c. 2.*

stantiam, etiam in illa Divinitatis flamma servavit:) paupertatis Christi Salvatoris nostri, humilitatis, obedientiæ, omniumque virtutum, per accuratam votorum, aut statutorum vestrorum observantiam, æmulatores eritis. Ita arripientes geminæ charitatis, Dei, & proximi tabulas (non secus ac Moyses facie tenus afflatis ex Dei visione radiis, quasi cornibus, illustratus) de hoc vestræ contemplationis monte descendetis, miro divini luminis fulgore irradiati, atque mutati; ut quisque vestrum in veritate dicturus sit: *Vivo ego; jam non* ad Gal. 2.
Ego: vivit verò in me Christus.

III. PHILOTHEVS. Ex auditu quidem, mihi sat multum innotuit de istâ exercitandi ratione, at quia eam Religiosorum instituti magis, quam Sacerdotum sæcularium esse crediderim, idcirco lubens hunc ipsis honorem cederem, nullum evolutum ad summa, nullumque Apostolatam ambiendo, sed vias planas, tritas & imas; (modò salvus fiam, quod mihi sufficit) nisi tua Theophobe singularis erga me affectio persuadere, experiri semel saltem, quid abstrusæ sub ea lateret utilitatis.

THEOPH. O quantum Philothee, Exercitia
 quàmque periculose in negotio tuæ vel sacerdoti-
 salvationis, vel damnationis æternæ pun- bus sæcu-
 ctum

Jav. magis
necessaria.
S. Leo P. P.
serm. 4. de
Quart.

Fructus ex
exercitiis.

Opusc. 6.
cap. 21.

Monialis
abhorrens
exercitia,

Etum proximè attingente aberras: dic
enim, amabò, si dum per varias actiones
vita hujus sollicitudo distenditur, ne
cesse est, de mundano pulvere etiam Re-
ligiosa corda sordescere; quantò putas,
majoribus nævis obnoxii erunt vel Sa-
cerdotes, vel sæculares? dum quocunque
pedem movent, omnia luto, fæcibus,
lubricitatibus, laqueis, & præcipitiis ple-
na sunt? Cui ergo (te judicem consti-
tuo) cui Religiosum inter & Sacerdo-
tem sæcularem major necessaria est ad
præcavendum & evadendum innoxie
mentis illustratio, introspectio cordis,
discussio conscientiæ, animi medicina,
vulnerum cognitio, errorum correctio,
veteris emendatio vitæ, & nova spiritûs
renovatio? quæ omnia plenissimè con-
fert unicum hoc spirituale exercitium;
prout te usus (tantummodò alacriter
insiste) & exempla docebunt.

IV. In hanc rem memorabile est il-
lud abs A. R. P. Nicolao Mancicio Soc.
Jesu adductum exemplum de Maria Bo-
naventura Ord. S. P. Benedicti in Mo-
nasterio S. Franciscæ Romanæ ad annum
1626. Eam nimirum, uti primæ nobi-
litis prosapiâ, ita insigni venustatis
flore, rarâ docilitate, sagaci ingenio,
judicii suprâ ætatem maturitate, gene-
rositate mentis, & innatâ quâdam pru-
den-

dentia præcellentem; secus tamen spiri-
tualibus rebus (quas nauseante stoma-
cho averfabatur) addictam; sed totam
fuisse ad sæcularia, & lætiora profusam.
Cum verò plurimæ aliquando ejusdem
loci professæ decemdiabibus exercitiis
sefe excolere instituissent, suasum est
idem pium opus & huic; sed tanquam à
genio, & indole sua alienum, risu,
jocique exhibitum: donec aliorum
exemplis inducta statuerit, illud ve-
luti per transfennam inspiciendo, vexatio-
nem redimere. Non defuit ad hanc vel
minimam devotionis scintillam divini
Luminis fax, quâ se de talis silentii, ac so-
litudinis suavitate non solum in intelle-
ctu mirificè collustratam sensit, sed
etiam tot ignitos in voluntate motus, ac
pieratis affectus, ut cum insolita cordis
sui gestientis lætitia, propter oblatam
adeò copiosam cum solo suo Conditore
æternitatis negotium tractandi faculta-
tem, quantocyus cœperit plenâ resigna-
tione cor suum tanquam candidissimam
membranam Deo ter Opt. offerre, in
qua solius sui sanctissimi beneplaciti di-
gito conscribere dignaretur, quidquid
deinceps à se aut vitari, aut fieri postula-
ret. Quis hîc non obstupescat, spiritua-
lis vitæ Novitiam ex unica deliberata re-
solutione ad statûs sui pervestigationem

Ad illa fa-
cienda per-
suasa.

Mirè illu-
stratur.

Plenè se
Deo resig-
nat.

se applicandi, jam adedò solidum perfectionis fundamentum plenissimè Deo soli se resignandi jecisse?

Propriâ syn-
graphâ se
devovet di-
vinæ volun-
tati.

V. Porrò primâ solummodò de fine suæ creationis peractâ meditatione, jam cœpit amaris lacrymis deplorare tantum sui finis, ac mediorum abusum; insuetóque fervoris æstu succensa, mox se totam Deo propriæ manûs syngraphâ in hæc verba devovit: *Hanc oblationem Deus meus, & propositum, quod facio avellendi me à rebus omnibus, quæ me possunt à tuo sancto elongare servitio, tam libenter facio, ut si post mea obsequia totâ vitâ impensa volueris me detrudere ad infernum, ero contentissima, dummodo in me tua sanctissima voluntas adimpleatur. Quocircâ scripturam hanc meâ propriâ manûs tibi dono & consigno IESV Creator, & anima mea Redemptor, eamque in sacratissimo tuo latere depono, rogans per pretiosissima merita sanguinis tui, ut mihi condones omnia peccata meâ, nec permittas, dilecte Deus meus, te unquam à me amplius offendi, cum amplius non sim mea, sed tota tua, Amen.*

Ad præfatum autem suum à confessionibus, & exercitiis Patrem se postero die visitantem taliter locuta esse refertur. *Pater, non oportet amplius jocari*
cum

cum Deo: agnovi, quid à me velit Deus; quid nolit. Volo tota esse Dei, & totis viribus conari, ut ob majorem gloriam Dei, sine ullâ morâ sancta evadam, non qualiscunque, sed magna; & citò. Retulit sanè inter alios exercitiorum fructus, studium summæ puritatis conscientiæ, etiam à nævis purè materialiter peccaminosis: nec non actiones suas omnes, tam internas, quàm externas dirigendi quoad finem, modum, & circumstantias ad omnem possibilem gradum perfectionis assequendum, uti tota reliqua ipsius vitæ ratio demonstravit.

Flagrat ardore sanctitatis assequendæ.

VI. MONOPHILUS. Stupendus oppidò tum divinæ misericordiæ, tum humanæ conversionis casus; cui (si interfari liceat non multum absimilem, insignis quidam Religiosus ex aliqua nobilissima Sueviæ civitate sub die 23. Maji, anni 1667. per litteras ad sacram MARIE Einsidlensis Eremum in hæc verba transcripsit. *Fuit quidam, non dico Religiosus, an Clericus, Deus scit, multò jam senio confectus, tamen libros Asceticos spirituales hætenus nunquam curaverat, donec Divino Numine inspirante &c. sacra exercitia obire intendit. Quare Superior ejus cogitavit eidem librum illum, qui MONS THABOR dicitur, subministrare. Factum præclare:*

Conversio mira vi exercitiorum.

nam is peccator, postquam decem dies ex prædicto libro exercitia spiritalia exercuit, totus alius evasit, ut spes firma sit, quòd imposterum aliis in optimum exemplum adduci possit.

Alia con-
versio Sa-
cerdotis
per exerci-
tia

VII. PHILOTHEUS. Memorabile & illud est, quod mihi quidam amicissimus, probitate, eruditione, & amplissimi beneficii spectabilis Parochus (dum ei per litteras significabam, ut quid sese talibus claustralium meditationibus fatigaret? & in Monachales istas solitudines è tam sereno sæculi campo, velut in obscuram sylvam compingeret?), sequentibus disertis verbis respondit: *Crede mihi, Charissime Ionatha, dum presso consideratissima lectionis vestigio Montem Thaborum conscenderam, rerum mirabilium intuitu stupefactus in alium hominem transfiguratus fui. Sacerdotem hætenus egi, extra, heu! sacerdotem, dum veste tenus dixi, at sacerdos vixerim &c. At divinâ bonitate factum est, me Luminis exercitiorum istorum participem factum fuisse. Hæc ille alter Ego, ad me sub die 13. Jan. 1665. quæ tamen ego pro tunc perfunctoriâ solum consideratione transcurrebam. At nunc ardentiori animo amplector.*

VIII. Faxit Dei clementia, ut uterque Vestrum, omnésque Religiosissimi Christi

ſti milites tantum à bene cœptis fructum reportetis , quantum ſupra dicti Exercitantes ; quantum Divus Carolus Borromæus à flore juventutis iisdem aſſuetus, retulêre ; aut quantus unquam, ex illis divinitus revelatis zelofiffimo gloria Dei viro, S. P. Ignatio Societ. Jeſu Fundatori, reſultavit. Pergite igitur & vos præeuntium veſtigiis inſiſtere, ac deſiderate totis viſcerum & medullis eam vitæ ſanctitatem, quam ſolitudo hæc beata, & ſola in terris beatitudo *mentem purificans, regens affectus, dirigens actus, corrigens excessus, mores componens, vitam ordinans, atque cohoneſtans, præterita omnia eò uſque recogitans, donec in animo nihil reſideat incorre-ctum, aut indigens correptione,* breviffimo compendio confert.

S. Carolus Borrom. aſſuetus exercitiis iſtis.

S. Bern. ad Eugen. P. P. l. 1. de conſid. 6. 7.

IX. Quod evidentiffimâ experienciâ compertum habens benefata Societatis IESU Congregatio in ſexto & ſeptimo generali Conventu gravibus Decretis ſanxiſſe perhibetur, ab omnibus & ſingulis Suorum annuatim huic Exercitiorum ſtudio vacandum eſſe, tanquam ſuæ, omniſque Religionis ac vitæ ſanctitatis principali fundamento. Quod utinam in his quoque Diceceſibus, Capitulis, & omnium Religionum Congregationibus, atque Cœnobiis paribus ſtatutis ordina-

Statutum Soc. Jeſu de illis annuè faciend.

retur, decerneretur & in annum usum induceretur. O qualis inde & quanta in cœlo Superioribus illum introducens merces & gloria; quanta verò in subditis amplectentibus animarum resultaret utilitas! Veruntamen, Charissime me, ad montem hunc mysteriosum magis approximantes, considerate hîc omnem perfectionis plenitudinem adumbratam in *LEGE*, *PROPHETIA*, & *EVANGELIO*. Legem repræsentat *MOYSIS* apparentis personæ; Prophetiam *ISALAS*; Evangelium verò *CHRISTUS*. Ad eam autem perfectionis plenitudinem tendendum triplici viâ: *PURGATIVA*, *ILLUMINATIVA*, & *UNITIVA*.

Triplex via ad Præfectam Purgativa. Purgativa introducet te ad Tabernaculum Moysis, qui ad timorem Domini, velut initium Sapientiæ, tibi utiliter incutiendum, demonstrabit, qualiter *Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini Creatoris tui*, per devia & avia quæque ab ultimo tuo Fine exorbitando. Unde contritum, veteremque hominem cum actibus suis exutum, per Illuminativam dirigit ad alteram Tabernaculi Eliæ stationem; qui cum sit *forma Justitiæ, sanctitatis speculum, pietatis exemplar, propheta Altissimi, & precursor Christi*, ad omnem virtutem normam te reformabit; donec per Unitivam ad

Deut. 32.

Illuminativa.

S. Bern. l. 4. consid. ad Eugen.

Unitiva.

ad Tabernaculum Christi pertingens in
ejus amore tanquam omnium deside-
riorum centro conquiesces.

X. Non minùs in tribus Christi dis-
cipulis repræsentantur tres status: pœ-
nitentium quidem & incipientium in
Petro, proficientium in Jacobo, & perfe-
ctorum in Joanne. Docet Petrus sui
fletûs amaritudine præteritæ vitæ crimi-
na deplorare. Docet Jacobus sui no-
minis etymologiâ supplantare naturæ
vitiâ, & virtutes amplecti. Docet Joan-
nes Charitatis divinæ prærogativâ in Je-
su pectore suaviter recubare. A Petro
discitur Religiosa Paupertas. A Jaco-
bo resoluta animi promptitudo, labor
& Obedientia ad ardua. Et Castitas
virginalis à Joanne. Quibus proinde
virtutum splendoribus per novæ con-
versationis studium refulgentes, ac mi-
râ internæ consolationis dulcedine im-
buti, cum Apostolorum Principe indubi-
tantly exclamabitis, *O Domine, quàm
bonum est nos hîc esse!*

Tres status
hominum
in tribus
Apostolis
representa-
ti.

Tres virtu-
tes Evange-
licæ.

OBSERVATIONES

*Ad Exercitia spiritualia necessariò
recolenda.*

THEOPHOBUS. I. Primâ observa-
tio. Cùm magnus ille Patriarcha fi-
lium

Gen. 22.

retur, decerneretur & in annum usum induceretur. O qualis inde & quanta in cœlo Superioribus illum introducentibus merces & gloria; quanta verò in subditis amplectentibus animarum resultaret utilitas! Veruntamen, Charissime, ad montem hunc mysteriosum magis approximantes, considerate hîc omnem perfectionis plenitudinem adumbratam in *LEGE*, *PROPHETIA*, & *EVANGELIO*. Legem repræsentat *MOYSIS* apparentis persona; Prophetiam *ISALAS*; Evangelium verò *CHRISTUS*. Ad eam autem perfectionis plenitudinem tendendum triplici viâ: *PURGATIVA*, *ILLUMINATIVA*, & *UNITIVA*. Purgativa introducet te ad Tabernaculum Moysis, qui ad timorem Domini, velut initium Sapientiæ, tibi utiliter incutiendum, demonstrabit, qualiter *Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini Creatoris tui*, per devia & avia quæque ab ultimo tuo Fine exorbitando. Unde contritum, veteremque hominem cum actibus suis exutum, per Illuminativam dirigit ad alteram Tabernaculi Eliæ stationem; qui cum sit *forma Justitiæ, sanctitatis speculum, pietatis exemplar, propheta Altissimi, & precursor Christi*, ad omnem virtutem normam te reformabit; donec per Unitivam ad

Triplex via
ad Præfect
Purgativa.

Dent. 32.

Illuminati-
va.

S. Bern. 1.
4. consid.
ad Eugen.

Unitiva.

ad Tabernaculum Christi pertingens in
ejus amore tanquam omnium deside-
riorum centro conquiesces.

X. Non minùs in tribus Christi dis-
cipulis repræsentantur tres status: pœ-
nitentium quidem & incipientium in
Petro, proficientium in Jacobo, & perfe-
ctorum in Joanne. Docet Petrus sui
fletûs amaritudine præteritæ vitæ crimi-
na deplorare. Docet Jacobus sui no-
minis etymologiâ supplantare naturæ
vitiâ, & virtutes amplecti. Docet Joan-
nes Charitatis divinæ prærogativâ in Je-
su pectore suaviter recubare. A Petro
discitur Religiosa Paupertas. A Jaco-
bo resoluta animi promptitudo, labor
& Obedientia ad ardua. Et Castitas
virginalis à Joanne. Quibus proinde
virtutum splendoribus per novæ con-
versationis studium refulgentes, ac mi-
râ internæ consolationis dulcedine im-
buti, cum Apostolorum Principe indubi-
tante exclamabitis, *O Domine, quàm
bonum est nos hîc esse!*

Tres status
hominum
in tribus
Apostolis
representa-
ti.

Tres virtu-
tes Evange-
licæ.

OBSERVATIONES

*Ad Exercitia spiritualia necessariò
recolenda.*

THEOPHOBUS. I. Primâ observa-
tio. Cùm magnus ille Patriarcha fi-
lium

Gen. 22.

Exercitans
omnes ali-
as curas ex-
cludat.

Stephanus
Abbas ora-
turus abigit
omnes ali-
as cogita-
tiones.

Applicatio
3. potentia-
rum ad me-
ditationes.

Applicatio
duplex po-
tentiarum..

lium suum unigenitum quondam Deo
sacrificaturus in montem contendisset,
servis suis ad montis pedem ejusmodi
mandatum dedit: *Exspectate hic cum a-
sino; ego & puer illuc usque properantes
postquam adoraverimus, revertemur
ad vos.* Idem sane vos quoque cum o-
mnibus sive studiorum, sive rei domesti-
cæ, officiorumve incumbentium solici-
tudinibus agere oportet, singula prorsus
tantisper missa faciendo negotia; & e-
contra omnes animi, actionum, & occu-
pationum nervos huic soli destinato pro-
posito applicando. Quod S. ille Cisterci-
ensium Abbas ad amissim implevit,
quandoquidem pergens ad divinum of-
ficium cogitationibus suis dicere solebat:
*Manete hic post januam cogitationes,
quoad usque divinum persolvero officium
postea si necesse fuerit, vos reassumam.* Hæc ille sibi; sed maximè vobis.

Obs. III. Meditationes faciendæ
sunt exactè, & in illis memoriam qui-
dem ad puncta; intellectum ad discursus,
& veritates rerum eruendas, &
ponderandas; ac voluntatem ad conci-
tandos affectus, citrà omnem tepidita-
tem, nauseam, sive tædium diabolicæ
suggestione obrepens applicare contem-
dat's. Est autem talis applicatio duplex;
altera quidem sponte sua proveniens ex
sua-

suavi motu Spiritûs Sancti, dum quis in meditationis decursu passivè quodammodò se habens, gliscentes fervoris scintillas velut ab extra immixtas, & sensim cordis meditullia penetrantes, commoventes, rapièntes, ac suaviter torquentes recipit, quorum ardor non rarò in suspiria, gemitus, languores aut alia exotica signa diffunditur. Alia autem animi applicatio est, veluti protrusa à quodam impulsu sui ipsius (sic dicam) activo, & violento, quando à recollectis omnium potentiarum, ac sensuum viribus, cum nisu, & coactione naturæ ad externam devotionis sensibilitatem extruditur; quæ in incipientibus, & imperfectioribus frequens, uti laudabilis est, & sensim ad perfectiorem dispositiva, ita non rarò capitis læsiva, & cerebri, nisi ab omnium matre virtutum Discretionè moderamen ad obsequium rationale admittat.

Spontanea;

Violenta;

Obf. III. Antequam ad orationem mentalem vos componatis, præcognoscite, quem ex eâ fructum virtutis adipiscendæ, vel emendandi defectûs referre intendatis, ne curratis in incertum & quasi aërem verberantes. Proinde singulis meditationibus, ex S. P. Benedicti Regulâ (discretionè præcipuâ) textum præfigam æquè meditationis

Fructus meditationi præfigendus.

Affectus
voluntatis
in singulis
meditat.

Digressio-
nes inter-
mixtae.

tionis materiae, ac fructui colligendi peridoneum ac utilem. Exhibebo praeterea singula meditationum puncta non adeo strictim, quin eorum quodlibet ferè uni integræ meditationi sufficeret nec ita diffusim, ut exercitato genio non supersit, proprio Marte spiritum maximè internâ illustratione permotum, probandi. Affectus autem voluntatis (in quibus orationis nucleus consistit), ad omnia meditationum puncta congruos, & perbreves apponam, ut quasi facem præferam ad eosdem uberiori, & fructuosius excitandos. Quibus continuato fermè stylo fructum et dictarum Regularum contextu colligendum adjungam. Colloquia verò ad sanctissimam Trinitatem, ad IESVM Christum, vel ejus Immaculatam Virginem Matrem, aut quoslibet Sanctos vestrae devotioni liberrima sunt. Tametsi pro addiscenda, seu cognoscenda aliqua junioribus, aut minùs exercitatis colloquiorum forma, nonnulla breviter insinuare consultum ducam.

Obs. IV. Meditationes ternas quotidie discursibus, sive digressionibus duabus utilissimis interpolabo, quorum veritates & theoriæ intimis, velim, præcordiorum medullis insculpatur; siquidem omnes & singulae tot cur-
ren-

rentibus licet, virtutum assequendarum stimulos subdent, quot selectioribus multorum sanctimonia vitæ celebrium Sacerdotum ac Præfulum; nec non diverforum SS. Ordinum Religiosorum exemplis, Patrùmque doctrinis erunt refertæ.

Obs. V. Non minori cordis affectu, gustuque masticandæ, & ruminandæ sunt assignatæ diebus singulis Considerationes ante- & pomeridianæ, quas utpote meros divini Spiritûs favos exspirantes tantò sapidiore fore confido, quanto studiosius illas ex puris, putifque aurei illius: *De imitatione Christi Joannis * Gerseni Abbatis Vercellensis Ord. S. BENEDICTI*, Libelli sententijs, ceu totidem fragrantissimis flosculis, velut apis argumentosa colligam, & delicto spiritûs vestri palato apponam.

Benevole Lector. * Claruit Ioannes Gersen natione Italus, & istius Auctor libelli sub annum Christi 1240. Eundem tamen alij Thomæ à Kempis Teutonico Ord. Canonicorum Regularium S. Augustini attribuant, qui anno 1471. in vivis esse desijt. Tu verò (non attendit hujus opinionis diversitate) istius cedro digni & omni commendatione præstantioris libelli considerationes tradendas in intimo cordis tui sinu recondidas fove, volve, revolve.

Obs. VI. Quoad temporis distributionem; pro varietate illius, atque locorum

Considerationes ad-junctæ.

Distributio ordinata temporis

exercitio-
rum,

corum difficile est, certi quid assignare
ceterum in genere illam hanc formam de
signo. Postquam manè surrexeritis
vosque debite composueritis, relegite
instantis meditationis puncta, & ad eam
vos totis viribus accingite: quæ peractæ
revolvite tantisper, quoniam modo suc-
cesserit; si bene & ad satisfactionem
Divinæ Bonitati totum adscribendo
gratias agite; si secus, vestræ tepidi-
tati, vel indevotioni; vosmet humilian-
do, & confundendo, deprecando, &
novos firmioris propositi spiritus real-
sumendo. Sequantur preces officij Ca-
nonici; cum alijs consuetis, ac solitâ præ-
paratione ad Missam, vel Sacram Com-
munionem. Inde gratiarum actio; Le-
ctio libelli spiritualis, sive digressio-
nis antemeridianæ, deinde punctorum
secuturæ meditationis revisio; medita-
tio ipsa; examen; prandium; & inde
vel immediata visitatio Sanctissimi Sacra-

Visitatio S.
Sacram.

menti (cujus frequentiam vobis singu-
lariter inculco, quoties medium qua-
drantem suffurari potestis) vel recrea-
tio, alterutra alteri pro commoditate
præponenda. Ab hoc connotatio medi-
tationis, affectuum, seu propositorum
elicitorum, ac fructuum, somno excu-
tiendo opportunissima. Inde Vespera-
rum & Completorij pensum cum alijs
qu

quâ tertiâ parte Pfalterij Mariani. Inde meditatio tertia ; & Digressionis at-
 tenta lectio. Cœna, sive Refectio no-
 cturna. Recreatio aliqua, in quâ ca-
 vendum, ne curiosè indagetis ea, quæ
 foris aguntur, vel accidunt, nève dis-
 cursibus à proposito vestro alienis effu-
 sius vacetis. Post hanc usque ad tem-
 pus examinis, facilè Matutinum, & Lau-
 des sequentis Officij persolventur. De-
 mum Examine Conscientiæ ; revisione
 crastinæ meditationis ; animæ quoque ;
 & corporis in pretiosissimum Lateris
 Christi nidulum factâ recommendatio-
 ne, sanctissimis nominibus I E S V, &
 M A R I Æ indormiendo felicissimè diem
 clausistis.

Obf. VII. Et quoniam stygius ve- Tædiâ in
 exercitijs
 quomodo
 superanda ;
 terator non deerit languoribus subinde
 ac tædijs suggestis infestare Exercitan-
 tium fervores : ad ea excutienda præ-
 stabit, sibi firmiter ob mentis oculos po-
 nere illos inexplicabiles purgantium a-
 nimarum cruciatus, vel interminabilem
 illam damnatorum æternitatem ; quid-
 ve & quantum aliqua è damnatis ani-
 ma veldaret, vel faceret pro impetran-
 do tali agendæ pœnitentiæ decemdio,
 aut unico die, vel horâ, quibus vos frui-
 mini. Nolite igitur gradum ex hac fa-
 eri certaminis arenâ revocare. Sed per
 B. gene-

S. LAUR.
Justin. l.
de hum. c.
18.

generosam resolutionem pugnate viriliter, resistite fideliter, state perseveranter, ut nullus vos superet labor, nulla enervet desidia, nullumque fastidium prosternat. Sed ecce hîc brevis omnium Meditationum atque Digressionum tabellam.

TABELLA

Omniū Meditationum, Digressionum, & materiarum in iis contentarum, cum insertis considerationibus ante- & pomeridianis.

VIE PURGATIVÆ

Die Prima. De ultimo Fine hominis, & mediis ejus universalibus, & specialibus.

Meditatio I. De creatione Mundi Angelorum & Hominis.

Digressio I. De iniqua Mundi erga Deum ingratitude, stulta vanitate & intima Essentiæ, seu qualitatum ejus exenteratione.

Meditatio II. De lapsu Hominis; & universali remedio Incarnationis Filii Dei ac Redemptionis humanæ.

Considerationes antemeridianæ: ex Joanne Gerfen. Abb. Vercell. de Imit. Christi.

Digressio

Digressio II. De elogiis, ac summâ & solâ in terris Religiosi statûs beatitudine.

Meditatio III. De divino inæstimabili beneficio vocationis & electionis ad Religionis, & Sacerdotii statum.

Considerationes pomeridianæ : ex eodem.

Die Secunda. De Recessu Hominis ab hoc fine, per peccatum.

Meditatio IV. De solius Hominis inter omnes creaturas recessu, à suo fine, & obedientia debita.

Digressio III. De enormitate peccati mortalis, ut est aversio à Deo, & conversio ad creaturas, summûsque summi Boni contemptus.

Meditatio V. De horrenda fœditate peccati, in Angelis, & anima hominis. Considerationes antemeridianæ : ex eodem Joan. Gersen.

Digressio IV. De infinitis damnis, & inexpiabili gravitate peccati mortalis.

Meditatio VI. De iisdem damnis peccati. Considerationes pomeridianæ : ex eodem.

*Die Tertia. De pœnis peccati futuri
& consideratione Novissimorum.*

Meditatio VII. De Morte, & ejus accidentibus.

Digressio V. De morte impiorum tam Laicorum, quàm Sacerdotum, aut Regularium, malè viventium pessimâ Cosmophilorum periculosissimâ : & quandoque etiam Sanctis formidolosâ.

Meditatio VIII. De Judiciis particularis rigore post mortem.

Considerationes antemeridianæ : ex eodem.

Digressio VI. De rigore Judiciis Discussionis, & horrore Judiciis Reprobationis secuturi post mortem.

Meditatio IX. De inferno, ac ejusdem pena damni, & sensûs.

Considerationes pomeridianæ : ex eodem.

Die Quarta. De incuria, & cura minimorum.

Meditatio X. De Venialium peccatorum gravitate.

Digressio VII. De eorundem Venialium peccatorum incomprehensibili foeditate, & gravitate.

Medi

Meditatio XI. De eadem gravitate peccati Venialis in Sacerdote & Religioso, ex conditione statûs, futuri iudicii, & pœnarum purgatorii.

Considerationes antemeridianæ: ex eod.

Digressio VIII. De cura Minimorum, in malis ad vitandum, propter purgatorii acerbitatem; & in bonis ad operandum, propter incomparabilis meriti pretium.

Meditatio XII. De Confessione culpæ & infinita misericordia Dei erga peccatores pœnitentes.

Considerationes pomeridianæ: ex eodem Joan. Gersen.

Die Quinta. De Perfecta Conversione Morum.

Meditatio XIII. De renovatione hominis, per passionum animi mortificationem.

Digressio IX. De Voto Conversionis Morum per mortificationem inordinatorum appetituum animi, & exteriorum sensuum corporis.

Meditatio XIV. De eadem morum conversione, per sensuum exteriorum, maximè oculorum, aurium, & linguæ custodiam.

Considerationes antemeridianæ: ex eod.

B 3

Digres-

Digressio X. De Voto Stabilitatis, & fervore perseverantiæ, contra tepiditatem.

Meditatio XV. De ejusdem perniciosissimæ Tepiditatis reformatione.

Considerationes pomeridianæ ex eadem.

VIA ILLUMINATIVÆ.

Die Sexta. De Voto Paupertatis.

Meditatio XVI. De præstantia, & conditionibus tum Religiosæ Paupertatis, tum generosi contemptûs divitiarum in Ecclesiasticis.

Digressio XI. De Voto seu observatione voluntariæ paupertatis in re, sive in spiritu: & vitiis proprietatis, avaritiæ, superfluitatis, ac prodigalitatis, ipsi contrariis.

Meditatio XVII. De Paupertate Spiritûs; humilitate, ac vili æstimatione sui ipsius ejusque conditionibus. Considerationes antemeridianæ: ex eadem.

Digressio XII. De eadem Humilitate; & vitio vanæ gloriæ ipsi contrario.

Meditatio XVIII. De utraque paupertate amplectenda, exemplo Christi Domini.

Considerationes pomeridianæ : ex eodem.

Die Septima. De Voto Castitatis.

Meditatio XIX. De incomparabili excellentia Voti Castitatis.

Digressio XIII. De eadem præstantia &c. (de turpitudine Luxuriæ) de mediis Castitatis : quæ sunt memoria præsentia Dei; & resistentia primis contrariis cogitationibus faciendæ: fuga otij, & conversationis mulierum.

Meditatio XX. De conditionibus, & gradibus consecratæ Deo Castitatis.

Considerationes antemeridianæ : ex eodem.

Digressio XIV. De Oratione, puritate conscientia; sobrietate; & discretâ corporis mortificatione, Castitatis præsidis.

Meditatio XXI. De aliis adjunctis Castitatis, à doctrina, & exemplis Christi & Sanctorum.

Considerationes pomeridianæ : ex eodem.

Die Octava. De Voto Obedientia.

Meditatio XXII. De eminentissima præcellentia virtutis Obedientia.

Digressio XV. De eadem præstantia, merito, & perfectione virtutis Obedientiæ.

Meditatio XXIII. De gradibus, motivis, & conditionibus virtutis Obedientiæ.

Considerationes antemeridianæ : ex eodem.

Digressio XVI. De pessimis vitiis propriæ voluntatis ; pertinacis iudicii ; zeli indiscreti ; murmurationis ; & refractariæ inobedienciæ.

Meditatio XXIV. De aliis motivis Obedientiæ , maximè ab exemplo Christi.

Considerationes pomeridianæ : ex eodem.

VIE VNITIVÆ.

*Die Nona. De multiplici Sacrificio
Laudis DEI.*

Meditatio XXV. De præstantia, utilitate, & necessitate Orationis mentalis, & vocalis.

Digressio XVII. De sanctæ orationis ; & Angelicæ psalmodiæ eminentissimâ præstantiâ.

Meditatio XXVI. De ejusdem Divinæ laudis per Psalmodiam excellentia, utilitate, atque devotione.

CON-

Considerationes antemeridianæ : ex eodem.

Digressio XVIII. De infinitâ præcellentiâ Sacrosancti Missæ Sacrificii, & incomparabili dignitate ac potestate statûs Sacerdotalis.

Meditatio XXVII. De infinitâ excellentiâ Sacrificii Missæ.

Considerationes pomeridianæ: ex eodem.

*Die Decimâ. De perfecta Viatoris
Unione cum DEO.*

Meditatio XXVIII. De proprietatibus, gradibus, & motivis Amoris DEI super omnia.

Digressio XIX. De Amore Dei, & Proximi, ejûsque primario effectu, qui est zelus animarum.

Meditatio XXIX. De perfectione, gradibus, & motivis Conformationis voluntatis humanæ cum Divina.

Considerationes antemeridianæ : ex eodem.

Digressio XX. Continent utilem doctrinam, & praxin quotidianæ oblationis seu puræ intentionis; Resignationis suæ voluntatis &c. pactique, magni peccatoris cum Justitia Divina.

Meditatio XX. De ineffabili desiderio, gaudio, ac fruitione Dei in cœlesti Patria.

Considerationes pomeridianæ : ex eodem,

Devota Oratio, initio Exercitiorum præmittenda.

Orationis
formula
pro exercitiis.

Intentio
exercitantis.

Domine Deus Omnipotens, cœli, terræque Conditor ; adorandæ, atque tremendæ Rex Majestatis, qui me de nihilo ad imaginem, & similitudinem tuam creâsti, & constituisti super omnia opera manuum tuarum, ut psallam, & laudem dicam Nomini tuo Altissime; tibi quoque fideliter serviam, ac toto mentis affectu te quæram, & diligam tanquam ultimum finem meum, Deum meum, & omnia. Ecce ego omnium tuarum creaturarum ingratisima, & indignissima, compareo coram infinitæ clementiæ & Bonitatis tuæ throno, ut tecum per hoc tempus acceptabile, & dies salutis, non solum intimè, ac familiarissime conversari merear, in unione secelsûs Unigeniti Filii tui, ac Domini mei JESV Christi in desertum, ibique quadraginta dierum spatio in jejunio, & oratione perseverantis, sed etiam, ut liberrimè aliquando de maximo æternæ meæ salvationis negotio tractare valeam. Ex quo enim, ô Pa-

ter misericordiarum, & Deus totius consolationis ! sola inexhaustæ misericordiae tuæ dignatione per amantissimum meum **JESVM** ac Salvatorem erulsi animam meam de statu sæculi nequam, de lacu miseriæ, de luto factis, & ex ipso inferno inferiori, in tantam, prò dolor ! beneficiorum tuorum oblivionem, incuriam, perniciosissimam tepiditatem, ac negligentiam sensim deveni, ut vehementer expavescam, ne citò, citò nimis incipias me evomere de ore tuo sacrosancto, & benedicto, nisi me quantocyùs festinem emendare, & serio tandem ; ah ! tandem aliquando recogitare corde, unde exciderim. Idcirco ò Deus meus ! ò Amor meus ! qui tamdiu sustinuisti peccantem, expectasti differentem, repugnantem invitasti, torpentem excitasti, & quasi nolentem compulisti ; suscipe nunc revertentem, parce pijsimè pœnitenti, & totam non solum tot pretiosissimi temporis horarum, sed tantam bene merendi & proficiendi in statu meo (Clericali) (Religioso) substantiam ; tamque innumeros ferventiùs tibi inserviendi, crebriùs te laudandi, & ardentius longè amandi occasiones, ita luridè dissipantem, tanquam alterum filium prodigum, clementissime Pater, pietatis tuæ brachijs
am

Accusatio
proprie ne-
gligentiae.

Deprecatio
veniae.

Petitio lu-
minis divi-
ni.

amplexare. Da obsecro mihi, ô benignif-
sima cordis mei dulcedo! contemplari
te in mentis excessu, ut intellectus meus
cognoscat te, memoria mea recogitet
te, meditatio mea exquirat te, anima
mea inveniat te, affectus meus suspiret
ad te, voluntas mea, & cor meum
fortissimis charitatis tuæ mirificæ vincu-
lis constringat te, neque dimittat te,
nisi abundanter benedixeris mihi. Con-
cede etiam mihi misericors Deus, quæ
tibi placita sunt, ardentem concupisce-
re, prudenter investigare, veraciter
agnoscere, & perfecte adimplere ad
laudem, & gloriam nominis tui, per
Jesum Christum Dominum nostrum,
Amen.

INTRODUCTIO PRÆLIMINARIS

*Ad Tabernaculum Moysis in via Pur-
gativa.*

THEOPHOBUS.

(I.)

Ille Caroli Imperatoris re, & nomi-
ne Magni beatissimus nepos & mona-
chus Sant- Gallensis Notkerus (quem
idem

Idem Augustus, quia scientia, intelligentiæque & spiritualium disciplinarum, virtutumque cælestium religiositas abundantius inventa sunt in eo, amplioris dilectionis privilegia amabat) cum aliquando ab Imperatore per litteras rogaretur, nonnullos sibi de virtutibus, & vitij quæstiones enodare, ac singularum solutiones cunctatius exprimere, in hortum secedens cœpit varias nascentes, ac repululantes herbas evellere, eradicare, extirpare, ac evulsas præsentem, & videntem Cæsaris nuncio velut inutiles horto eijcere. Alias verò ceu utiles, aptas, atque salubres transplantare, impinguare, & aquarum affusione rigare. Quærente interim nuncio longioris moræ pertæso, et quid responsi daret Domino suo? subjunxit Notkerus: *Ea, quæ me vides facere, dic ei, & nihil aliud.* Quibus verbis à nuncio relatis Imperator respondens: *Satis mihi dixisti, prudenti hoc viro sufficit:* agnovit extirpanda prius esse si ve de corde, seu de republica quævis carnalia, ac spiritualia vitia, & vitiosos; dein implantanda virtutum ac virtuosorum hominum germina, ut per incrementa divinæ gratiæ uberes fructus succrescant.

II. Decrevimus unâ Philothee & Monophile mentes vestras Deo sacra-

Eckerb. Decan. S. Gal. in vit. S. Notk.

S. Notkerus symbolicè docet vitia eradicare, &c.

Et plantare virtutes ad virtuosos.

Viz purgativa symbolica cordis aratura.

tas velut hortum amœnissimis virtutum floribus excolere, ut omnium potentiarum & sensuum vestrorum areolæ meradeinceps spirent sanctitatis aromata, ac devotionis odores. Unde necesse est, priùs salutaris doctrinæ vomere duriores, si quæ sunt, cordis ad plurimos defectus habituati glebas terreas proscindere; postea verò profundiores contritionis sulcos arare, spinas inde, lolia, & tribulos omnes vitiorum interiorum eradicare, vel suffocare, exteriorum autem destruere ac dissipare, quod non minùs, quàm evolutò quinque dierum spatio absolvetur.

Moyse
symbolicè
viam purgativam
emensus.

III. Veruntamen nunc ad magni illius Israëlitarum Ductoris & Doctoris tabernaculum accedamus, quem nostris post 40. dierum facta in monte Sinai exercitia non priùs ad Dei conspectum admissum, non citiùs suavissimo ejus alloquio fruitum, aut radiante à consortio sermonis Dei facie quasi transfiguratum descendisse, quàm calceamenta de pedibus solverit, mare rubrum transierit, aquas de petra elicuerit, hostes Amalecitas devicerit, ac per prævia, diversissimâque mortificationum genera, quasi viam Purgativam omnem emensus, meruerit in Illuminante de manu Altissimi Decalogi legem accipere tali-

re, tanquam novæ professionis ac vitæ regulas; donec in earum observantia ritè exculco licuerit ad intima demum familiaritatis divinæ adita penetrare.

VIE PURGATIVÆ

Die Prima.

De ultimo fine hominis, & mediis ejus universalibus ac specialibus.

MEDITATIO I.

De creatione Mundi, Angelorum, & Hominis.



*Mnes sub uno Domino a- Textus Re-
qualem servitutis mili- gula cap.
tiam portamus; ideo
semper memores simus,
quod ait Propheta: Ser-
vite Domino in timore: Cap. 43.*

nihilque operi Dei præponatur.

PKÆLVDIVM. Imaginare; te quasi in angulo cujusdam densissimi, & tenebricosi nihili abstrusum, videre, & audire tres personas SS. Trinitatis consultantes, & decernentes creationem vastissimæ alicujus rerum omnium universalitatis,

Punct. I. Consid. | 1. Omnipotentiam Patris

Creatio Patris prodijſſe , & creâſſe quædam in
Mundi eſt immenſa magnitudine, uti cœlorum or-
opus om- bes , terram , mare , montes &c. Alia
nipotentiz verò innumerabili multitudine , nimirum
Dei. ſtellas , plantas , volucres , piſces ,
 animantia &c. Ac omnia quidem ſo-
Et Sapien- lo verbo : FIAT. 2. Sapientiam dein-
tiz, de Filii omnia pulcherrimo ordine di-
 ſtinxiffe , & ſeparâſſe ab invicem ter-
 ram , ignem , aquas , aerem , montes ,
 valles , regiones ; assignando aerem vo-
 lucribus &c. cum admirabili varietate ,
 & mutua dependentia. 3. Bonita-
Et Bonita- tem S. Spiritûs omnia largiſſimâ bene-
tis. dictione repleviſſe ; terram , ut fructus
 copioſè proferret &c. Aquas ; ut piſ-
 ces , gemmas &c.
Admiratio- O millies adoranda , tremenda , & ab om-
nis affectus nibus creaturis glorificanda majestas
quàm magnificata ſunt opera tua Domi-
Psal. 91. *ne? omnia in ſapientia feciſti , impleta eſt*
terra poſſeſſione tuâ. Benedicite omnia
Cant. Pu- *opera Domini Domino &c.*
er. Dan. 3. *punct. II. Conſid. SS. Trinitatem*
 inito quaſi altero conſilio 1. creâſſe in-
 numerabilem cœleſtium Spirituum mul-
 titudinem , omnes puriſſimos , lucidiſ-
 ſimos , velociſſimos , ſapientiſſimos. 2.
 Illos diſtinxiffe in novem Choroſ tan-
 quam ſuæ Majestatis Familiares , Affi-
Angelo- ſtentes , Milites , Legatos , Miniſtros ,
rum crea- Officia
tio; iacob.

Officiales. 3. Omnibus proposuisse Filium Dei quasi incarnatum, ut adorarent, & tali actu gloriam æternam mererentur. 4. S. Michaële id cum suis sequacibus faciente, Luciferum ex superbia, inobedientia, & propria voluntate cum suis complicitibus id renuisse, & sic rebellionem excitasse contra Deum. 5. Primos fuisse confirmatos in gratiâ, & gloria; istos ad æternos ignes deturbatos.

dientia;
lapsus.

O Altitudo divitiarum, sapientia & scientia Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus! ergò Lucifer ille, qui oriebatur uti sol, cecidit? & tertiam partem stellarum secum abstraxit? ô casum terribilem! Va terra, & mari! qui descendit Diabolus ad vos habens iram magnam. O pessimum omen!

Affectus de-
plorationis
& timoris

Punct. III. Consid. SS. Trinitatem post hæc ita deliberasse: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram:

& 1. formasse ex limo statuam carneam omnibus membris pulchrè compositam. 2. Suo anhelitu insufflasse animam immortalem cum suis potentiis, ac dotibus omniscientiæ, sapientiæ, gratiæ, & immortalitatis. 3. Homini potestatem super omnia creata dedisse. Ac 4. ipsi pro ultimato fine seipsum æternaliter possidendum statuisse.

Adami
creatio.

C

hoc

hoc tanquam præceptum imposuisse, Deum creatorem suum laudandi, amandi, ei obediendi, ac serviendi: idque sub spe præmii æterni; & econtra, sub pœna mortis corporis, culpæ, animæ, & damnationis perpetuæ.

Affectus
detestatio-
nis ingrati-
tudinis.

Ah! quàm leve hoc præceptum! quis reluctetur? serviunt ipsi homini ad necessitatem elementa, plantæ, bestię; ad delectationem verò fructus, & volucres &c. Omnia autem Deo obediunt, & solus homo, pro ejus amore, favore & comodo omnia creata sunt, solus, solus iste recalcitret? iste se contra suum Dominum & pientissimum Patrem diabolicæ factionis complicem faciat? & ipsemet ego fuerim, ac sim talis? ego Deo meo non obediam, non serviam, non laudem, non amem? O indignitas, ô pudor! ô facinus mille gehennis plectendum! O Domine mi! quantum me nunc pudet enormis istius ingratitude-
nis.

Fruetur.

Ac sanè sic deinceps non erit: sed attento, quòd præ aliis creaturis peculiarem tibi portem servitutis militiam, promptè, fideliter in timore, & tremore servire cupio, & obedire ex animo, tuæque laudi, amori, & opere nihil unquam præponam.

Collo-
quium.

Rogo te igitur, ô SS. & Individua
Trini-

Trinitas, per omnipotentiam, sapientiam, bonitatem, & misericordiam tuam &c. digneris mihi gratiæ tuæ largissimam benedictionem conferre, ut ad te unicum meum, & excellentissimum finem, ac tuum honorem, & gloriam semper dirigantur omnes meæ cogitationes, eloquia, & opera. Per Jesum Christum Dominum nostrum, Amen. Pater noster. Ave Maria.

DIGRESSIO I.

De iniquâ MUNDI erga Deum ingratitude, stultâ Vanitate, & intima Essentia seu qualitatibus ejus Exenteratione.

THE OPHOBUS.

(I.)

Lubeat vobis, perlustratâ jam totius universi creatione, per præsentem digressionem matutinam quaquaversum mecum excurrere, circumspecturis primò, quàm præposterè, iniquè & stultè excœcari Cosmophili suavissimâ ac regiâ servitute suo ter Opt. Creatori mille titulis debitâ, sed millenis vicibus & ultra impiè denegatâ; aut putidæ carni, aut Mundo perfido, ipsique aded execrando dæmoni, Numinis & hominis

Mundani
reliq̄to Deo
diabolo
servientes.

C 2

inter

internecino hosti, & crudelissimo suorum sequacium tyranno, pro mercede sempiternæ maledictionis & carnificinæ se mancipient. Et quamvis *pro secundo* in hac excursione nobis ad oram maritimam immanissima quædam bellua marina ductis latè faucibus ad vos devorandos sit occursura, maecti nihilominus animo estote; ego enim apprehendam branchiam illius, & omnia interiora ejus exenterabo, ut de excerpto ejusdem felle salutare contra humanam cœcitatē collyrium præparem.

Tob. c. 6.

*S. Bern.
serm. 3.
Pentec.*

*Attributa
Dei ex
mundi
creatione
elucet.*

II. Tria, inquit, Sanctissimus ille Clarævallis Archimandrita, in magno hujus mundi opere cogitare debemus; videlicet quid sit, quomodo sit, & ad quid sit constitutus. Et in esse quidem, rerum Factoris inæstimabilis potentia commendatur, quòd tam multa, tam magna, tam multipliciter, tam magnificè sunt creata. In modo, ipsa sapientia singularis elucet, quòd hæc quidem sursum, hæc verò deorsum, hæc in medio, ordinatissimè sint collocata. Si verò ad quid factus sit, mediteris, occurrit tam utilis benignitas, tam benigna utilitas, quæ etiam ingrattissimos quosque ex multitudine, & magnitudine beneficiorum possit obruere: potentissimè (siquidem ex nihilo) omnia; sapien-

sapientissimè pulchra ; benignissimè utilia sunt creata. Veruntamen præposita hominum studia cuncta sus - de-
 que vertentia ita creaturarum finem , ac
 ordinem pervertunt , ut in bonis inferioribus sensibilis hujus mundi , jumentorum more totà sensualitate depressi inhiant iis , quæ facta sunt , *Quonam modo , vel ad quid facta sunt* negligentes. Grunnientium sanè animalium simillimi , quæ glandibus ex querco decussis pronò & avidissimo rictu ad abdominis sui impinguationem ac velocem interitum inhiantes , nunquam sursum ad deicientem patronum oculos reflectunt.

Mundani
 ista non
 curant.

Porcis similes.

III. Quid istos nisi ingratiſſima capita , quid , nisi bruta animantia , & miserima carnis , Mundi , ac dæmonis mancipia vocemus , homines phrenesi deliros , fascino præstigiatos , suæque amplius rationis minimè compotes ? quibus inclamat mundus , ego deficio ; caro clamat , ego inficio ; diabolus clamat , ego decipio ; Christus verò clamat , ego reficio , & tamen eorum superba mens magis vult sequi deficientem , inficientem , decipientem , quàm reficientem , salvantem , & vivificantem in vitam æternam. O verè stultos Cosmophilorum labores , sudores , algores , sollicitudines , &

Idem S.
 Bern. in
 serm.
 Percuris
 inhærent.

curas pro honoris fumo , pro voluptatum filiquis , pro pugillo hordei , pro lentis edulio , pro exhalatione terræ , pro aëris tenuissimo vapore , imò omnium vanitatum inanitate & nullitate coacervandâ.

Omni-
um
rerum
mundano-
rum nulli-
tas.

A Salomo-
ne agnosci-
tur.

Eccles. 1.
& 2.

IV. Nostis , Mundum cum omni sua substantia rotundum esse instar litteræ O. multiplicet ergo Mundi sectator centenos nominis , honoris , dignitatum ac laudum titulos ; centuplicet palatiorum , hortorum , fundorum ac terrarum possessiones ; pascatur omnibus excogitabilibus gulæ , sensuum carnis & aqualiculi deliciis , addat , accumulêque integros aureorum aggeres &c. qualem , obsecro , quantumve ex omnibus conflabit numerum nisi merissimam nullitatum ○○○○○○○○○○○○. seriem , sine ulla numericâ vel unicæ unitatis substantiâ ? Irrefragabile est Salomonis pro hac veritate testimonium , qui omnes omnium rerum naturalium infusas scientias , omnem oculorum , sensuum & cordis deliciarum affluentiam , innumerabiles gemmarum , auri , argentiq̃ue thesauros , ipsosque etiam bis mille & quadringentos milliones sibi à Patre relictos supputare conando , non plus reperit , quam meras vanitatum vanitates , nullitatumque myriades. Quod nobili genero-

nerositate Godefridus Præmonstraten-
 sis Ordinis Religiosus Friderico Impera-
 tori omnia suorum ædificiorum, sup-
 pellectilis, argenti, auri, gemmarumque
 cimelia jactabundè ostentanti in faciem
 rotundo ore edicere non dubitavit, se
 pro ijs omnibus non putris calami
 pretium daturum. Verè igitur inanis &
 stulta, insatiabilis & canina est mun-
 danorum sollicitudo, pro rodendis his
 ossibus, pro quibus tot invicem morli-
 bus & latrantibus contendunt.

V. *Vidi*, (ait supra memoratus Ab-
 bas in mundi stultissimam vanitatem,
 suorumque assecularum desideria Laco-
 nicè declamans) *Vidi ego aliquando quin-
 que viros; quid nîphreneticos arbitrer?
 primus siquidem (Avarus) buccis tumen-
 tibus marinam masticabat arenam. Se-
 cundus (Luxuriosus) sulphureo astans la-
 cui, exhalantem teterrimum, fædissi-
 mùmque gestiebat haurire vaporem.
 Porro tertius (Iracundus) fornaci incu-
 bans vehementer accensa, micantes scin-
 tillas hiantibus excipere faucibus lata-
 batur. Quartus (Superbus & ambitio-
 sus) supra pinnaculum templi residens
 levioris aure spiritum aperto attrahebat
 ore. & si quò minùs influere videretur,
 flabello sibi ventum ciebat, ac si totum
 speraret aerem deglutire. Quintus seor-*

B. Godefri-
 dus regia-
 rum opum
 contemptor
 Polland. in
 Vit. 15.
 Apr. n. 2.

Visio S.
 Bernardi.
 In declam.
 sup. verb.
 Ecco nos re-
 liq. omn.
 De avaris.

Luxuriosus.

Iracundis.

Superbis.

Invidis.

simpositus ridebat ceteros, ipse quoqueri-
dendus, & maximè; proprias enim carnes
Invidiosus) incredibili quodam studio su-
gere laborabat, nunc manus, nunc bra-
chia, nunc alias partes applicans ori,

Mundano-
rum inlatia-
bilitas.

Quo paradigmate subtilissimè Alumno-
rum mundi insanias describit, qui sen-
sualium rerum fame, passionumque in-
domitarum phrenesi laborantes quasi
porcorum siliquis ventrem implere sa-
tagunt, nec possunt. Vnde rectè, vir
Dei spiritu plenus singulorum facies ma-
cilentissimas esse contemplatus, munda-
næ miseræ sortem deploravit.

Mundus
marinæ
belluz
compara-
tus.

VI. Mirati estis & detestati manci-
piorum Mundi stultitiam & immanem
contra Opt. suum Creatorem ingratu-
tudinem; nunc agite, & eam, quæ hîc
oculis nostris occurrit, monstruosum ca-
put ex infernalibus abyssis attollens,
belluam (iplissimum *MUNDVM*) fœcu-
lentissimas infinitarum turpitudinum,
fallaciarum, perfidiarum, latrociniorum
& sacrilegiorum procellas despuman-
tem, aggrediamur, & exenteremus.
Ac primò quidem à capite sive fallaci
MUNDI ingenio incipiendo, nemo uti-
lius illud penetravit, nemo clariùs
illud agnovit, quàm Petrus Gonzalez in
Immundum porcorum volutabrum casu
inopinato dejectus. Is pari nobilitate
& di-

Petrus
Gonzalez
mundi
Alumnus.

& divitijs, quàm mundanâ vanitate & Polland.
 levitate spectabilis Canonicus Astorgæ in vit. 5.
 in Lusitaniâ dum aliquando in sacris Apr. n. 16.
 Christi Natalibus contra sui statûs Ec-
 clesiastici decorem cincinnatus, cala-
 ministratus, ac pomposis vestibus indu-
 tus, altâ cervice, erectis supercilijs,
 capite velut ad astra protenso in empto
 generoso Bucephalo, & urbem & vi-
 cos, plateas ac pagos ad vanam ostenta-
 tionem & captandum popularem plausum
 obequitabat, in medio alicujus rustici
 pagi, vidente confertissimâ rusticorum
 & plebis turmâ, à suo cespitante equo in
 profundam fœdamque suilis volutabri fos-
 sam excussus fuit Unde porcorum more
 turpissimè sordidatus hic nobilis Eques
 altissimis puerorum & villicorum cachin-
 nis ac sibilis confusus, rabiéque perfusus
 dixit: siccine perfidissime Munde tuos
 clientes in sterquilinia dejicis? Itâne tuos
 nobiles Thrasones infirmorum hominum
 ludibrijs illudis? Juro tibi, si te hodie non
 abjurem: Dixit, & domum reversus è ster-
 quilinio ad purissimum S. Dominici Or-
 dinem sine morâ transvolans, Mundo
 propudiosè ludenti generosè illudit, &
 in virum miraculis clarum evasit.

In cloacam
 ab equo ex-
 cutitur.

Ord. S. Do-
 minici in-
 greditur.

A ventre dissecto istius bestię, & Polland.
 fœcibus excrementorum Mundi exen- de S. Ina.
 terationem fecit Ethelburga Inæ Regis 6. Feb. n.
 38.

Ethelburga
Regina
ostendit
marito
mundi
fœditatem.

Ipsa cum
ipso Ord.
S. Benedi-
cti assumit.

Mundus est
carnifex
suorum
amarum.

Angliæ conjunx : quæ cùm crebris adhortationibus maritum Regem ad Mundum & carnis spurcitas contemnendas persuadere non posset, eidem aliquando totum suum Regium conclave, in quo pridie regali magnificentiâ epulatus fuerat, stupendo ausu circumquaque recentibus bestiarum stercorebus illitum, imò & pretiosissimum conjugalem lectum impositâ porcâ recenter suos fœtus enixâ, fœdissimè conspurcatum ostendit, atque sub his olidissimis delineamentis pomparum mundi speciem exhibendo, maritum salubri horrore concussum permovit, ut unâ secum regno & regalibus abdicatis, regia paludamenta cum Cucullo Benedictino permutarit, inter Beatos postea accensitus.

VII. Videtur etiam accommodè prænominatam exenterationem à cervice & collo incepisse, quisquis *MUNDUM*, truculentum carnificem appellavit, qui suos Amatores & Patronos per honores, opes ac vitæ blandimenta quasi per totidem scalarum gradus, avertis oculis in sublime ducendo, ad furcam jugulat, & à scalâ sublimitatis ac fortunæ dejectos pedibus calcât; aut eorum oculos subro alicujus æstimationis humanæ pileolo obvelans, ne imminente cervici solitæ mundanæ perfidiæ

diæ machæram advertant , dum longiorem vitam promittit , illicò vibrato ictu caput obruncat.

IX. PHILOTH. Tua Theophobe suspendij & carnificinæ similitudo , aliam non dissimilem mihi in mentem reducit , viguisse nimirum hunc in Persiâ , morem , ut è captivis selectiorem sibi in Regem constituerent , quem regio sceptro ac diademate ornatum , opiparis quotidie lautitijs saginabant , & aliquanto mensium spatio totius populi homagijs adoratum , in festo denique SACCORUM nuncupato , furiosè arripit , flagellisq; concisum suspendio publico necare solebant. Num & MUNDUS cum suis albæ gallinæ filijs talem ludit catastrophem?

Dio orat.

4. de regn.

Pers.

Perle Regem impingunt.

Postea suspendunt.

X. MONOPH. Talem prorsùs per omnia, imò multò deteriore, uti tu Philothee in medio adhuc mundani hujus theatri spectator, talia quotidie sibi succedentia intueris exempla Virorum, quos Mundus etiam in vitos sibi servire cogit, dumq; aliquandiu illos honoribus extulit beneficiis apparentibus affectit, subitò per calumnias circumventos, persecutionibus & odijs attritos, aut alio miserabili fortunæ casu dejectos, in extremam bonorum, honoris & corporis perniciem præcipientes trudit. Unde & ego Philothee talem

Mundus ingratus sic carnifex suorum.

Ejus fallacia-

talem Mundi Genium expertus , tandem propitiante Numine à laqueis ejus extricatus agnovi , quàm sint vafra ejus consilia , quàm fallaces servitutes , calida blandimenta , viscosæ persuasiones , inania ejus promissa , fucati favores pestiferi amores , & quàm truculentæ , implacabiles , & efferae ejus persecutiones , vindictæ , rancores.

Mundi fructio amarissima.

XI. THEOPHOB. Congruentissima subjecto nostro attulistis uterque , sed quia hæc magis exteriorem Mundi faciem & morem usitatum repræsentant , interiora monstri istius penitus scrutando , prò quanto etiam in genere entis eruitur amarissimi fellis copia ! quantum turgent in genere mortis , pestiferi veneni intestinum ! Deum immortalem ! quanta sequitur perceptæ dulcedinis nausea & amaritudo ? quam gravis post delicias & divitias accumulatas spiritûs afflictio ? quæ intolerabilis malæ conscientia laniena ? qualis myriadum animarum mundi legibus & moribus confœderatarum incantatio , intoxicatio , pestis , interitus , & æternum irreparabilis ruina ? Sed quid mirum ? siquidem inter mundanos ubivis locorum , tot reperire est infandas flagitiorum enormitates , obscœnitatum occasiones , peccandi pericula , turpitudinum

Scelerum mundi sententia.

cori-

choriphæos , improbitatum complices ,
 scelerum socios , ac pudendorum faci-
 norum antesignanos ; quibus pro sancto ,
 & inviolabili Numine est , corporis
 aqualiculum curare , dies , noctesque
 pergræcari , effræni licentia non nisi
 Baccho & Veneri litare. Quibus dico,
 Decalogus est : Orthodoxam fidem
 pseudo - policismo & sathanici Machia-
 velli nequitijs adulterare , sanctissimum
 Dei nomen sacrilegis blasphemijs pro-
 fanare , Sacramentorum honorem dia-
 bolicis linguis proscindere , vindicare
 duplicatas injuriis injurias , irridere sim-
 plicitatem , sanctitatem , & justitiam ;
 calumniis innocentiam circumvenire ,
 lacerare proximi famam , virtutem , & ve-
 ritatem exterminare , virginalem denique
 & maritalem castitatem arte , vel Marte ,
 militiâ , sive blanditiâ , amore , aut furo-
 re expugnatum ire , ut , *qui in sordibus
 est , sordescat adhuc* , omni immundi-
 tiæ cœno immerfus. Hæc sunt Epicu-
 ræ mundi Philosophiæ axiomata , in qui-
 bus ipsius *universa lex pendet , & Pro-
 pheta.*

Flagitiosus
 mundi De-
 calogus.

XII. PHILOTH. O salubre ex
 tot spurcitijis , felle & toxico confectum
 oculis meis collyrium ! Utinam daretur
 & mihi vel ex hoc fluctuantis Eurippi
 pelago ad Religionis portum eluctari ,

ANT

aut saltem evadere, heu! commune ni-
mis mundanorum naufragium.

Malitiæ
mundi de-
scriptio.

THEOPH. Vtrumve malis; tuo
stat arbitrio, aut eluctari velle è flucti-
bus ad portum, aut evadere saltem
naufragium, si sæpius dicto utens col-
lyrio mundum considerabis, non qualis
apparet in larvâ, sed quis & qualis est
in se; deprehendes enim, esse omnis
fraudentiæ conciliabulum, omnis ne-
quitix barathrum, omnium turpitudi-
num cloacam, omnium confusionum
chaos, omnium flagitiorum armamenta-
rium, omnium monstrorum Chimæram,
& crudelem ex capitibus Leonis, Lupi,
Vulpis, Canis, Porci, Draconis, & Ti-
gridis Hydram, Cerberum triveneficum,
præstigiatorum, omniumque instructis-
simam ad animas perdendas dæmonum
officinam. Ut proinde æterni Verbi in-
carnati irrefragabili veritas pro omni-
bus prædestinatis orans, per publicum
sui Archi-Cancellarii eductum protesta-
ta sit, *non pro Mundo rogo*; quasi famoso
omnium casuum reservatorum, ac cen-
surarum, suspensionis, interdicti, irregu-
laritatis, & excommunicationis Reo
probato, convicto, iudicato, con-
demnato, denunciato & contumaciter
inforDESCENTE: ideoque ab omnibus &
quibuscunque fidelibus sub pari ana-
thema-

Joan. c. 17.

Mundus
est excom-
municatus,
cum suis
affectis.

thematis, æternæque maledictionis reatu,
& latæ sententiæ pœna tantoperè vitando,
ut *qui solummodò dixerit illi AVE,*
communicet operibus ejus malignis. Hæc 2. Joan.
de mundo in tuæ salutis & cautelæ, Ô *PHI-*
LOTHEE gratiam. A prandio pro *MO-*
NOPHILI solatio, de incomparabili
Religiosi statûs felicitate agemus. Nunc
ad alteram de Redemptionis humanæ per
Christum beneficio meditationem vos ac-
cingite.

MEDITATIO II.

De lapsu Hominis, & universali re-
medio Incarnationis Filii Dei, ac
Redemptionis humanæ.

Succinctis ergo fide, vel observantiâ bo-
norum actuum lumbis nostris, &c pas-
sionibus Christi per patientiam partici-
mus, nihil amoris ejus præponere (tentan-
tes,) ut regni ejus mereamur esse confor-
tes.

Ex Prolog.
Reg. &c.
4. instru-
ment. 21.

PRÆLUD. Imaginare tibi, ex subito,
novo, & insperato casu gravissimilapsûs
totius humani generis, convocari quasi ad
dictam, totam curiam cœlestem, ad con-
sultandum de remedio.

Punct. I. Consid. Adamum aposta- Lapsus
tantium Angelorum suasu, parem ino- Adami
bedientiæ contra Deum rebellionem cum conse-
movif- quentis.

movisse , tractâ secum omni posteritate , ut non esset , qui faceret bonum , non usque ad unum. Cainum fratricidam impiæ cohortis antesignanum ; inde Babylonicæ turris gigantes , luxuriosos Sodomitas , omnesque idololatrias , blasphemos , sacrilegos &c. contra Deum insurrexerunt. 3. Sed à divinæ potentia , & justitiæ manu , omnes , nullo excepto , æternis ignibus fuisse destinatos.

O vesana ingratitude ! ausine sunt vilissimi pumiliones contra Dei Majestatem insurgere , & dicere : *Si est scientia in excelsis* ? ô anima mea , nunquid & tu cum rebellibus per peccata tua aliquando steristi ? examina seridò teipsam.

Psal. 71.

SS. Trinitatis consilium de re medio.

Actio inter Dei Misericordiam & Justitiam.

Punct. II. Tantam stragem miserata S. S. Trinitas , comitia in cœlis habuit de recuperanda homini salute. 1. Proposuit Misericordia , humani generis Advocata suæ infinitati conveniens esse , si concederetur generalis amnestia , & absoluta remissio. 2. Opposuit Justitia , gloriæ Dei Advocata , hoc repugnare divinæ authoritati. 3. Spondit misericordia satisfactionem per aliquem Angelum , vel hominem sanctissimum ab Adamo independentem. 4. Replacavit Justitia , nullam talem satisfactionem

nem fore condignam. 5. Pro justitia stabat Pater æternus, pro misericordia Spiritus S. & tunc lite quasi pendente, Filius Dei tanquam Arbiter: *Omne enim iudicium dedit ei Pater in manus suas*: Ipon-
te sese obtulit ad plenissimam satisfactionem, per Incarnationem, & passionem suam. Unde hæc fuit acceptata, acclamata, decreta.

O ter amabilissime JESU Fili Dei! *Affectus.*
quid erat homo in oculis tuis, ut memor esses illius? nunquid bonorum ejus indigebas? ô mira dignatio! an non potius prævidisti passionis tuæ oblivionem, contemptum, & sanguinis conculcationem? & tamen te obtulisti? ô ineffabilis bonitas &c.

Punct. III. Confid. Majorem adhuc amoris Filii Dei erga humanum genus excessum. Nam 1. Incarnationem maturavit per legationem Angelicam ad **MARIAM** Virginem. 2. Homo ex homine nasci voluit. 3. Pro homine labores à juventute, itinera, fatigationes, jejunia sustinuit. 4. prædicationem, & vitam pro homine consummavit per mortem humillimam; ignominiosissimam; dolorosissimam &c. ac ita pro omnibus, ac si pro singulis, ut pro cunctis abundantissimè satisfaceret, infinito sanguinis sui pretio, cum suf-
D fecif-

*Amor Filii
Dei ex In-
carnat. &
circumsta.*

fecisset unicum suspirium, vel una lacrymula &c.

S. Ansel.
lib. medit.
c. 1.

Affectus
admiratio-
nis bonita-
tis Dei.

O amoris prodigium ! hominem Deum, velle damnari usque ad omnem sanguinis sui effusionem cum latronibus, ut salvaret hominem damnatum cum dæmonibus ; Deum hominem animam emittere, animam innocentem in tormento, ut innumerabiles animas nocentes extrahat ex inferno. Ah Jesu mi Salvator ! expectabas forsitan ex tantâ tuum humiliationem pro tam amarâ passione & morte aliquod à me servitium, laudem, amorem, & perpetuam gratiarum actionem ? O Ingratissimum me ! qui potius pro immenso hoc beneficio infinita tibi peccatorum meorum rependi maleficia.

Psal. 136.

Nunquid non erubescas anima mea, quidquam magis aliquando æstimare, quàm JESVM ita extremè te amantem ? Absit procul, ô piissime Domine ! sed potius oblivioni detur dextera mea, si non meminero tui, & cum fide, & observantiâ bonorum actuum, me tibi gratum exhibeam, ut tuis passionibus patientiam participare, & regni post mortem consors esse merear.

CON.

CONSIDERATIO I. ANTE-
MERIDIANA.

De Agnitione Beneficiorum Dei. Ex

Joanne Gersen Ordinis S. Benedicti
Abbate Vercellensi de Imitat.

Christi l. 1. c. 10. n. 1. 2.

Nunc iterum loquar Domine, & non
silebo. In hoc maximè ostendisti mihi
dulcedinem charitatis tuæ, quia cum non
essem, fecisti me, cum errarem longè à te,
reduxisti me, ut servirem tibi, & praece-
pisti, ut diligam te. Quomodo potero tui
oblivisci, qui mei dignatus es recordari,
etiam postquam contabui & perii?

CONSID. II.

De obsequio Servitutis, & Laudis
Divinae.

Quid dabo tibi pro omnibus istis milli- Joan. Gers.
bus bonis? Utinam possem tibi servi- ibid. n. 4.
re cunctis diebus vitæ meæ! utinam vel
uno die dignum servitium exhibere suf-
ficerem! Verè tu es dignus omni servitio,
omni honore & laude aeternâ. Verè Domi-
nus meus es, & ego pauper servus tuus, qui
totis viribus teneor tibi servire, nec un-
quam in laudibus tuis fastidire. Sic volo;
sic desidero: quidquid mihi deest, tu digne-
ris supplere.

D 2

DI-

DIGRESSIO II.

De elogiis, eminentiâ ac summa & sola in terris Religiosi statûs beatitudine.

THEOPHOBUS.

(1.)

Vifio S. Anselmi de qualitate mundi.

Tilman.

Breden. col. Lat. Sacr.

L. 8. c. 34.

Mundus est cloaca omnium sordium.

Hodiernæ Divi Bernardi de mundi sectatoribus visioni non abfimilis alia refertur à clarissimò illo Benedictini Ordinis, & Orbis universi Lumine Anselmo Cantuariensis Ecclesiæ Archiepiscopo, in hunc sensum ab Auctoribus conscripta. Vidit B. mus vir totâ aliquando mentis intentione ad contemptum mundanæ vanitatis compositâ, in solo rerum divinarum studio defixus (infirmitate, quâ tenebatur, non nihil remittente) fluvium rapidum vorticibus, & præcipitio furioso tremendum, in quem omnium immunditiarum purgaturæ, cloacæ, atque sentinæ sortium totius orbis exonerabantur. Vifæ igitur sunt aquæ illius turbidæ, fæculentæ, immundæ, fœdissimam mephitim exhalantes, omnique spurcitiarum genere horridæ; totòque rapiebantur impetu quaquaversum, ut quos vel leviter

viter alluebant, mox in voragines devolutos, viros, fœminas, senes ac juvenes, divites, inopésque secum vehabant immerfos: rursumque eosdem refundebant in altum, nullâ interpolatâ quiete. Stupenti nimirum Anselmo, & interroganti, quid hoc spectaculi portenderet? vel unde etiam gens illa fluctuans tamdiu sustentaretur, aut sitim restingeret? vox allapsa respondit: ex ipsa eadem, quâ trahatur, sordidissimæ aquæ illuvie non potari tantum, sed etiam mirum in modum tanquam ambrosiâ, & nectare delectari, imò quemque eorum tantò se feliciorem reputare, quantò vel profundius in illis lacunis innare, vel exuberantiùs ibi se ingurgitare, vel polluere fœdiùs, aut alios, immergendo se, citiùs, prævertere queat. Hunc enim torrentem, mundum esse spurcitiis plenissimum, qui non alio, quàm graveolenti voluptatum, divitiarum, atque honorum fœce suos potare soleat, & tanquam opi parâ, & felicissimâ sorte contentos, inescare.

Mundanor.
fitis spurcissima.

Felicitas in
cloacis.

II. Huic tetricæ visioni successerat alia longè suavissima: sibi enim videbatur constitutus esse in spatioso, & amœnissimo loco, quem purissimus aër leni murmure perflabat, muris ex ar-

Visio ejusdem de felicit. statu Religiosi.

gento fabrefactis circumdato ; in cujus meditullio pullulabant herbæ virentes, quasi inauratæ, molliter ad præbendam sessionis quietem se inflectentes, rursumque sua sponte sine decoris, aut viroris jactura se elevantes; percontanti, æquis tantarum deliciarum paradyfus foret? responsum fuit, hoc esse verum Religiosi statûs archetypon, & figuram.

Ejusdem
symbola
ex S. Script.

S. Bern.
serm. 46.
in Cant.

Petr. Cell.
Ab. lib. de
discipl.
claustr. c.
15.

III. Et sanè meritissimo jure ; nam omnes inter hominum status solus Religiosorum est hortus conclusus, cujus emissiones paradyfus ; Lectulus floridus, ubi exemplis, & institutis Patrum, tanquam quibusdam bene olentibus resperfa floribus Fratrum conversatio, & vitarefulget. Est Bonæ Spei promontorium, pons securitatis, arca salutis, mons salvationis à Sodomæo incendio, mons Thabor novæ transfigurationis, Thesaurus absconditus Ecclesiæ, margarita pretiosa Evangelicæ perfectionis, regnum cœlorum in terris, quod violenti rapiunt, & denique refertissimum in sua paupertate gazophylacium ; in quo singuli psalmi, preces, confessiones, lacrymæ, singula suspiria, jejunia, corporum mortificationes, laborum afflictiones singulæ aceruum conflant, super omne totius mun-

mundi aurum, & topazion prorsus inestimabilem. Vnde inter dictorum B. Egidii locii S. Francisci Seraphici oracula & illud refertur, Religionis statum intrare, esse pretiosum invenire thesaurum.

Religio est thesaurus.

IV. MONOPH. Prô pudor & cœcitas pullorum mundi, qui velut anseres tam fœtentibus lacunis pronò se capite immergentes, rostrisque omnes cloacas avidissimè lustrantes & penetrantes vitæ suæ summam felicitatem, in depascendis & epotandis sordibus collocant; dum Religiosi, aut immunditiarum mundi contemptores, ex unico vero devotionis, vel amoris Dei actu intra cellæ, aut oratorii alicujus penetralia, sine arbitro oculo, sine sæculi strepitu elicito, plùs interni saporis, plùs cœlestis dulcedinis, plùs veræ felicitatis & satietatis animi degustent, quàm si omnium sensuum illecebris, omnium regnorum imperio, omnium honorum gloriâ, omnium divitiarum pretio, in unam quintam felicitatis humanæ essentiam redactis, aut colliquatis simul & semel potirentur ac fruerentur. Quod uberrimè in sanctâ Religione expertus est ille quondam sereniss. Gandiæ Dux Francisc. Borgias, qui, postquam Isabellæ Caroli V. Imperatoris pientissimæ

Mundano-
rum sordibus
da sitis,

Religiosorum
inter-
na dulcedo.

S. Fr. Bor-
gias.

Bzon. ad
annum

1532. n.
20.

Viso Isabel-
læ cadave-
re mundum
deserit.

Religionis
status unica
felicitas,
Caroli V.
gloriæ.

Religionis
status unica
felicitas,
Caroli V.
gloriæ.

Religionis
status unica
felicitas,
Caroli V.
gloriæ.

Religionis
status unica
felicitas,
Caroli V.
gloriæ.

Religionis
status unica
felicitas,
Caroli V.
gloriæ.

Religionis
status unica
felicitas,
Caroli V.
gloriæ.

Religionis
status unica
felicitas,
Caroli V.
gloriæ.

Religionis
status unica
felicitas,
Caroli V.
gloriæ.

Religionis
status unica
felicitas,
Caroli V.
gloriæ.

Religionis
status unica
felicitas,
Caroli V.
gloriæ.

ac formosissimæ in vita conjugis, defunctæ
cadaver aliò pro Regiâ sepulturâ trans-
vectum, tam horrendè deformatum,
ut absque præstito juramento illud esse
Imperatricis Isabellæ corpus, nec credi-
tum fuerit, tamque diram exhalans me-
phitum, ut nemo propiùs tolerando esset,
defixo oculo contemplatus est, ac inde
perspectâ cum horrore, mundi vanitate
& putredine Societati Iesu se addixit, de-
gustatâ solitariæ vitæ ambrosiâ in tales ra-
piebatur affectus, ut affirmârit *vitam Re-
ligiosam esse unicam in terris & sum-
mam felicitatem.*

V. PHILOTH. Caroli V. mentio-
nem faciens mihi refricas memoriam
nobilissimi illius quondam dicti & fa-
cti circa tam Mundanarum rerum va-
nitatem, quam felicitatem è contra vi-
tæ claustralis. Hic gloriosissimus Prin-
ceps post subacta Africæ regna, defen-
sas in Europâ provincias, prostratas ad
pedes suos coronas, humiliatas sublimi-
um cervices, fugato Solimanno poten-
tissimo Asiæ Tyranno, plantatas in Hi-
spania, Italia, Saxonia, Geldria, Pele-
poneso, & Tuneti altissimas tot victo-
riarum, quot commissorum præliorum
palmas, nihilominus cùm Bruxellis in
confessu omnium Ordinum Philippo se-
cundo regna committeret, illacryman-
do in

do in hæc verba erupit: *Compatior tibi fili mi, quia ingens onus humeris tuis impono, ego enim omnibus hisce annis, quibus illud sustinui, nunquam vel quadrantem unicum quietis & letitiæ, quæ multis curis & fastidiis permista & salsa non esset, obtinere potui. Quare sapientissime de solidiori felicitate sibi provisorus, abdicato omni Imperio & Mundo Monasticen amplexus, ejusdem prælibatâ dulcedine, dicere solitus erat, se plus voluptatis in suâ Monasticâ solitudine percepisse uno die, quàm ex omnibus suis victoriis & triumphis. At in quo, vel quibus, mi Theophobe, consistere potest, cum tanta Religiosæ vitæ austeritate, tam decantata felicitas & voluptas?*

Illacrymatur filio in traditione coronæ.
Cornel. d
Lap. in c. 10. Eccli.
Mundana fastidijs plena.
Apud eundem in Eccli. c. 10. litt. B.
Dulcedo solitudinis Religiosæ.

VII. THEOPHOB. Unâ imprimis Divi Bernardi sententia quæsitum tuum resolvo; ideo beatissimam esse talis vitæ sortem, quia ejusdem Professus *vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incidit cautiùs, irroratur frequentius, quiescit securius, moritur confidentius, purgatur citius, premiatur copiosius.*

S. Bern.
hom simile est reg. cœl.
hom negot.
Media salutis in Religione.

Vivit inquit, purius, dum enim in mundo inquinata sunt via illius in omni tempore, ita, sicut in magnis urbibus, Romæ, Parisijs, Pragæ sive ad dexteram, luti vitandi causa, sive ad sinistram declinare cupias, medio tamen spurcissimus ire compellêris; in Religione autem velu-

Mundi fœdes, Religiois puritas.

Media con-
tra lapsus
Religiosor.

Religionis,
virtutes.

Felicitas Re-
ligionis cur
mundo in-
cognita.

ti columba in arca Noe affectuum tuorum
pedes mundos conservabis. *Cadit varius
surgit velocius*, quia ubi multi per ex-
actam disciplinæ similitudinem, & mutuam
morum contemperationem coalescunt
quasi in cor unum & animam unam,
ibi quisque fratrum charitate subleva-
tur, seniorum consilijs dirigitur, æqua-
lium exemplis stimulatur, arguitur de
negligentiâ, probatur in virtute, om-
nes habet quos diligit, in omnibus vi-
det, unde proficiat, ab omnibus discit,
unde Deum glorificet? *Quiescit securi-
us, moritur confidentius &c.* siquidem
ubi jure sacrificium, commune chari-
tatis solatium, divinæ obsequium vo-
luntatis, silentij censura, timor Dei a-
ctiones dirigens, amor omnia opera
perficiens, obedientia viam monstrans,
castitas sensuum portis invigilans, &
concordia totum conventum ordinatè
disponens, suo quælibet virtutes mune-
re funguntur, quid nisi talem Religio-
nem, terrestrem Paradysum, cellam cœ-
lum, & summam in terris beatitudinem
omnibus sceptris, coronis, tyaris &
tri-regnis invidendam appelles? quam
si mundus agnosceret, nã ille totus cum
univerſo ambitu, attestante Divâ Scho-
lasticâ, in unum Cœnobium mutaretur.
*Hinc consultò Deus (ajebat S. Lauren. Ju-
stin.)*

stin.) gratiam Religionis hominibus occultavit, nam si cognosceretur ejus felicitas, omnes ad eam concurrerent.

Polland. in
vit. 8. Ja-
nu. n. 50.

IX. Agnovère sanè eandem illuminatissimo mentis oculo Beatissimi Patrum Patres Urbanus PP. II. SS. Gregorius Magnus, & Petrus Cœlestinus summi Pontificatûs apicem & gloriam humili Religionis statui postponentes, primus quidem ita ad Fratres Monasterij Cavenensis in regno Neapolitano Ord. S. P. Benedicti differendo, *Agitate fratres, quanta sit dignitas atque majestas Religiosi, quia licet in terris versetur, Cœlitum tamen Furateneq, & iam quodammodo in Beatorum numero collocatur.* Et paulò post: *Onus nostrum, inquit precibus vestris portate, & pietatis affectu vicem meam dolete.* Magnus verò Gregorius ita dolenter suam è Religionis cella ad Pontificium Conclave assumptionem deplorando. *Infelix animus meus meminit, qualis in Monasterio aliquando fuerit, nulla nisi cœlestia cogitare consueverit: at nunc post tam pulchram quietis sanctæ speciem terreni actûs pulvere fœdatur.* Perpendo, *quid tolero, perpendo, quid amisi.* Ecce nunc magni maris fluctibus quatuor, &c. & quasi post tergum deductis oculis viso littore suspiro. *Vix jam portum valeo videre, quem reliqui.* Quibus similia

Urbanus
PP. II. ex-
collit felicit. Reli-
gios.

Polland. in
Vit. S. Pe-
tri Caven
4. Mart.
n. 9.

S. Greg. M.
rememoras
felicit. sui
statûs Re-
lig.

Polland. in
Vit. 12.
Mart. n.
9.

S. Petrus
Cœlest. Pa-
patu reli-
ctō, ad cel-
lam redit.

lia altè animo revolvens S. mus. P. P.
Cœlestinus, suavissimum Angelorum
& Beatorum colloquium denuò deli-
baturus in priscâ suâ Monasticâ solitu-
dine, inaudito in Urbe & Orbe exem-
plo, sex mensibus in summo Pontifica-
tu expletis, eodem ultrò se abdicavit,
suamque in nemore cellam repetijt.
Ecce jam tantis authoritatibus canoni-
zatam statûs Religiosorum in terris bea-
titudinem.

Religiosa
Professio
est alter Ba-
ptismus.

S. Bern. de
præcepto
dispensat.
c. 23.
Votorum
obſervantia
præmiatur
martyrij
coronâ.

X. Superſunt ex præcitato (n. 7.)
melliſtui Doctōris textu duo verba, æ-
ternam etiam Regularium felicitatem
propius attingentia, videlicet *purgatur
citius, & copioſius præmiatur*. Quid enim
Religioso Regularum ſuarum observa-
tori, diu in altero mundo purgandum
remaneret, ubi ſacra ejus profeſſio in-
ſtar Baptiſmi ſecundi omnia anteactæ
vitæ peccata penitus abolet? ipſe om-
nes conſcientiæ ſuæ latebras quotidie
diſcutit? culpas ſuas & defectus vel in fo-
ro Capituli, vel S. Tribunalis hebdomæ-
datim, aut ſæpius expiat? atque per om-
nem vitæ ſuæ normam diſſimilis homi-
nibus, & Angelis verosimilis efficitur?
Sed quid ad copioſiorem in cœlis remu-
nerationem ampliùs deſiderari poſſet,
quàm Martyrij Laureola, devotæ men-
ti ob immaculatum Dei ſervitium de-
bita;

bita? paupertatis voluntariæ professio-
 ni promissa? Carnis afflictioni, libi-
 dinis expugnationi, & triumphis de
 mundo reportatis annexa? & promerita
 abnegationis suæ voluntatis ac prom-
 ptæ obedientiæ corona? qua B. Guilel-
 mus Clarævallis Abbas cuidam S. ma-
 fæminæ post suam mortem in pretio-
 sissima gemmis coruscante tunica appa-
 rens: aureoq; redimitus diademate dixit:
 hanc esse martyrij sui pro duris & per-
 fectis Ordinis sui observantijs Coro-
 nam, seque inter SS. Martyres peren-
 niter glorificatum. Concludamus igi-
 tur cum pijsimo Blofio ita loquente: *Bea-
 ti, quos Dominus ex mari magno & spatio-
 so, ex innumeris periculis hujus seculi ad
 portum Monastica conversationis trans-
 fert, ubi in Congregatione Monachorum
 regulariter viventium omnia plena pie-
 tate, omnia plena sunt suavitate.* Quæ
 qui frui potest, fruatur; qui fruitur de fa-
 cto sic frui perseveret; ut illa tandem per-
 enni dulcedine ac felicitate
 potiri merea-
 tur.



MEDITATIO III.

De divino inestimabili beneficio Vo-
cationis & Electionis ad Religionis,
ac Sacerdotii statum.

Text. Re-
gul. ex c.
72.

Est zelus bonus, qui separat à vitis, &
educit ad Deum, & ad vitam aeter-
nam: hunc ergo zelum ferventissimo
amore exerceant Monachi, Christo omni-
no nihil praponant, ut nos pariter ad vi-
tam aeternam perducant.

Exod. 14.

Prælod. Imaginare, quòd videas
Israëliticum populum sicco pede per ma-
re rubrum educi; Ægyptios verò omnes
submergi.

S. Bern.
serm 2. de
verb. Apost.

Punctum I. assignat S. Bernardus his
verbis 1. Deus prius creavit te. 2. Post-
hæc vehementissimo amore inflammata
Majestas redemit te. 3. Non verbi facilita-
te, sed triginta trium annorum labore, &

Beneficium
Vocationis.
ad Relig. &
Sacerdo-
cium.

morde Crucis in medio terræ. 4. De lata,
& spatiosa semita, quæ ducit ad mortem,
digito suo traxit te. 5. Et posuit in consi-
lio justorum & Congregatione ad digni-
tatem Angelorum, imò ultra omnes
Archangelos & Seraphinos, ad supre-
mam ipsius Augustissimæ Dei Matris (re-
spectivè) eminentiam, prærogativam ac
potestatem.

Psal. 110.
1.

Psal. 145.

Lauda anima mea Dominum, laudabo
Domi-

Dominum in vita mea, psallam, & benedicam Deo meo, tamdiu sum: Sacrificabo ei hostiam laudis, quia desiderium anime mea tribuit mihi. &c.

Punct. II. Consid. Sacerdotum & Religiosorum parem quasi cum dilectissimo suo Israëlitico populo felicitatem. 1. Ille eductus est de Ægypto, & tenebris ejus, hinc uterque de peccati & ignorantie tenebris. 2. Illi de durissimo jugo servitutis, isti de gravissima tyrannide mundi fœdæque servitute carnis. 3. Ibi prostratus est Pharaon, hinc cum affectis suis Diabolus. 4. Ibi subvertuntur currus Pharaonis, hinc carnalia & sæcularia desideria, & affectus. 5. Illi in fluctibus, isti in fletibus &c. 6. Ibi canticum, hinc Sacrificium gratiarum actionis refertur.

*S. Bern.
serm. in
Cant.*

*Comparatio
cum
Israëlitis,*

Ergò, ergò cantemus Domino, gloriose enim nobiscum magnificatus est; adorate eum, qui statis in domo Domini, in atris domus Dei nostri, facti enim sumus genus electum, regale Sacerdotium, gens Sancta, populus acquisitionis.

Exod. III

Pf. 133. 1.

1. Petr. 2.

9.

Punct. III. Hebræos in deserto fuisse Lege Dei donatos; à Moysse, & Aaron instructos; in igne & luce perductos; hostibus superiores effectos; & cœlesti manna refectos. Ita Religiosis, & Sacerdotibus 1. pro Lege sunt Regulae,

Aliæ comparationes,

læ, sive statua. 2. Pro Moyse superiores. 3. Pro luce & igne Sanctorum, & majorum exempla. 4. Crebræ, & generosæ, per Dei gratiam, victoriæ; & ineffabiles horum statuum animi dulcedines.

Affectus
pius pro be-
nific. talis
vocationis.

ô Deus ! cor meum & anima mea !
quid ego omnium tuarum creaturarum
indignissima merui, ut è tot hominum
millionibus, me in tuâ æternâ præscientiâ
speciatim & nominatim præelegeris, an-
tequam essem, ad tantam istius sacratissi-
mi statûs excellentiam & felicitatem ?
Et cum postea in hoc mundo esse cœ-
pisssem, tam suaviter & tam mirabiliter
à juventute meâ ad te attraxeris, tot
centenis meorum æqualium in igno-
rantiâ & ruditate, in mediis pericu-
lis, & malis occasionibus derelictis (qui
tibi aliàs in hoc meo statu longè ferven-
tius & purius inserviissent) O gratia su-
per gratiam ! ô incomparabile benefi-
cium !

Igitur ô benignissime Jesu susceptor
meus ! *suscipe me Domine secundum elo-
quium tuum, & vivam, & non confun-
das me ab expectatione mea ;* suscipe me
quotidie ad te currentem, & spiritum de-
votionis, atque fervoris renovare cupien-
tem. Accendatur obsecro in me sicut ignis
zelus tuus, timoris tui, qui me separet à
vitiis

vitiis; & amoris tui, qui me ad te perducat, ut nihil unquam præponam Christo meo, amori meo, Domino meo, ac Deo meo, & omnia &c.

CONSIDERATIO I. POMERIDIANA.

De digna *Æstimatione Religiosi, & Sacerdotalis status.*

O Grata, & jucunda Dei servitus, Jo. Gerf. h. quâ homo feraciter efficitur liber, & 3. c. 10. sanctus! O sacer status Religiosi & Sacerdotalis famulatus, qui hominem Angelis reddat equalem, Deo placabilem, demonibus terribilem, & cunctis fidelibus commendabilem! O amplectendum, & semper optabile servitium, quo summum promeretur bonum, & gaudium acquiritur sine fine mansurum!

Alcindo utriusque status.

CONSID. II.

De digna *Gratiarum Actione, & totali oblatione sui.*

O Fons amoris perpetui! quid dicam? quid retribuam tibi pro gratia ista? fecisti ultra omnem spem misericordiam cum servo tuo: & ultra omnem meritum gratiam, & amicitiam exhibuisti. Non enim omnibus datum est, ut sacerdotalem, vel omnibus abdicatis, monasticam vitam assumant. Ex nunc igitur desidero

Condigna gratiarum actio.

dero meipsum tibi in simplicitate cordis mei in spontaneam oblationem, in servum sempiternum, in obsequium & Sacrificium Laudis perpetuae offerre, & tuum perpetuo permanere.

Die Secunda.

De Recessu hominis ab hoc fine per peccatum.

MEDITATIO IV.

De solius hominis inter omnes creaturas inobedientia erga suum Factorem, & recessu à debito fine.

Text. Regul. c. 73.



Uis sermo divinae auctoritatis non est rectissima norma vitae, ut recto cursu perveniamus ad Creatorem nostrum? nobis autem desidiosus, & male viventibus rubor confusionis est.

Præ lud. Imaginare tibi duos Reges, Christum Jerosolymis residentem, & Luciferum in Babylone, leges conscribere, & milites conducere, omnes autem creaturas Christum sequi, solum hominem Lucifero adhærere.

Punct. I. Consid. In omnibus creaturis sensu, & ratione carentibus perfectis-

fectissimam erga Deum obedientiam, Omnes creaturæ Deo obediunt.
 etiam ad naturæ suæ contrarios effectus.
 1. Paret in aquis, tum Moyfi transitum, & Christo sese calcabiles præbuere. 2. In igne; qui contra naturam descendens, Sodomam combussit, & pueris in Baby-lonica fornace pepercit. 3. In ventis, & aëre ad imperium Christi sedatis. 4. In terrâ, mortuo Christi, concussâ. 5. In cete erga Jonam, in leonibus erga Danielelem. 6. In sole, luna, stellis, quibus præceptum lucendi, crescendi, minuendi, influendi posuit, quod non prætereunt, suo quælibet modo Creatorem benedicentes.

O quàm ergò conveniens! ut omnium creaturarum Dux, & Princeps, ipse homo, Conditorem suum laudet in operibus suis, in creaturis suis, & in factis operum manuum suarum &c.

Punct. II. Solum hominem tantâ Solus homo repugnat.
 ratione præditum, ad imaginem Dei creatum, tot beneficiis naturæ, & gratiæ affectum, per innumeras scelerum species Dei mandata prævaricari; turpissimam ingratitude, inobedientiam, & malitiam committere, D E U M offendere, contemnere, deserere, & persuasionibus diaboli adhærere, servite, & pro suo quasi Deo colere, & adorare, sicut Hebræi vitulum aureum.

Jer. 2. 12.

O scelus ! ô facinus ! *Obstupescite cœli super hoc, & porta ejus desolamini vehementer &c.* Cur non denuò inundat diluvium ? cur non ignis cœlo delabitur ? aut terra dehiscens absorbet tam ingratum caput ?

**Omnibus
creaturis
abutitur.**

Punct. III. Eò etiam audaciæ progredi hominem , ut 1. non solùm minimè illi sufficiat se erigere contra Deum, ac seipsum æternaliter damnare , sed etiam velit suorum scelerum socios habere, plurimos verbo , & factò scandalizando, seducendo. 2. Omnibus etiam sensitivis, & insensibilibus creaturis abutendo ad gravissimam Numinis offensam : delectabilibus ad inhonestates , utilibus ad superfluitates , prodigalitates , vel avaritias , necessariis ad crapulam, gulam, fastum , superbiam , aliaque peccata. 3. Ut propterea omnes creaturæ licèt innocentes , & obediens , in fine mundi concremandæ sint propter aliena peccata. 4. Descende hïc ad particularia circa te , vitamque tuam præteritam.

**Affectus indignationis
contra se.**

O insensate non expavescis ? quid de te fiet , quando insensata elementa tui causâ cremabuntur ? quomodo non omnia contra te justitiam , & vindictam inclamabunt , & contra te armabuntur ? eò quòd per impios abusus cœlestia

lestia , terrestria , spiritualia & sæcularia ,
temporalia & quævis alia creata profana-
veris.

Ergò ergò erubescere miser , animitus
dole, & revertere ad Deum per obedientiæ
laborem , & pœnitentiam , à quo per
inobedienciæ desidiam recesseras , assu-
me divinæ Legis rectissimam , quâ rectio-
ri cursu redeas ad Creatorem tuum , ne
tibi ingrato & malè viventi , aliquando
æternæ confusionis rubor contingat.

DIGRESSIO III.

*De enormitate peccati mortalis , ut est
aversio à Deo , & conversio ad crea-
turas , summusque summi Bo-
ni contemptus.*

(I.)

EXenteratâ heri manè belluâ marinâ Mortalis
peccati
symbolica
descriptio.
Mundi , longè ingentioris hodie mo-
lis opus aggredimur , anatomizandi vi-
delicet monstrum , terrestre dixero , an
potius infernale , horrendum , atrox ,
deforme , sævum , omni sphynge ,
hypocentauro , omni aspide , viperâ ,
basilisco , omni crocodilo , tygride &
dra-

E 3

dra-

dracone , imò omnibus inferni dæmonibus & Archidiabolis turpius , ferocius , truculentius , venenosius , detestabilius ; nempe Peccatum Mortale : quod à S. Joan. Chrysoſtomo Magnus Dæmon appellatum eſt.

II. Quamvis autem & te Philothee , téque Monophile , ab hâc Belluâ immanniſſimâ innoxiam hæcenus vitam duxiſſe , & multò magis deinceps ducturos eſſe confiſam , juvabit tamen illius monſtruoſam enormitatem in præſenti anatome vobis ob oculos ponere , tum propriæ cautelæ , tum lacrymabilis compaſſionis gratiâ erga tam innumerabilem miſerrimorum peccatorum multitudinem , qui andabatarum more cœci oberrantes & ridentes , in dilatatas dicti monſtri fauces irrunt.

III. Vix equidem primâ fronte cerni poteſt , quid ſit peccatum , cùm ſit mera privatio , negatio , aut merum illud : Nihil : quod factum eſt ſine Verbo , per quod facta ſunt omnia. Aut , ſi malimus ita definire cum Angelico Doct. eſt averſio à Deo , & converſio ad creaturas ; averſio planè miſera , converſio longè miſerior , miſerrima verò animæ ſe avertentis , & tam præpoſterè convertentis conditio. Averſio & Converſio heu ! quantum temeraria & veſava ab omnium

I. 2. q. 87.
Ejus definitio.

Averſio & converſio horrenda.

omnium corporis & animæ sensuum & potentiarum luce ad tenebras, à visu ad cœcitatem, ab auditu ad obstinam surditatem, à sanitate ad insaniam, à prudentia ad stultitiam, à bonâ fama & honore ad pudendam infamiam, à dulci filiorum Dei libertate ad tyrannicam mancipiorum dæmonis captivitatem. Aversio & conversio nimis phrenetica, injusta & iniquissima, à bonitate ad effrontem malitiam, ab omni devotione & probitate ad effrenem impietatem, à misericordia ad diram crudelitatem, à mansuetudine Christiana ad belluinum furorem, à cordis humilitate ad cervicosam superbiam, à pudicitia ad prostitutas libidines, ab omni virtutum genere ad omnem scelerum impudentiam, & procacissimam perversitatem, donec deveniatur ab hac ad consuetudinis usum, insensibilitatem, obstinaciam, impœnitentiam, desperationem, ac sempiternam maledictionum congeriem. Quid ad hæc vos in sacris Paginis versatissimi?

IV. PHILOTH. Hanc ipsam æquè injustissimam ac impiissimam *aversionis* insaniam sæpenumero insensatis hominibus exprobrant divinæ Scripturæ: exempli gratia *Elongaverunt à me: verte-*

Querelæ
Dei de istâ
aversione.

Jerem. c. 2.

E 4

runt

*runt ad me tergum, & non faciem: dixit
populus meus, recessimus; non veniemus
ultrà ad te: me dereliquerunt fontem
aquæ vivæ, ac pluries alibi; qualis sanè ex-
trèma quædam creaturarum rationabilium
dementia est.*

Infana con-
versio ad
creaturas.

Ier. c. 2.

Ose. e. 6.

Abren. c.

4.

MONOPH. Nec minor phrenesis; con-
vertere sese *ad fodiendas cisternas dis-
sipatas; ad bibendam aquam turbidam;*
ad comedendas fruges mendacij; ad am-
plexanda pro croco stercora; ad mastican-
dam maris arenam: ad deglutienda
levissima venti (honorum) spiracula;
ad inhiandum porcorum siliquis: ad
hauriendas sulphureas libidinum ex-
halationes, atque ad fodienda cum
talpis cubicula subterranea, ne peccan-
tes, tam vesanè se avertentes & ini-
quius convertentes ab eo, qui totus *Ocu-
lus est, videantur, juxta illud: Non vi-
debit Dominus, nec intelliget Deus Jacob.*
Sed num hïc enormis malitiæ ejusmodi
aversionis, ô Theophobe finis est?

Psal. 93.

V. THEOPH. Quis finem speret
in malo malitiæ, quod nec per ipsam
damnatorum æternitatis infinitatem in
infinitas sæculorum myriades extensam
terminari potest? Verùm, ut uno qua-
si halitu effundam, quidquid humana
mens de hoc subjecto supradictæ An-
gelicæ definitionis concipere potest;

Re.

Replico ; peccatum mortale , etsi non actu exteriori consummatum , sed solâ internâ deliberatâ , advertente ad gravem Dei offensam , adeoque voluntariâ cogitatione , delectatione , vel assensu commissum importare ingratham , injuriosam , impudentem , perjuram , perfidam & sacrilegam aversionem & conversionem à Magistro suo ad Judam , à sanctissimo & æterno Pontifice ad Caipham , à Rege Regum ad Herodem , à Jesu ad Barrabam , à Christo ad Anti - Christum , ab æterno Patre omnium Conditore ad Sathanam orbis Exterminatorem ; à Dei Filio Salvatore ad perditionis & diaboli filios , à Spiritu Sancto omnia vivificante ad spiritum nequitix omnia suffocante , à Deo solo Vno & Trino ad mille Deos falsos , adscititios , diabolicos , mendaces. Prò facinus nimis abominandum ! Ab immaculatâ & clementissimâ Dei Matre ad furiosam Inferorum Megaram , à splendidissimis Seraphinis ad teterrimos Orci tenebriones , à gloriosissimo Sanctorum cœtu ad maledictam Proscriptorum è cœlis colluviem ; à Sanctissimis , & salutaribus Sacramentis ad illorum contemptum , profanationem , abusum & conculcationem , atque à sacrosancta omnium fidelium &

Aversio &
conversio
sacrilega.

à Deo.

à B. Virg.
& Sanctis.

E s

Ju

Et Ecclesia Justorum Matre Ecclesia ad impiam, blasphemam & Deicidialem Judæorum, Paganorum, Hæreticorum, Præstigiatorum, Veneficarumque ac Sathanæ Synagogam, quæ est ipsissima exitialis pestilentia Cathedra.

VI. Hic verò mihi non persuaserim, Vos mea vel hætenus dicta, vel mox ulterius prosequenda, velut quandam Hyperbolem, aut exaggerationem duntaxat Rhetoricam percepturos, cum in Divinis Litteris apprimè vos sciam esse eruditos. Quòd si tamen aliis quibusdam de ejusmodi Theologica veritate cerebri scrupulus moveretur, talibus hæc genuina veritas de infanda & inexplicabili mortalis peccati abominatione, sequendi paradiigmate inculcanda videtur: statuamus ob eorum oculos bilancem, ex cujus altera quidem parte Deum, cum omnibus gratiarum, & gloriæ thesauris; ex altera verò unicam, v. g. morosæ delectationis voluptatulam, cum diabolo, igne, sulphure, & spiritu procellarum æternæ damnationis; medium autem hominem quendam (Veneris mancipium) deliberantem, cui nam adhærere velit pro modicissima illius obscenæ delectationis fruitione capeffenda, vel rejicienda.

Peccator
deliberans
in medio
bilancis.

VII. PHILOHT. Est hæc insana
nimis

nimis, & furiosa, summeque impia delib-
beratio.

THEOPHOBVS. Si insana est, si
furiosa est, si summè impia sola sola deli-
beratio, & sacrilega, quid erit ipsa ad-
hæsio ad spurcissimam oblectatiunculam,
ad Luciferum, ad æternæ perditionis
barathrum, derelicto Deo, contem-
pto Numine, vilipenso Conditore, cal-
cato summo Bono? quæ vesania, præ-
ponere dæmonem, amplecti diabolum,
& eligere malum summi, atque infini-
tæ malitiæ mali? Ecquid enim agit mi-
serrimus hic trutinator? quid delibe-
rat, quid iudicat, & quid iudicatum
pronunciat, medius quidem, sed iniquis-
simus Arbitrator, nisi his omninò similia?
Tua (credo fideliter) ô Deus! Potentia
ad imaginem suam me creavit, Mi-
sericordia redemit, Providentia conser-
vavit, Bonitas liberalissimè ditavit,
Charitas paterno sinu complexa est,
Pietas recepit in gratiam, gratia adop-
tavit in filium, filiatio hæreditatis æter-
næ jus tribuit, hæc omnia indubitan-
ter credo; scio, & fateor. Iste verò
turpissimus tuus apostata, tuus ac meus
capitalissimus hostis Lucifer, omni me
bono spoliare, omni me malo emulare,
omni me veneno inficere, omni me horâ
strangulare, omni me momento ad per-
petuos ignes abripere, torquere, lania-

Præponit
Deo diabo-
lum.

Agnoscit
Dei benefi-
cia.

Et diaboli
nequitiam.

Omnibus
divinis ab-
renunciat.

re, & indefinenter excarnificare satagit, & hoc æquè firmissimè novi, & expertus sum in me & aliis infinitis, & tamen, quia nunc me tentat, allicit, hanc Venerei poculi promulsidem propinat; istam sitio, cupio, amplector, & sequor; tuæque creatrici potentia, liberatrici misericordia, conservatrici Providentia, Bonitati inexhausta, charitati immensa, dulcissima Pietati, omnibus tuis divinis attributis, omnibus donis & gratiis, omni gloriae cœlesti, cunctis Sacramentorum thesauris, omnibus Ecclesiae meritis, universis antea acta vitæ meæ bonis operibus, operumque acquisitis meritis totaliter ex nunc, pro isto momentaneo carnali gustu percipiendo voluntariè, sponte & deliberatè abrenuncio, abjuro ac abrenunciatum & abjuratum esse volo.

Agnosce
Christi gra-
tias,

VIII. Tu Christe Jesu pro me incarnatus, & genitus, circumcissus, & in exilium pulsus, pro me fuisti in jejunando rigidus, in orando pernox, in prædicando perditus, in labore assiduus, fatigatus ex itinere, frequens me querendo, sollicitus in inveniendo, in reducendo tanquam Pater, & Pastor promptissimus; hic autem crudelissimus tyrannus in tentando, seducendo, perdendo, & mactando irremissus; & tamen

tamen hîc nunc, simul, & semel nuncium tibi cum libello repudii mitto, isti verò me totum trado. Tu, Fili Dei, fuisti pro salute meâ flagellis dirisimè cæsus, dolorosissimè in mortem actus, sed nihilominus suadente nunc diabolo, & alliciente hâc delectatione, quod Judæi, & Gentes semel fecerunt, ego Christianus iterum replico, vulnera re-
Eum rursus crucifigit.
 novo, flagellorum ictus ingemino, passionem exantlatam restauro, & crucifigens te mihi metipsi in hac concupiscentia mea (nisi impenetrabili immortalitatis loricâ munitus sis) hoc te pugione, hoc de cultro; hâc te mortalis peccati lanceâ in corde tuo de novo transfigo, & transfodio, ut novum faciam Judæis, Gentilibus, diabolo & Angelis ejus plausum & jubilum, in tui contemptum, ignominiam, interjectionem, & novam ex meâ parte crucifixionem.

IX. Audite & horrete sequentia istius infallibilis veritatis testimonia: primum est Religiosissimi Abbatis Trithemii italoquentis: *Qui semper peccat, Tritem in semper Deum irritat, & toties manus prolo. Re-
 injicit in Deum, quoties mortaliter delin-
 quit. Nonne manus injecerunt Judæi in Deum, quando Jesum crucifixerunt? Sed Sicut Judæi,
 non minùs peccant hodie, qui eum iterum
 pecca-*

Imago mi-
raculosa
Christi cru-
cifixi varia-
tur pro statu
iuentium.

Cornel. à
Lap. in c.
28. Exot.

S. Coléta
apparet pu-
er Jesus fru-
statim con-
citus.

peccatis suis crucifigunt clarificatum & regnantem in cælis, quàm illi qui occiderunt ambulantes in terris. Fidem adstruit continuum illud Imaginis Christi Salvatoris, Santaremi in Portugallia, in pellicula crystallo asservatæ sumâque veneratione culturæ prodigium, quo dicta imago pro diversis aspicientibus diversimodè visendam se præbet, dum videlicet innocenti ac virginali puero (ita referente Cornelio à Lapide) inspicienti, apparet uti Christus duodecim annorum: intuenti viro probo & iusto, uti Salvator annorum triginta, quo prædicare cœpit: præsumente verò quocunque mortalis peccati reo eam inspicere, lugubri spectaculo à tali cernitur in forma pendentis in Cruce vulnerati & concisi, aut in forma terrificâ venientis ad iudicandum vivos & mortuos.

X. Alterum Divi Gregorii testimonium ita se habet: *Quid est peccatum, nisi venenum quoddam, & gladius, quo interimitur Pater, & Filius & Spiritus Sanctus.* Terrium eò lamentabilius, quò infallibilius ipsius ter benignissimæ Genitricis Dei, quæ aliquando à B. Coleta Ord. S. Claræ instantissimè rogata, ut efficaces suas ad Filium pro peccatoribus preces interponeret, vidit Clementissimam Dominam discum minutis car-

nium

dium frustulis plenum sibi ob oculos
 præsentare, ac dicere; *Quomodo orabo* Bolland. in
Filium meum pro talibus, qui quotidie Vit. 6.
per horrenda peccata minutius dilaniant Mart. n.
ipsum, quàm sint hæc carnes dilaniatæ. 84.

MONOPH. O infanda Deicidia
 ac tyrannides in Vitæ Auctorem mille
 fulminibus illicò post factum plecten-
 das, nisi infinita Dei commiserentis lon-
 ganimitas fulminatricem dexteram à te-
 lorum jactu suspensam teneret.

XI. THEOPH. Sed adhuc plùs Abiecto
 ultra pergit impius in impietate suâ, Christo
 in suprâ posito casu, interpretativâ & peccator
 tacitâ mente ita cum Deo suo contenden- adhæret
 dens. Spondeas tu mihi cœlum, dia- diabolo,
 bolus infernum; tu gratiam, ille male-
 dictionem; tu amorem, hic odium,
 & plagas; tu risum, & gaudia; iste
 fletum, & stridorem dentium, tu æter-
 nitatis beatitudinem, ille flammarum,
 atque pœnarum æternitatem; nihilo-
 minùs obedio dæmoni, trahit me ten-
 tatio, trahit fœda voluptas: repudio
 te Christe, nolo te Christe, desero
 te Christe, & diabolo cum corpore,
 & anima herbam manumque porrigo.
 Sis equidem (quid mea refert?) Ju-
 dex omniscius, sapiens, potens, fortis,
 accuratus, justus, severus, tremendus,
 & inexorabilis; vetet lex æterna pec-
 catum,

catum, prohibeant illud omnia jura divina, & humana, totaque individua Trinitatis offendatur Majestas; nihil moror; non serviam, non serviam nisi voluptati, nisi dæmoni, & carni; magis enim me, quod momentaneum est, delectat, & minus terret æternum, quod cruciat.

Cupit annihilare Deum.

Isa. 28.

XII. Et si potestatis meæ tantundem foret, uti est voluntatis perversæ, ex hoc pariter peccati mei momento vellem tibi Christe tuam fascinare, vel auferre Sapientiam, ut peccatum meum nescires; vel addere tibi similem meæ malitiam, ut illud approbares; aut negligentiam, ut non curares; aut enervare potentiam, ne illud castigare valeres. Desidero enim contra Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, contra omnes Sanctos, contra cælos cælorum, & omnia, quæ in eis sunt, percutere fœdus cum morte & cum damnatis, totaque inferno facere pactum, & arcum, & scutum, & gladium, & bellum, ut te de excelsa Majestatis tuæ solio possim deturbare, destruere, annihilare & hanc meam Veneream delectationem ibidem cum dæmone collocatam pro Deo meo adorare, gaudere, frui, & possidere.

XIII. PHILOTH. Exhorreo ab
imis

imis ossium medullis ad tua dicta. Veruntamen pace tuâ bonâ dixerim, videntur isti mihi vel hyperbolici, vel metaphysici conceptus, non enim crediderim, quemquam in toto orbe mortaliter peccantem hujus mentis esse, ut talia dicat in corde suo, nisi solus dæmon, & damnati, in odio Dei, & continuâ blasphemiâ obfirmati.

THEOPH. Rectè quidem arbitraris, neminem, excepto diabolo, & desperatissimo quovis, tam horrendas in DEum blasphemias effutire, sed num ignoras, quòd *peccatum ex hominibus demones facit?* num legisti, quòd, *qui facit peccatum, ex diabolo est, & desideria Patris sui diaboli perficit?* Imò credisne quòd *homo malus pejor est, quàm ipse diabolus?* certè sicut diabolus internecinus DEI hostis infinita mala DEO desiderat & imprecatur, ita quilibet peccator tacitâ quâdam interpretatione, & implicito consensu, omnia supradicta, & si quid enormius esse, vel excogitari potest, aut quod etiam ab ipsomet dæmone excogitari non potest, involvit, effutit, effundit. Quod sicut infinitæ est in Deum ter Max. injuriæ, ita infinitæ quodammodo in se malitiæ.

XIV. Hinc Spiritus Sanctus testatur, quòd *impius, cum in profundum vene-* *rit,*

S. Chrysof.
hom. 9. in 1.
Cor.
1. Joan. 3.
Chrysof. in
Matth.
hom. 47.
Peccator
est pejor
diabolo.

Omnia excogitabilia
sacra contemnit.

rit, contemnit. Ubi, quia tantum inde-
finite dictum est, *contemnit*, voluit
idem Spiritus indicare, peccatorem
actu mortaliter peccantem, omnia excogitabilia in cælo, & in terra, & sub terra, creata, & increata, (præter sui criminis objectum) contemnere, divina & humana, cœlestia & inferna, temporanea & perpetua, sacra & profana, finita tandem & infinita. Videlicet, tremendam SS. Trinitatis potestatem, JESU Christi Salvatoris sui vulnera, passionem, mortem, & sanguinem, clementissimum MARIÆ Virginis patrocinium, Angelorum custodiam, Sanctorum intercessionem, Ecclesiæ Triumphantis gloriam, Militantis suffragia, fidelium communionem, & preces, efficaciam Sacramentorum, bonorum operum participationem, meritorum valorem, gratiarum thesauros, proborum exempla, concionatorum monita, animæ salutem, gloriosam corporis resurrectionem, æternam beatæ patriæ felicitatem.

Peccatum
mortale est
omne excogitabile
scelus.

XV. Quapropter ut jam anatomizata istius Chimææ, proh! venenatas & pestiferas exuvias in infernalem ollam simul projectas Lucifero auctori & complicibus ejus pro condignâ cenâ mittamus, finaliter sic omnia congrego,
dico

dico & concludo, quòd mortaliter peccare, est æternæ Dei ordinationi resistere, judicia divina irridere, bonitatem, potentiam, justitiam, omniscientiam ludibrio habere. Peccare, est Sanctos accidentali gloriâ, Ecclesiam meritis, fideles suffragiis, vivos auxilio, defunctos refrigerio, creaturas omnes suo debito fine privare, totamque rerum universitatem turpissimo abusu æternæ maledictioni subicere. Peccare, est polluere templum Spiritûs Sancti, profanare sanctuarium Deitatis, deformare imaginem, & similitudinem Trinitatis, projicere margaritas ante porcos, sanctum dare canibus, corpus Christi distrahere, carnem ejus dilaniare, sanguinem pretiosissimum quasi è visceribus evomere, rursusque immane Christicidium committere.

XVI. Peccare, est suimetipsum esse carnificem, sanitatem destruendo, corpori vires adimendo, sensus exteriores corrumendo, interiores animæ potentias hebetando, mortemque præmaturam accelerando. Et hæc in quantum ad corpus. Quoad animam verò est, eam leprâ inficere, pestilentiam corripere, servam corporeæ sensualitatis efficere, mancipatui diabolico devovere, Dei, totiusque Curie cœlestis inimicam,

Et omne
corporis &
animæ ma-
lum.

abominabilem, execrabilem, & maledictam constituere, & in puncto se, cum anima, & corpore, in temporalis, & perpetuæ maledictionis chaos præcipitare. Et hoc tandem est peccare. Propterea meritò lamentatur Propheta his verbis:

Jerem. 12. Desolatione desolata est omnis terra, quia nemo est, qui recogitet corde tam horrendam peccati malitiam, & gravitatem.

MEDITATIO V.

De horrenda sceditate peccati in Angelis; & anima hominis.

Text. R. gul. c. 7. gr. 12.

PECCATI conscius *inclinato sit semper capite, defixis in terram aspectibus, reum se omni hora de peccatis suis existimans: ac dicens in corde suo semper illud, quod publicanus ille Evangelicus, fixis in terram oculis, dixit: Domine non sum dignus ego peccator levare oculos meos ad cælum.*

Præludium. Imaginare, te videre exanime cadaver, in fimeto jacens, vulneribus confossum, fermibus, sanie, putredine, & fœtore abominandum, vel Jobum à Diabolo percussum, & sedentem in sterquilinio.

Punct. I. Confid. Peccati sceditatem ex eo, quòd solâ cogitatione commissum

sum splendidissimos Angelos in adeò turpes, & horribiles species transmutârit, ut beata Catharina Genuensis (veluti & altera Senensis) unum aliquando diabolum per raptum videns, maluerit deinceps potius usque ad diem iudicii per ignem nudis pedibus ambulare, quàm illum iteratò cernere: imò si quis eundem uno solo oculi ictu conspiceret, præ nimio fœditatis horrore repentinâ morte corrueret.

Effectus peccati in Angelis.
In vit. Cath Gen. m. c. 37.

O DEUS meus! quis non timebit *quasi à facie colubri fugere peccatum?* quod simul, ac semel tot pulcherrimorum spirituum milliones tam infandâ fuligine tinxit, & transformavit in turpissima monstra? quibus nec tota natura creata, nec humanum, vel Angelicum ingenium aliquid fœdus aut horribilius concipere, vel exprimere valeat.

Ecc. 21.

Punct. II. Consid. Alteram peccati enormitatem: ex eo, quòd naturalis animæ pulchritudo, quâ Immortalitatis, Bonitatis, Sapientiæ, & infinitæ DEI pulchritudinis effigies est, ita contaminetur, ut non modò pro immortalitate mortem, pro bonitate malitiam, pro sapientia stultitiam, amentiam, & cœcitatem contrahat, sed etiam pro pulchritudine execrabilem deformitatem.

Animæ fœditas ex peccato.

2. Ex eo, quòd peccati fœditas, si ipsam

quoque Beatissimam Virginem posset inficere, redderet illam cacodæmone fœdiorem. 3. Si econtrâ auferretur aliquando ab ipso Lucifero, primævâ suâ pulchritudine Archangelos superaret.

Vah! quis non detestetur, & horreat tam monstruosam animæ transmutationem? per quam in illa pro charactere Agni, & effigie Deitatis, imprimitur character bestix, & sigillum diaboli?

Apoe. 16.
Horrenda transmutatio.

Ex S. Anselm. de similit. c. 190.

Idem.

Punct. III. Consid. Etiam alteram, ac supernaturalem Animæ formositatem, per quam mediante gratiâ sanctificante, constituitur *sponsa Altissimi, templum DEI vivi, vas electionis, thalamus æterni Regis, sedes sapientiæ, soror Angelorum, & heres regni cælorum*, peccato deturpari in tantum, ut fiat *adultera diaboli, spelunca latronum, cathedra pestilentie, socia demonum.*

S. Anselm.
Affectus dolorosi planctus.

O anima mea peccatrix! ô misera! num & tu fortè tali diabolicâ fœditate contaminata es? heu! *quàm graves mihi sunt angustia, si te (ô anima monstruosa) inspicio, non tolero meipsum, si te non inspicio, nescio meipsum; si te considero (tam abominandam) terret me facies tua, si te non considero, fallit me damnatio tua; si te video (tantâ turpitudine deformem) horror est intolerabilis, si te non video, mors est inevitabilis.*

Ah!

Ah! plange igitur, quia te plangunt lacrymæ, imò sanguineæ guttæ Christi.

Et num erit possibile, ut præ confusione & erubescentiâ sceditatis tuæ non semper deinceps incedas inclinato capite, & defixis in terram oculis, ac dicas? ô Domine! non sum digna ego peccatrix, levare oculos ad cœlum; sed parce mihi, & propitius esto secundum magnam misericordiam tuam &c.

CONSIDERATIO I. ANTE-MERIDIANA.

De insania Peccatoris.

O *Insani, & infideles corde, qui tam* Gerf. l. 1. r.
profunde in peccatis jacent, ut nil c. 22. n. 4.
nisi carnalia sapiant! sed va non cogno- n. 3.
scantibus suam miseriam: & amplius Insania
va illis, qui diligunt hanc miseriam, & peccatoris.
corruptibilem vitam; miseri adhuc in n. 4.
sine graviter sentient.

CONSID. II.

De Miseria, & Inconstantia peccatoris.

Miser es, ubicunque fueris, & quo- Idem Loc.
 cunque te verteris, nisi ad DEUM cit. n. 1. 2. 6.
 te convertas: & verè magna miseria Ejusdem
 est, quia fragilitas tua semper prona est inconstan-
 ad tia.

ad vitia. Hodie confiteris peccata tua, & cras iterum perpetras confessa. Nunc proponis cavere, & post horam agis, quasi nihil proposuisses.

DIGRESSIO IV.

De infinito damno, & inexpiabili gravitate peccati.

THEOPHOBUS.

(I.)

AD cognoscendum plenissimè miserandum peccatricis animæ naufragium, statum, conditionem, & jacturam: nonnulla de inæstimabili damno, & gravitate peccati Corollaria loco præsentis Digressionis subnectam. Divinitus de gratiâ sanctificante, & animâ hominis scripsère duo magni Ecclesiæ Patres, Augustinus & Chrysologus, iste quidem his verbis. *Quod est anima corpori, hoc est animæ, Christi gratia, sine anima corpus non vivit, nec vivit anima sine gratia.* Alter verò, sicut anima, inquit, decus facit in corpore, sic **DEUS** in anima mediante gratiâ. Imaginemini Vobis omnes in sacris Scripturis pulchritudine celebriumi fœminarum (uti Saræ, Rachelis, Esther, Judith, Abigail, Abisag, Susannæ; omnium à profanis scriptoribus nominatissimarum, uti

Gratia sanctificans est animæ vita.

Serm. 16.

S. Aug. in Joan.

Fœminarum pulchritudine celebres.

uti Lucretiæ, Cleopatræ, Cassandræ, Penelopes, Helenæ, Rossanæ, Polixenes; omnium de facto in hoc orbe existentium Reginarum, Principissarum, aliarumque mulierum & Virginum) quas mundus adorat formositates, in unam à Deo & naturâ congestas esse personam, quid nisi tenuissima umbra sunt splendoris animæ, uno solo gratiæ sanctificantis gradu dotata? Hæc gratia dat animæ (sicut anima corpori) vitam, vigorem, motum, speciem, sensationem, sanitatem, robur, ut possit moveri, ambulare, videre, audire, odorare, & operari fructuosè perfectè & meritoriè ad gloriam cœlestem. Unde per hanc gratiam *in Patre sumus, in Filio vivimus, in Spiritu Sancto movemur & proficimus.*

Pulchritudo animæ in gratia.

Gratia vigor animæ.

S. Cyprian.

II. Obruat improvise casu humanum corpus febris maligna, præcipitium fatale, ictus mortalis, lues venenata, pestis contagiosa, videbis tabescere corpus, corrugari frontem, profundari tempora, oculos cavari, obtenebrari pupillas, aures surdescere, denigrari labia, manus tremere, caput vacillare, omnes potentias, sensus ac motus hebescere, aliudque ad mortem non desse, nisi funestissimum mortis ictum; quo secuto, quid superest, nisi horror exsanguis immoti & trunci corporis?

Statûs corporis morituri, & mortui descriptio.

quid nisi ejusdem in fossam projectio, corruptio, fœtor, putredo, vermes & cinis. Sic vergat anima per incuriam sui, aut perversam malitiam, sensim ad diminutionem & amissionem gratiæ, gratum, justum & sanctum facientis, donec per mortale peccatum interiit, quid in animâ remanet, nisi pestiferum ulcus, *fœtor peccatorum, corruptio criminum, vitiorum putredo, conscientia vermis, vanitatum cinis*: quæque per gratiam fuerat divinæ sapientiæ sedes, supernæ Majestatis thronus, sponsi cœlestis thalamus, Deitatis domicilium, adorandæ Trinitatis templum; Regis Regum amica, Patris cœlestis adoptiva, Verbi divini sponsa, Christi soror, Spiritûs columba, divinæ naturæ consors, sancti & hæres omnium divitiarum gloriæ magni Dei, in ictu oculi facta est capitalissima Dei inimica, magistra malitiæ, inventrix nequitiarum, vorago scelerum, cloaca turpitudinum, infamis Circe, prostibulum diabolorum, meretrix Babylonica, adultera dæmoniorum à Deo, à cœlo, à Sanctis proscripita, proclamata, excommunicata, extrusa;

S. Anselm. l. de similitud. c. 90. *plange itaque (monet S. Anselmus) super te ô misera anima! plange; quia te plangunt cœli, quia te plangunt Angeli, quia te plangunt omnes Sancti; te plangunt gutta sanguinea Christi Domini, quia*

*Animæ ty-
pus rece-
dente gra-
tiâ.*

*S. Crysol.
l. c.*

*Animæ di-
gnitas in
gratia.*

*Ejus mon-
struositas
sine illa.*

quia peccasti, & mali illius, quod commisisti, pœnitentiam non egisti.

III. Quantum verò ad animæ in gratia Opera fa-
 existentis opera, quemadmodum una cta in gra-
 auri potabilis gutta majoris pretii, virtu- tiâ.
 tis & efficacix est ad vitam corporis con-
 servandam, quàm integra vini Cretici
 plaustra, ita tantum est unius gradûs
 sanctificantis gratix pretium in ordine
 ad meritum & gloriam, ut omnes mundi
 favorum, gratiarum & thesaurorum
 cumulus infinito valore antecellat. Econ-
 tra possideas, absque illâ solâ aureos
 montes & gemmeos, margaritarum &
 adamantum acervos, id est, exerceas
 quæcunque vel Angelis, vel hominibus
 possibile opera, subeas omnium Sancto-
 rum equuleos, unguulas, tormenta, *S. Thom. 1. 2.*
 martyria, prout illa secundùm suam sub- *q. 114. a. 3.*
 stantiam, & tanquam actus à libero ho- *Facta extra*
 minis arbitrio emanantes considerantur, *statum*
 nec hilo tenus condigna sunt ad prome- *gratix.*
 rendam cœlestis gloriæ felicitatem, ob
 inæqualem finiti ad infinitum proportio-
 nem.

IV. Ex his consequitur, qualis & Symbola
 quàm insania phreneticæ mentis proter- gratiæ.
 via sit, stolam tam pretiosam, & candidam
 ex vellere Agni immaculati confectam,
 in sanguine Christi dealbatam, tam Re-
 giam dotem Spiritûs Sancti, tam ful-
 gentem

Ad porcos
abjicitur.

Quanti
gratias
æstimetur
à diab.

Unica gut-
ta ejus in-
fernum ex-
tingueret.

Opera He-
roica Gen-
tilium,

gentem annulum subarrhationis cœlestis,
& tam inæstimabilem margaritam à di-
vinissimo Negotiatore JESU triginta
tribus annis quæsitam, in altitudine de-
mum maris (passionis suæ) inventam,
sanguine suo dilutam, venditis omnibus
animæ, & corporis sui substantiis, ho-
mini comparatam, & gratiosissimè do-
natam pro unica voluptatula projectissi-
mâ impietate ad porcos abjicere, dissi-
pare, distrahere, conculcare? quam ta-
men ipse Tartareus Nundinator tanti fa-
cit, ut pro uno gratiæ gradu recuperando,
(si possibile foret) unus omnium reli-
quorum dæmoniorum, & damnatorum
pœnas usque ad extremum judicii diem
sustinere paratus esset; non ignorans,
quòd per unicum illius gradum rursus
æternam sibi felicitatem comparare, &
ex turpissimo deformitatis monstro in
Seraphinum, vel Angelum Lucis trans-
formari posset.

V. Quodque magis mirum videatur, si
unica talis gratiæ sanctificantis & glorifi-
cantis gutta in infernum stillare posset,
omnes ejus dolores mitigaret, cruciatus
dulcoraret, & sustolleret tormenta,
ignemque perpetuum deleret.

PHILOTH. Condolenda hinc est fors
Gentilium & Paganorum, imò & hære-
ticorum, qui stupendos virtutum mora-
lium

lium fortitudinis, justitiæ, temperantiæ, charitatis proximi actus exercentes, destituti tamen à fide & gratiâ, inaniter pro suâ salute laborant?

MONOPH. Miserabiles isti, sed longè magis deploranda illorum Catholicorum conditio, qui fide illuminati, sacro Baptismi fonte lustrati, nihilominùs pro teruncio omnibus divinæ gratiæ thesauris se spoliant, aut à longanimitate DEI Opt. misericordiâ millies oblatos aspernantur.

VI. THEOPH. Pro secundo ex supra memoratis Corollario sit, tantam esse mortalis peccati perversitatem, ut hominis ad imaginem Dei creati speciem, non solum in diaboli formam & filium (nam qui peccat, ex diabolo est) sed etiam in ipsissimum teterrimum diabolum transmutet, ipsa infallibili Veritate de Juda sic pronunciante *unus ex his diabolus est: & de Judæis vos ex patre diabolo estis: & aliquando ad B. Catharinam Senensem, peccatorem esse diabolum incarnatum. Rectè igitur illud Græcæ eloquentiæ flumen appellavit peccatum: magnum demonem; demonem voluntarium: demone majus; animamq; hominis per peccatum converti in demonem, non quidem substantiâ, sed voluntate, & voluntatum individua conjunctione.*

Omni merito vacua.

Pecc. mort. transformat in diabolum.

1. Joan. 3. 8.

Joan. 6. 7.
Joan. 8. 44.

S. Joan. Chrysof. hom. 28. in Epist. ad Rom.

VII. Ter-

Ejus gravi-
tas in expia-
bilis.

Etiam o-
mnia SS.
merita.

Omnes per
que actus
a B. V. M.
elicitos.

VII. Tertium. Gravitationem cujuslibet peccati mortalis talem esse, tantamque, ut, licet per mille annorum myriades continuam panis & aquæ inediam tolerares, assiduo planctu universum mundum compleres, Adriaticum mare guttatim ex oculis lacrymando profunderes: licet omnes Angeli simul, & homines pleni, & perfecti in gratia integra diluvia sanguinearum lacrymarum depluerent, licet ad æqualificandam, vel superandam mortalis criminis gravitationem ex unâ parte stateræ hoc solum & unicum collocaretur, ex alterâ verò stateræ parte omnia omnium Sanctorum merita, & opera, omnes craticulæ ignitæ, & sartagine, catastæ, equulei, rotæ, aut quidquid SS. Christi Martyres sive à barbarâ crudelitate Tyrannorum, sive inhumanâ impietate carnificum seu rabiosâ voracitate belluarum pertulerunt, totum quantum non erit condignum pondus ad pondus peccati æquandum.

VIII. Congerantur ad Dei Majestatem adorandam omnes actus Patriæ, adorationis, laudis, benedictionis, glorificationis, amoris omnium existentium & possibilium cœlestium & terrestrium creaturarum, & adjiciatur ipsius etiam Matris DEI Mariæ gratia, sanctitas, virtutum

tutum actus & merita, nihilominus ad plenam pro unica mortali noxâ expiandâ satisfactionem non sunt condigna, vel æqualia, malletque divina Majestas non offendi uno peccato, quàm omnibus prædictis & excogitabilibus servitiis, laudibus, honoribus & amoribus coli ac adorari.

IX. Quartum. Quòd odium, quo infinita DEI Bonitas in peccatum mortale fertur, tam sit ferale, funestum, ac immensum, ut satis superque nullâ vel Angelicâ, vel humanâ linguâ proferri queat. Id vobis congruo problemate expono. Nôstis, quòd magni Principes terræ, si in vasis & poculis suis vel venenosam araneam, aut scorpionem, aut vinum, vel escam corrupta, squalida, foetentia inveniunt, non idcirco vasa illa gemmea, crySTALLINA, aurea, vel argentea in mare, in stagnum, aut fumentum projiciunt, sed solam materiam venenosam, aut corruptam, vasis integris retentis, & sollicitâ dilutione purgatis, effundunt. Reperit ille supremus cœli Monarcha inter suæ aulæ cœlestis innumera argentea & aurea, Angelorum & Seraphinorum Vasa, tertiam partem peccati toxico imbutam. Reperit inter crySTALLINA, cœlorum, aliarumque creaturarum, duo præcipua miræ excellentiæ

Odium Dei
contra peccatum.

Similitudines de vasis pretiosis veneno infectis.

Angeli sunt vasa aurea peccato intoxicata.

Vasa

Homines
sunt cry-
stallina
per peccat.
corrupta.

Aurea in
ignem pro-
jecta.

CrySTALLINA
in pulveres
redacta.

Christus
vas pretio-
sissimum.

Vasa (primævos humani generis parentes) peccati squallore, corruptione & fœtore contaminata: Et mox (ô tremendam resolutionem!) integros Angelorum, ceu Vasorum de pretiosissimo auro, argentoque elaboratorum integros, dico, millones factò furoris sui impetu è Paradyfi sui Tricliniis ejecit ignes fumantes & crepantes, scorià tamen peccati per illos licèt inextinguibiles carbones nunquam expurgandâ. Illa verò crySTALLINA quantumque proprio suæ omnipotentix artificio affaberrimè facta & expolita cum omnibus suis cohærentiis in minutissimos pulveres comminuit, contrivit, in cineres ac favillas redegit, in ventum, in mare, ignesque dispersit.

X. At quia nullus Phinees stetit, & furorem placavit, ideo necdum cessaverat quassatio. Unum supererat vas (placeat illud Ostensorium Corporis Christi appellare) ante omnem æternitatem in mente Omnipotentix ac Sapientix DEI præconceptum, mille figuris delinearum, conflatum ex purissimi auri materiâ, imperscrutabili Spiritûs Sancti artificio in mundissimâ virginali officinâ elaboratum, infinitis margaritis Orientalibus exornatum, ordinatissimâ innumnerabilium omnis generis

neris gemmarum serie distinctum, artificio quidem incomparabile, splendoribus gemmarum admirabile, valore verò sui ac pretio inæstimabile. Hoc, inquam, vas unicum supererat altissimæ Dei magnificentiæ, in quo infinite sibi complacuit, Incarnatus videlicet æterni Patris Filius: Et tamen hoc ipsum toti Orbi creato obstupescendum vas, seu dixerim Ostensorium, omni prorsus maculâ & nævo carens, ex eo solùm, quòd Mundi petulantia suas fæces eidem à tergo adjecit, implacabilis suæ Majestatis ira, furor & odium peccati, tanquam vas perditum mille ictibus confregit, conquassavit & in altitudinem maris demersit.

Ob aliena
peccata
contritum;

XI. Pari suæ Divinæ Justitiæ furore & impetu ipsammet suæ Deitatis Aulam, individuae Trinitatis domicilium, suæ Majestatis triclinium, dictamque artificii sui officinam, excellentissimam Filii sui Matrem, cum perpetuâ infamiâ demoliturus fuisset, igneque extinguibili exusturus, si in eâ finaliter peccati mortalis sordes invenisset: uti per hoc formale Decretum ex S. Spiritûs Archivo extractum, & è cælo promulgatum constat:

B. V. æternæ perditioni obnoxia, si peccasset &c.

Si Mater Domini Virgo Beatissima In libro re-
peccasset mortaliter, ac sine contritione vel. S. Br.
G *mortua* l. 4. c. 7.

apud Lu-
dov. Blos.
In monili
spirit. cap.

*mortua esset, cælum nunquam obtinuis-
set, sed cum demonibus in inferno ater-
nùm cruciaretur.* An potest quid gravius,
& formidabilius in detestandum mortale
facinus dici, vel excogitari.

PHILOTH. Omnia planè interiora
mea horrore concutiuntur ad hæc SS. qui-
dem Patribus & Theologis indubitata,
verùm à me rarò, aut perfunctoriè dun-
taxat perpenfa, vulgò autem prorsùs in-
audita.

XII. THEOPH. Et hoc ipsum deplora-
nda hujus sæculi calamitas est, tum ex
parte Concionatorum, quibus potissi-
mæ in concionando curæ est, non
quòmodo puros suis populis Divinæ
Scripturæ fontes propinent, sed quo-
modo multum ementitâ dulcedine ver-
borum auribus infundant, non qualiter
corda fervore dicendi, sed aures decòre
garrandi demulceant. Tum etiam ex
parte Auditorum, qui conveniunt, visuri
& percepturi, qualiter concio Orato-
ris sacri Rhetoricæ artis fucata menda-
ciis quasi quædam cerussata & comptula
meretricula procedat in publicum, *non
tam eruditura populos, quàm illorum
quæsitura favorem*, applausum, & accla-
mationes *Euge, Euge*: fructuosius tales
& pastorali suo muneri convenientius
agent, si dimissis omnibus verborum ac
auri-

S. Hier. in
præfat. l. 3.
ad Gal.

Veri Con-
cionatoris
officium,

aurium lenociniis, moralia tractent, ulcera animarum attingant, monstruositati mortalium peccatorum larvam detrahant, diaboli turpitudinem nigerrimis coloribus depingant, & synceram ac candidam de prædictis veritatem suos doceant.

XIII. Quintum & ultimum de peccati gravitate Corollarium ita declaro; quamvis justitia DEI atrocissimis, atque sempiternis suppliciis, omnibusque aliis, si adhuc graviore excogitabiles forent, puniat, & semper punitura sit lethale peccatum per sexcenties mille annorum myriades, & millies mille millionum cubos, *in æternum & ultra*; tamen unius solum mortalis peccati culpam suâ gravitate excedere, & perpetuò excessuram esse omnium possibilium pœnarum gravitatem. Hinc consequitur id, quod B. Catharina Genuensis dixit: peccati malitiam, & cruciatum talem esse, ut infernus, ac alia tormenta sint in comparatione illius solatia.

Culpa peccati mort. excedit omnes inferni pœnas.

Exod. 15.

XIV. Hinc meritò B. Thomas Angelicus cane pejus & angue peccatum odio prosequens, in medio malarum occasio- num Parisiis versando in ætatis suæ florem singulari studio præcavit, ut purus & innocens virgo ab omni impudicæ cogitationis assensu immunis è vitâ ex- cesse.

s. Thomæ horror peccati.

*Ex Menol.**Bened. 16.**Nov.*

S. Edmunda cur sic dictus.

Ejus horror peccati mort.

Zelus peccatores per confessionem expiandi.

B. Cathar. Bonon. operat sola pro peccatoribus damnari.

cefferit. Cui subjungo S. Edmundum ideo sic nominatum (quia præter omnium mortalium legem mundissimus totus, & omnibus naturalibus sordibus immunis ex materna alvo prodiit, sicut post mortem in secundæ suæ matris uterum receptus, quatuor ab obitu mensibus totus flexilis, mollis, & incorruptus repertus est) tantâ in peccatum abominatione ferebatur, ut affirmare sit ausus: malle se insilire in rogam ardentem, quàm peccatum ullum scienter admittere. Exarsit etiam præ horrore peccati, tam ardenti animas è peccatorum sordibus eruendi zelo, ut tantus Præsul in itinere constitutus, importunissimo quovis loco, viâ, tempestate & tempore, si quis obvius peccata sua confiteri vellet, mox equo desilierit, & neque per minimam moram, licèt diversorio proximus, ipsius confessionem excipere, & pœnitentem ab hoc malo summi mali liberare distulerit.

XV. PHILOTH. Rara hoc tempore

erga peccatores charitas. Sed quis illam B. Catharinæ Bononiensis (cujus Corpus à 200. & ampliùs annis incorruptum & flexile est) satis superque admiretur, dum instantissimis in vita precibus à Deo postulavit, ut pro sui damnatione (sine tamen mortalis criminis noxa)


noxâ) novum & terribiliorem conderet infernum, ac se pro incude statueret, suâ rigorosissimâ justitiâ ictibus tundendam, modò per ejus misericordiam cœteri mortales aut à peccando præservarentur, aut à commissis sceleribus citò expiarentur.

XVI. Pro materiâ istius coronide gravitati peccati mortalis ultimum pondus adjiciat Cantuariensis Archi-Præsul Anselmus, qui non dubitavit sequentia verba tum voce, tum scripto posteritati notificare, & peccatorum cordibus insculpere: *Si hic peccati pudorem, & illic cernerem inferni horrorem, & necessario uni illorum haberem immergi, prius me in infernum mergerem, quàm peccatum in me immitterem; mallet enim purus à peccato, & innocens gehennam introire, quàm peccati sorte pollutus calorum regna tenere.*

S. Anselmus male infernum, quàm peccatum.

S. Anselm. de similit. c. 160.

MONOPH. Actum est: conclamatum est de anima peccatrice, si ad hæc audita, & cognita non tota præ contritione, metu, & dolore liquefcet.



MEDITATIO VI.

De iisdem damnis peccati mortalis.

Text. ex
prologo Re-
gula.

Ita Deo omni tempore de suis bonis pa-
rendum est, ut non solum, ut iratus
Pater non aliquando suos filios exhare-
det, sed nec ut metuendus Dominus irri-
tatus malis nostris, ut nequissimos servos
perpetuam tradat ad pœnam, qui eum
sequi noluerint ad gloriam.

Luc. 15. à
v. 12.

Præludium. Imaginare tibi felicis-
simum Filii Prodigii statum in domo
patris sui; è contra extra illam, apud
porcos miserabilem ejusdem conditio-
nem.

Filius pro-
digus pec-
catoris ty-
pus.

Punct. I. Confid. 1. Filii istius levita-
tem, & temeritatem in discedendo à suis
parentibus contra ipsorum monita, in
terram ignotam, & lubricam, in qua
omne patrimonium, & vestes pretiosissi-
mas dissipavit. 2. Sic peccatorem con-
tra legem Dei, inspirationes, monita, pro-
prium conscientiam, & crebra bona pro-
posita recedere à Deo, è domo, nempe
cœlo, & gratia, valedicendo Patri Crea-
tori, Filio &c. B. Virgini ceu Matri, &
Sanctis tanquam fratribus, & amicis, ac
abeundo post concupiscentias suas dissi-
pare omnem gratiam, & fructus passio-
nis,

Peccator
Deo &
cœlo va-
ledicit.

nis, & sanguinis Christi, sacramentorum,
& omnium bonorum operum totius suæ
vitæ.

O deplorandum naufragium ! ergo
omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non re-
cordabuntur amplius ? itane perierunt
omnes communiones, orationes, merita
&c. imò omnia suspiria, & guttæ sangui-
nis Christi ? &c.

Ezech. 18.
Affectus
deplorati-
onis.

Punct. II. Confid. 1. Prodigum de-
pauperatum, omnibus invisum, omnibus
ædibus more canis expulsus, è civitate
ad porcorum stabulum extrusum. 2. Sic
peccatorem post commissum vel unicum
mortale scelus quasi expelli è domo, re-
gno, gratia, consortio, amicitia Dei, &
Sanctorum, omni participatione precum,
& suffragiorum Ecclesiæ, atque merito-
rum Christi privatum, veluti aliquem ex-
communicatum.

Expellitur
è gratia &c.

Quid ergo fecisti infelicissime ? Estne
gutta Christiani sanguinis in te, ut non
præ dolore contremiscas ? itane, ô ex-
communicate ! à Deo ad diabolum, à
Sanctis ad porcos, à cœlo ad cœnum, &
stabulum ?

Affectus in-
crepationis
proprie.

Punct. III. Confid. 1. Prodigum re-
pudiato patre, factum esse rigidissimi
heri mancipium, à quo durissimis ver-
beribus pro pane saturatus, famelicus,
nudus in stabulo, fœtore, & frigore

Fit dæmo-
nis manci-
pium.

pernoctans, siliquas manducare coactus est. 2. Ita peccatorem diaboli mancipium vendi quasi suis concupiscentiis, torqueri in anima sicut energumeni in corpore; deletâ Dei imagine, diabolico inuri stigmati, uti veneficæ, & cogi ipsum adorare; novis semper peccatis fœdari, pro executoriali sententia damnationis postulari omni momento, igne tandem, & sulphure æternaliter pasci.

Apoc. 3. 17. Ah peccator! *miser, miserabilis, pauper, cæcus, & nudus*: incidisti in latrones, qui te spoliaverunt, & mortuâ animâ, semivivum te reliquerunt, Ah! *me-*

Ibid. 2. 4. *mento, unde excideris: age pœnitentiam,* revertere ad Patrem, prosterne te in faciem, veniam tuæ temeritatis deprecare, & dicas, ô pater mi! pater pientissime dimitte mihi *delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineras.*

Hortatio
ad rever-
tendum,

Verè, verè agnosco commissa mea, & pavefco; ne me projicias, ô DEUS meus! ut iratus Pater à facie tua, neque me tantis meis enormibus malis irritatus hæreditate cœlesti prives, & velut inutile terræ pondus, ac servum nequissimum, imò diaboli mancipium æternam tradas ad pœnam: sed parce piissime Salvator, qui latronem in cruce exaudisti, ac Perrum lacrymantem, & Magdalenam pœnitentem suscepisti.

CON.

CONSIDERATIO I. POME- RIDIANA.

De Compunctiōe Cordis, & dolore de
peccatis commissis.

Bonus homo semper invenit materiam Gerf. l. 1. c. 12.
dolendi, & flendi; & quanto stri-
ctius se considerat, tanto amplius dolet:
materia enim justī doloris, & interna
compunctiōnis sunt peccata & vitia, qui- Ex eod. l. 1. c. 1.
bus involuti sequentes suam sensualita-
tem maculant conscientiam, & perdunt
Dei gratiam. Si vis utiliter aliquid l. 1. c. 21.
proficere, conserva te in timore Dei. Da
te ad cordis compunctiōnem. In sola l. 3. c. 52.
compunctiōne est locus refugii à facie ira
inimici. Ibi emendatur, & abluitur,
quidquid aliunde contractum est, & in-
quinatum.

CONSID. II.

De actu Doloris de Peccatis, &c.

Domine; si ad instar maris lacry- Idem l. 3. c. 52.
mas meas effundere possem, adhuc
nihil dignus sum, quàm flagellari, &
puniri, quia graviter, & saepe te of-
fendi, in multis valde deliqui. Quid n. 2.
merui pro peccatis meis, nisi infernum,
& ignem aeternum? sed humilis peccato- n. 4.
rum

rum contritio acceptabile tibi est sacrificium; quia cor contritum, & humilitatum nunquam despexisti.

CONSID. III.

De proposito Emendationis, & satisfactionis.

Ex eod. l. 1. Surge, & in instanti incipe, & dic:
c. 22. Nunc tempus est emendandi, nunc tempus satisfaciendi. Quare vis procrastinare propositum tuum? Nunc tempus est valde pretiosum; nunc sunt dies salutis; nunc tempus acceptabile. Nunc labor tuus fructuosus, fletus acceptabilis, gemitus exaudibilis, dolor satisfactorius, & purgativus. Veniet quando unum diem, seu horam pro emendatione desiderabis, & nescio an impetrabis.



Die Tertia.

De pœnis peccati futuris, & consideratione novissimorum.

MEDITATIO VII.

De morte stipendio peccati, & ejus accidentibus.



Onorum operum instrumentum, numero quadragessimum in S. P. Benedicti regulis est: *Mortem quotidie ante oculos suspectam habere.*

*Text. Reg.
c. 4. instr.
40.*

PRÆL. Imaginare te in lecto fatali decumbentem, à Medicis desperatum, astantibus fratribus, sive amicis, accensâ ad lectum candelâ, positâ ad pedes aquâ lustrali, & imagine crucifixi ad caput, animam agere.

Punct. I. Confid. I. Certitudinem tuæ mortis, nam lex Dei, & Naturæ, ætas, propria corruptio, experientia, prædecessores, parentes, & fratres, medici, Confessarii, mundusque totus quotidie deficiens clamant contra te: *Reus est mortis;*

Horror ex certitud. mortis.

Matth. 28. mortis; nos legem habemus, & secun-
Joan. 19. dum legem debet mori. 2. Mortis legati,
 & prodromi jam eandem denunciaverunt,
 nimirum præcedentia funera, campanæ,
 anniversaria, & tot commemorationes
 pro defunctis. 3. Ipsius quoque mortis
 executores, apparitores, jam proximè
 imminere cervicibus videntur, uti quoti-
 dianus defectus, senium, morbi, & varia
 accidentia testantur.

Affectus
 horroris.

2. Reg. 15.

Ergo moriendum? ô qualis horror!
 ergo valedicendum mutuo corpori, &
 animæ, amicis, fratribus? *siccine separas*
amara mors? quò me duces ad terram
 ignotam, sine comite, sine solatio, ad
 æternitatem vel semper bonam, vel sem-
 per infelicissimam? Ah! Quò deveniam
 mortuus?

Ex incerti-
 tud. cir-
 cumstan-
 tiarum.

Punct. II. Consid. Mortis horrorem
 graviolem reddi, 1. ex incertitudine loci,
 temporis, modi; an scilicet morte natu-
 rali sedatâ, vel violentâ, ac repentinâ; an
 feбри, apoplexiâ, hecticâ &c. an cum usu
 rationis, vel sine &c. An cum perceptione
 omnium Sacramentorum, an in gra-
 tiæ, finalisque perseverantiæ statu, vel
 non. 2. Mortem reddi adhuc formidabi-
 liorem ex incertitudine statûs futuri,
 semperque æternaliter duraturi post mor-
 tem.

Cur ergo ô nimis incuria & vaga ani-
 ma!

ma ! non omnem locum , diem & horam suspectam habes ? Cur non attendis & recolligis sæpe illas Christi paternè præmonentis voces : *Vigilate , quia nescitis diem , neque horam .*

Affect⁹ increpationis
sua incuria.

Matth. 4.

42.

Punct. III. Considera. Mortem horribilissimam esse ob ea , quæ accidunt . 1. corpori ante mortem per anxietates , dolores &c. In morte per dissolutionem ab animâ tot annis sibi sociâ & intimè conglutinâtâ ; post mortem verò , quia ejicietur è domo , exportabitur uti sordes & fæces , terræ infodietur uti foetens cadaver , corrodetur à vermibus & putrescet . 2. Horribiliorem fore ani-

Horror ex
accidentibus corporis.

Et an

mæ , propter conscientia remorsus , peccatorum omnium repræsentationem , dæmonum aspectus , Judicii metum , sententiæ dubiæ expectationem &c. 3. Quia in mentem recurrent omnes bonæ inspirationes , occasiones & media promovendæ salutis neglecta , actionum & operum bonorum tepiditates , temporis perditiones , quæque levia videbantur , tanquam immensa moles gravabunt .

Quid tum velles Anima ! tantis circumvallata angustiis in illo horrendo æternitatis bivio constituta non fecisse ? & quid velles fecisse , aperi tandem , Ah ! aperi cœcutientes oculos &c.

Con-

Confidera tandem aliquando , tempus enim tuum nimis breve est. & fortè tibi vix modicum vitæ & induciarum pro pœnitentia restat. Mortem ante oculos tuos semper suspectam habe ; & discemoriendo bene vivere.

DIGRESSIO V.

De Morte impiorum tam Laicorum : quàm Sacerdotum in genere, male viventium pessimâ: Cosmophilorum angustiosâ: & quandoque etiam Sanctis formidolosâ.

THEOPHOBUS.

(I.)

Nolite animo cadere, priusquàm vulneribus faucii corruatis, etiam si vos hodie telis, gladiis, & romphæis bis acutis, eminùs, cominùs, punctim, cæsim, & decussatim aggrediar. En in pharetra ad dexteram pendentia mortis spicula; ad lævam verò feralis iudicii gladium, & super scapulas horrendam, flammigerantem, & nimis acutam sententiæ æternæ maledictionis romphæam. Morti Vos hodie dabo, ut vitam tribuam, deducam ad inferos, ut ad cœlum reducam. Primæ velitationis congressum

sum à mortis sagitta volante exordiar, Mors tri-
 quæ, trifulca sive triplex est; furoris, hor-
 roris, amoris; seu impiorum, Cosmo-
 philorum, atque justorum. Prima occi-
 dit immedicabili vulnere; altera fauciat
 periculosè, & longo dolore; tertia verò
 tanquam amoris, & salutis sagitta, illita
 melle, leviter, ac blandè perimendo
 justos vivificat. Nos in præsentì Digres-
 sione ad finem, brevissimè aliquid de
 morte Justorum attingemus. priùs autem
 de horrendâ impiorum tam sæcularium;
 quàm Sacerdotum indignè Sacrifican-
 tium, aut viventium: ac deinde angustiis
 & periculis plenâ Cosmophilorum morte
 agemus.

II. Prodeat ad teli jactum omnium
 scelestè viventium, & desperatè mo-
 rientium Antesignanus, ille inter Apo-
 stolos diabolus, inter discipulos pro-
 ditor, eleemosynarum fur sacrilegus,
 avarorum coriphæus, suo Creatori per-
 fidus, suo Magistro refractarius, suo
 pientissimo patri nefariè impius deicida
 Judas, qui semel à consortio Christi
 transfuga, pro pecuniis Auctorem vitæ
 divendere, & adeò horrendum com-
 mittere malitiæ infinitæ parricidium (mo-
 re aliorum, & quorumcunque obsti-
 natè viventium peccatorum) flocci fecit
 pati-

Judz epi-
 theta.

Job. 5. patibularius trifur, sed *quasi in nocte, sic palpat in meridie*, & juxta quod heri dictum: *impius, cum in profundum venerit, contemnit*: donec urgentibus jam suum auctorem fatis, *ceciderunt ab oculis ejus tanquam squama*. Nimirum verusut dæmon, quemadmodum peccatori, toto sanitatis corporalis spatio mortalis peccati gravitatem ad eò extenuat, ut eandem vel fictitiam esse, vel leviter, & proximâ quâvis occasione, atque confessione expiabilem persuadere conetur, secus autem in mortis hora, ubi illam in pondus immensum exaggerat, quò ad desperationem fortiùs impellat; ita caligantes invidiâ, & avaritiæ luto obcæcatis Judæ oculos tandem quasi collyria inunxit, ut facinorum suorum enormitatem perspiciens cœperit, jam proximè mortem secundam appetiturus, desperare.

Judas conscientia furis agitatus.

III. Videas igitur prostitutum inferis caput, furiis infernalibus circumagi, fodicari in pectore, stimulis conscientia lanari, hinc terribilibus flagitiorum monstris circumveniri, inde omnes Tartari larvas in eum infrendere, fractisque inferorum repagulis, in destinatam Orco victimam, quâ data porta, irruere; sedem rationis occupare, illam infano delirio fascinare, indurare in

re in suâ malitiâ voluntatem, memoriam infinitæ misericordiæ Christi auferre, turbulentissimas ingerere cogitationes, furiis omnibus circumagitare, omnem spei consequendæ remissionis aditum intercludere, & stridulo clamore auribus jam non oclusis nec surdis: insusurrare, actum est; periisti; impiissimè vixisti, divinos favores sceleribus recompensasti, Sacrum Apostolicum Collegium profanasti, Verbum Dei aliis prædicando flagitiosâ tuâ vitâ contaminasti, aliis conferendo sanitates te ipsum mortalibus noxis interemisti, diabolos è corporibus expellendo animam tuam dæmoniorum speluncam fecisti, pias aliorum eleemosynas ad Sacriligam proprietatem usurpasti. O fur! ô latro, ô traditor abominande! Dominum tuum prodidisti, Christi sanguinem innocentem, infiniti valoris pretium pro teruncio distraxisti, ad Apostolicam, imò divinam mensam accumbere, manus prædatrices in patinam ejus immittere, vivificum Dominici Corporis & Sanguinis Sacramentum de manu illius sumere, putidissimos tuos pedes ad effundendum sanguinem veloces ad abluendum extendere, demum perfido simulatæ pacis osculo & amplexu conjuratis inimicis DEum tuum tradere

Et suorum
scelerum
memoria.

H

non

non horruisti. Quin mille te fulmina feriant? Quin terra dehiscens tuum infame corpus & animam deglutiat? Quin omnia elementa te disperdant? periisti nefarie, periisti.

Omnes
contra lu-
dam con-
clamat.

IV. Ecce omnis concilii Judæorum iniquitas, Phariseorum invidia, Seniorum blasphemix, Judæorum injustitiarum, Pontificum sacrilegia, Gentilium impropria, militum crudelitates, totius orbis scelera tibi soli nunc imputantur. Periisti. Inclamant tibi Pontifices & Pharisei, si periisti, *tu videris*; Judæorum conciliabulum, *tu videris*, mundus clamat, *quid ad me, tu videris*. Clamat contra te vindictam justitia Patris, Filii Dei sanguis, præclusa Spiritus Sancti bonitas. Clamat Mater, cujus innocentem Natum tradidisti, clamant Angeli, quorum Regem prodidisti, clamant Apostoli, quorum Magistrum vendidisti, clamant Patres ex limbo, quorum stirpem in sanctissima prole exterminasti, clamant Prophetæ, quorum sexcentas maledictiones incurristi; clamant Cœlites, superi, terrestres, inferi, homines, dæmonesque ipsissimi, quod, quem ipsi pro Filio Dei confessi sunt, tu scelestissimis filiis hominum in sacrilegas manus consignasti; clamant denique universæ in caput tuum creaturæ, *ut oratio tua fiat*

*fiat tibi in peccatum, ut maledictionem Psal. 108.
induas sicut vestimentum, ut diabolus
stet à dextris tuis, & suspensus crepes
medius, & anima destinata Lucifero
victima, non per os, quod ter sanctis-
simum Christi os tetigit osculando, sed
per disruptum ventrem, cum intestinis
diffuat.*

V. Ergò perditissime Filii Dei deser- A consci-
tor, ex Apostolo apostata, ex Christi entia iti-
Vicario ficcarie parricida, ex Angelo dæ- mulatur ad
mon, abrumpe invisam superis vitam, suspen-
dium.
extrude coarctatos damnatæ animæ spi-
ritus, sis tibi ipsi lictor & carnifex, suspen-
de te in infami ligno, funem feralem
mille diabolorum cohortes jugulo ad-
aptent, præstat subire citam, quàm fu-
nestam in longum protrahere mortem.
O furix! ô acuti conscientiæ stimuli,
& illita mortis veneno sagitta! Quæ
tantò feraliùs Judæ animam peremit,
quantò majori Dei beneficio electus è
millibus Apostolicæ, ac Sacerdotalis di-
gnitatis honore insignitus quidem fuit,
sed omnibus laicis perfidiorem vitam
ducendo, scelestiorem quoque mortem
oppetit.

VI. MONOPH. Tremendus casus! Judicia Dei
deploranda ruina! quis non pertimescet timenda ex
impenetrabilem judiciorum Dei abyf- Judæ casu.
sum; ad summum Apostolatûs apicem

extollentis, quem prævidet graviori lapsu ad ima ruiturum?

Expediret
aliquibus
remanisse
Laicos;

PHILOTH. Valde timeo, id ipsum plurimis è Sacerdotali collegio in mortis articulo eventurum, ut memores vitæ tanto statui nimis indignè transactæ conscientia remorsu stimulante, & Sathanâ suggerente, ad desperationem adigantur, quibus sine dubio melius fuisset, in humili gradu suorum popularium, vitam cum placidâ morte commutare & salvari, quàm in Cleri sublimitate deterius vivere, periculosius mori, districtius judicari & damnari profundius.

Religiosi &
Sacerdotes
malè vi-
ventes.

VII. THEOPH. Rectè times mi Philothee, & si, ut spero, non tibi, nec propter te, saltem aliis & pro aliis, qui (quod vellem longissimè abesse à quibuscunque Religiosis & Clericalibus Ministris Altissimi) qui, dico contra eminentissimam Angelici, Apostolici, imò summi atque Divini statûs dignitatem in pudendorum facinorum cæno volutantur. Unde ut juxta nominis mei etymon, salutarem, talibus ad emendationem; probis autem ad cautelam, Dei timorem incutiam, adduco terrificam S. Joan. Chrysoft. sententiam in hæc verba: *Non temerè dico, sed ut affectus sum, ac sentio. Non arbitror, inter Sacerdotes multos esse, qui salvi fiant, sed multo plures, qui pereant: &* alibi causam

S. Chrysoft.
hom. 3. in
Act. Apost.
Pauci Sa-
cerdot. sal-
vantur.

unam

unam tantæ ruinæ insinuans : *Quid*, inquit, *miseris illis dixeris, qui se conjiciunt in tantam abyssum suppliciorum? Omnium, quos regis, mulierum, & virorum & puerorum, à te reddenda est ratio. Tanto igni caput tuum subjicis. Miror, an fieri possit, ut aliquis ex Rectoribus sit salvus? Altera talis perditionis assignatur causa ab Auct. Oper. imperf. quia Laici delinquentes facile emendantur, Clerici autem, si mali fuerint, inemendabiles sunt.*

VIII. Aliam verò refert S. Gregorius Mag. ita loquens : *Nullum, puto, ab aliis majus præjudicium, quàm à sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit.* Sed propius de Sacerdotibus in genere, ad rem nostram accedit alius purpuratus Doctor, dum ait : *Anullo planè Omnipotens majoris injuriæ præjudicium tolerat, imò deterius nemo peccat, quàm Sacerdos indignè Sacrificans. Aliter in quocunq; modo peccantes, quasi Dominum in rebus ejus offendimus: indignè verò sacrificantes velut in personam ejus manus injicere non timemus:* en Judæ traditoris, Christoque sacrilegas manus injicientis peccatum; cujus demum qualia putatis, quamque tremenda fore mortis fata; quàm desperatos rodentis

1. Ob rationem pro aliis dandam.

2. Quia sunt inemendabiles.
Auct. Op. imperf. in Matth. hom. 43.

3. Propter malum exemplum.
S. Greg. h. de Offic. Pastor.

S. Petrus Damian. Opusc. contra institut. Cleric.

4. Propter indignam celebrationem.

Remorsus
conscien-
tiæ in mor-
te.

Usque ad
desperatio-
nem.

Remorsus
de aliis
peccatis
commis.

tis & corrodentis pessimæ conscientia aculeos, ejusmodi moribus eum fodican-
tes? Huc age scelestum caput, satis lufisti
cum adorandâ Dei Majestate: flagitiose,
perfide Dei Minister, immaculati Corpo-
ris Christi contaminator, sanguinis ejus
conculcator, profanator Sacramentorum,
& animarum tibi commissarum seductor,
perditor, mactator; quid mortem vitâ
peractâ meliorem expectas? quid cœlum
in cœno, & vitiorum volutabro speras?
mortis telo jam jam confixus es, despera-
tus es, accusatus, judicatus, reprobatus
es & damnatus ad æternæ infamiæ & ma-
ledictionis suspendium.

IX. Nil tibi cum cœlo, cum Deo, cum
Superis, superbe, arrogans, prodige,
ebriose, blaspheme, luxuriose, scan-
dalose, & impie Sacerdos: in concilio
Sanctorum, & congregatione abomi-
nanda gessisti; honoris & gloriæ DEI
zelum statui, & vocationi tuæ compe-
tentem tuo fastu, ac vanæ gloriæ cor-
ruptelâ adulterâsti, dignitates & cul-
mina, aurum, & argentum, proprias-
que corporis commoditates, non ani-
mas tibi concreditas quâsisti, easdem
divinissimi sanguinis Christi pretio re-
demptas ac partas, scandalis, & persua-
sionibus pessimis seduxisti, in lusu, ac
otio, in commestationibus, & ebrietati-
bus

bus diurnis atque nocturnis pergræcatus es. Os Dei, labia Salvatoris, labiis venero osculo profanatis libâsti; carnem Virginem de Virgine carne purissima assumptam pollutis atrectare manibus præsumpsisti; roseum, & vivificum incarnari Dei sanguinem in impuram cordis tui cloacam haurire non erubuisti; Altaris sacrificium, & tremenda vel ipsis Angelis Sacramentorum mysteria cum mortalis peccati conscientia toties, & toties tractare, & sacrilegè profanare, non horruisti.

De impu-
ritate vitæ.

Indignâ
celebratio-
ne.

X. En modò os illud, en caro illa, en sanguis ille, humanæ redemptionis pretia, facta sunt tibi sententiæ æternæ damnationis, & maledictionis instrumenta. Tot clamant contra te furia, quot seductæ à te sunt animæ. Abi, abi à tota stygiorum hostium phalange circumvallatus; abi ad horribilissimum fatalis iudicii consistorium, ferali, & bis acutâ divinæ justitiæ machærâ trucidandus, fulminandus, maledicendus, atque præ cæteris solo nomine Christianis, Judæis, ac Gentilibus, cum Juda, cum Apostatis, cum Hæresiarchis indelebili caractere, ac stygmate in perpetuis stridoribus, & igne internoscendus, & per omnem æternitatem mactandus irrevocabili anathemate. Tales erunt malorum

Tremenda
finalia ful-
mina.

ac solo nomine sacerdotum, maximè indignè sacrificantium circa mortis tempora, conscientiaè remorsus, & fata; qui de nocte contaminati, polluti, sacrilegi, manè ob vile lucellum sacrificuli, absque pravia confessione ex mero imaginario suæ famæ respectu divina mysteria tractare non erubescunt. Sed de hac materia ulterius infrà.

*Polland. in
Vit. 20.
Febr. n. 27.
Visio S. U-
dalrici Pres-
byt. de 3.
Sacerd. Su-
spensis.*

XI. Interim non omittenda hîc visio, quæ S. Udalrico Presbytero in Angliâ contigit, dum tres juvenes Sacerdotes in Ecclesiâ juxta altare ex funestâ trabe suspensos, & jam jam extremè strangulandos, intercisis tamen vocibus opem illius efflagitantes, & illicò conscenso altari à se liberatos esse, per dictam visionem agnovit: stupenti post somnum, ecce summo mane tres Sacerdotes inhonestatum complices advolantes, ad genua ejus provoluti, pœnitentes, sacrâ confessione expiati, & absoluti sunt.

*Per confes-
sionem li-
beratis.*

Dan. 10.

*Psal. 33.
2. Cor. 11.*

Quapropter consecrato Deo Sacerdos, quisquis fortasse Reus es, his tibi seriò insculptis, ac cum tremore perpensis, *intel-
lige verba, quæ ego loquor ad te, & sta
in gradu tuo; siquidem mors peccatorum
pessima & finis eorum secundum opera
eorum.*

XII. Sed abhinc nos conferamus ad alicujus sæcularis Cosmophili, non ita ta-
men

men exasse nebulonis agonem. Videtis illum, frigido sudore jam undique per tempora defluente, pallido vultu, fractis oculis, intercisâ voce, mutescente linguâ, congelatâ manu, collisis genibus, emortuis pedibus, anhelò pectore, colluctante spiritu, palpitante, & jam ultima trahente corde suspiria, quaquaversum conari oculos flectere, manus protendere, quærere super stragulam laciniolas, sive pulvisculos, volutare ad omne latus debilia membra, movere exsucca labia, opem quasi postulaturum, atque visurum, sicubi dolorum suorum levamen, effugii locus, aut ulterioris vitæ radius affulgere dicatur. Implorat charissimam conjugem, sed ea vultu squallida luget; vocat dulcissima pignora, & filios, illi soluti in lacrymas ejulant; sollicitat Medicos, sed desperârunt; inclamat amicos, at *relicto eo omnes fugerunt*; propinquos, natos, affines, socios, combibones, affectas, sed omnes *quasi alieni recesserunt*; sperat in pecuniæ thesauris, sed *relinquet alienis divitias suas*; confidit in honores, atqui *omnia vanitas & afflictio spiritus*, in voluptates & gaudia, sed, heu! *extrema gaudii luctus occupat*. Unde accisâ omni auxiliorum spe, obversantibus rerum præteritarum umbris, præsentium imaginibus, futura-

Mundani
hominis
moribundi
descriptio.

Accisâ un-
dique spes.

Matth. 26.

Job. 19.

Psal. 48.

Eccles. 1.

Prov. 1.

Angustia
animi,

rum terroribus, tandem adhortante for-
san fideliore aliquo, suspicit cœlum,
quod rarè cogitavit, & timet fulmina;
despicit terram, cui nimis adhæsit, &
metuit dehiscentem; retrò conspicit, &
prò dolor! temporis pretiosissimi luri-
dissimè consumpti recordatur; ante se
prospicit, & videt longissimam, æter-
namque æternitatem. Intùs se oculos
convertit, & non nisi malè cauteriatam,
plenamque vitiis conscientiam reperit,
horretque vel perpetuos inferni, vel atro-
cissimos purgatorii ignes, in quos jam
jam præcipitandum se formidat, & ex-
spectat.

Separatio-
nis dolo-
res.

1. Reg. 15.

XIII. Has inter angustias exclamare
nititur, sed non valens, suspirat in hæc
verba: *Siccine separas amara mors* ab
amantissima thalami consorte? à dul-
cissimis filiis oculorum meorum deli-
ciis? à cognatione, à domo, ab omni-
bus congestis pecuniis, & possessioni-
bus, agris, vineis, latifundiis, quæ tan-
to sudore, & pretio comparavi? sicne
separas ab urbe & orbe universo, mit-
tisque in terram miseræ & tenebrarum?
O Anima sine corpore! ubi erit corpus
tuum? Ecce putredo in ossibus tuis:
ubi deinceps habitabis? an in cœlo,
an in paradiso, an in purgatorio, an
in inferno? habebisne flammam suppli-
cii

Petr. Cel-
lens. Abb.
de discipl.
claustr.
c. 23.

cii in parte, vel in toto? eritne spes evadendi? Ecce Æthiopes crudelissimi jam ligna, fœnum, stipulam & picem, & rogos insistunt subministrare &c. Quid hîc agat moribundus undequaque pressus angustiis, nulloque apparente solatio? spemque metumque inter revocet oculos ad Crucifixi imaginem? Ecce *videre eum, quem contempsisse se meminit, Indicem formidat*. Talia sunt communissima & quotidiana mundanorum hominum fata; quibus proinde talis Lessus mortualis competit: *ô mors! quàm amara est memoria tua homini habenti pacem in substantiis suis*. Iis enim amara est mortis certitudo, amarior incertitudo, amarissimus incertus, & irrevocabilis expirantis horulæ terminus, & præ apertis jam foribus instans incertæ conditionis ac statûs æternitas.

Timor inferni.

S. Gregor.
hom. 13. in
Evang.

Eccli. 41.

XIV. MONOPH. Sed nunquid præ istis feliciores vitæ exitus sortientur Religiosi, ab omnibus rerum mundanarum impedimentis, periculis, curisque soluti, quibus plerumque mors est melioris vitæ mutatio, non corruptio, progressus ad patriam, non transitus ad ruinam; sed omnium finis laborum, quietis æternæ principium?

Mors piorum feliciores.

Formido
mortis ali-
quorumSS.

Propter di-
strictam in-
quisit. fu-
turam.

S. Cyrill.
orat. de
exitu an.

S. Greg. I. 4.
dial. c. 7.

THEOPHOB. Verissima subinfers;
& mille piorum Religiosorum gaudiosa
& beatissimâ morte defungentium exem-
plis, in comperto est. Veruntamen nôsti
etiam, Sanctissimos viros Augustinos,
Bernardos, Hilariones & Agathones sub
mortis horam extremuisse, multosque
alios primæ admissionis apud DEum ami-
cos, scientes, se mox ab animæ à corpo-
re discessu in æternitatis adhuc ignotâ viâ
immanissimis telonariis & exactoribus
portas omnes occupantibus violentissi-
mè coactum iri, sarcinas omnes in quin-
que teloniis deponere (uti S. Cyrill. scri-
ptum reliquit) ad lustrandum & accura-
tissimè perscrutandum, quid mercium
Religiosis prohibitarum, in linguâ, visu,
auditu, odoratu, vel tactu secum ge-
rant. Unde si eapropter *tremebant co-
lumna, quid facient tabula?* Et si hujus
pavoris turbine etiam Cedri quatiebantur,
quomodo virgulta immobilia sta-
bunt? Fervorem igitur Religiosum ad
mortis præparationem quotidie instau-
ra, & talis esto in vitâ, qualis
optares inveniri in
morte.

* * *

MEDITATIO VIII.

De Judicii particularis rigore post mortem.

Aliud bonorum operum instrumen- Text. Re-
 tum est: *Diem Judicii timere.* Et ut gul. c. 4.
 quilibet, ubicunque *sedens, ambulans,* instr. 44.
vel stans &c. jam se tremendo judicio ib. c. 7.
Dei presentari existimet. grad. 12.

Prælud. Imaginare, quòd videas ma- Dan. 5. 25.
 num in pariete cubiculi tui insperatò ap-
 parentem, tibi que scribentem illa verba,
MANE; THECEL; PHARES. sive
NUMERATUS es, APPENSUS,
DIVISUS.

Punct. 1. Confid. Primum verbum: **Judicii di-**
NUMERATUS es: nimirum. Nu- vini post
 meratos esse vitæ tuæ dies, & completos: mortem
 simulque unâ cum illis exspirâsse o- processus.
 mne tempus gratiæ & bonarum occasio-
 num. 2. Nunc tempus esse, ut anima
 tua rapiatur ad Dei tribunal, deducen-
 tibus hinc, & inde Angelo, & diabo-
 lo. 3. Et ut sistatur tanquam rea coram
 Judice Christo, accusatore dæmone,
 Advocato Angelo Custode, patefacto
 libello propriæ conscientiæ, tot verò
 testibus, quot creaturæ fuerint malo-
 rum

rum tuorum instrumenta, vel complices. 4. Factâ longissimâ, & vehementissimâ scelerum narratione, & postulatione finalis sententiæ, proferri etiam tua paucula bona opera, remissa, tepida, &c.

Heu! mihi, Domine, tremens factus sum, & timeo, dum hæc tremenda discussio venerit, atque ventura ira, quid faciam miser? ubi fugiam à facie peccatorum meorum, & à vultu iræ tuæ?

Punct. II. Confid. Alterum verbum: APPENSUS es: scilicet rigorosum post accusationes examen. 1. De omnibus acceptis talentis naturæ, in anima, & corpore &c. 2. De donis gratiæ, Fidei, Sacramentorum, inspirationum, exemplorum, instructionum, & maxime VOCATIONIS RELIGIOSÆ, vel Sacerdotalis è tot millibus &c. 3. De omnibus è contra peccatis cogitatione, verbo, opere, omissione paratis contra DEUM, proximum, Superiores, Regulas, VOTA, statum, &c. 4. De peccatis alienis ratione officii, animarum curæ, negligentia, indulgentiæ, consilii, iussionis, auxilii, scandalive imputatis. 5. Etiam de ipsis iustitiis, & bonis operibus, uti sunt Sacramentorum perceptio, administratio, preces

Ejusdem
rigor pro-
pter exa-
men.

preces &c. denique illorum fervore, diligentia, attentione, & intentione; vel e contra.

○ Dominus meus, & DEus meus! quid erit in Babylone, si scrutaberis Jerusalem *Sophon. 1.* in lucernis? quid fiet de horribili gravitate, & multitudine peccatorum, si etiam ipsa bona opera tam districtè examinabis, iudicabis, ventilabis, & fortè plurima rejicies?

Punct. III. Consid. Circa tertium verbum: DIVISUS es: scilicet à DEO, & *Et ratione Judicis.* cœlo, si reperiat te Judex minùs habentem &c. hic verò Judex omniscius est, cui nihil potest occultari; infinitè sapiens, ut non decipi; justus & rigidus, ut non inflecti; severus & constans, ut non exorari; omnipotens, ut ei non resisti; supremus, ut ab illo appellari non possit.

○ qualis de me erit sententia! ô sententia omnium terribilium terribilissima! *Discedite à me maledicti in ignem æternum: quis non tremat, & properet, ut convertatur? O vocem illam alteram Salvatoris dulcissimam! Venite benedicti Patris mei &c.* *Matth. 25. 51.*

Ah anima mea! Quàm igitur salutare, & necessarium, districtissimum hunc Judicii diem semper timere, quàm salubre, in quocunque loco, situ, motu, &

& tempore existimare, se jam jam tremendo nimis iudicio Dei præsentandum abripi? O JESU mi Domine, ingemisco tanquam reus, culpâ rubet vultus meus, supplicanti parce Deus &c.

CONSIDERATIO I. ANTE-MERIDIANA.

De frequenti memoria Mortis.

*Gerf. l. 1.
c. 23.*

Valde citò erit tecum hic factum; vide aliter, quomodo te habeas. Hodie homo est, cras non comparet, sic ergò te in omni factò & cogitatu deberes tenere, quasi hodie, vel statim esses moriturus. Beatus, qui horam mortis suæ semper ante oculos habet, & ad moriendum quotidie se disponit. Cùm mane fuerit, puta te ad vesperam non perventurum. Vesperi autem factò, mane tibi non audeas polliceri.

CONSID. II.

De sedula preparatione ad Mortem.

M. n. 4.

Quàm felix & prudens, qui talis nunc nititur esse in vita, qualis optat inveniri in morte! Dabit namque magnam fiduciam feliciter moriendi perfectus contemptus mundi, fervens desiderium in virtutibus proficiendi, amor disciplinæ, labor pœnitentiæ. prom-
ptitudo

ptitudo obedientia, abnegatio sui; & supportatio cujuslibet adversitatis pro amore Christi.

CONSID. III.

De prævisione, & timore futuri
judicii.

O Miserrime, & insipiens peccator! Idem c. 24.
1.
qualiter ante districtum stabis Judicem, cui nihil est occultum qui muneribus non placatur, nec excusationes recipit? quid respondebis Deo omnia mala tua scienti? Ut quid non prævides tibi in die judicii, quando nemo poterit per alium excusari, vel defendi; sed unusquisque sufficiens onus erit sibi ipsi? Igitur time judicia Dei, & expavesce iram Idem l. 3.
c. 4. 4.
Omnipotentis.

DIGRESSIO VI.

De rigore Judicii Discussionis contra
Personas Deo sacras; & horrore judicii
Reprobationis contra præscitos post
mortem secuturi.

THEOPHOBUS,

(I.)

Ille quondam ætate, vitæ austeritate Abb. Elias
& miraculis prodigiosus Anachoreta tria timuit.
centum

centum & decem annorum senex & Abbas Elias dicere solitus erat, tria se expavescere suprâ modum; discessionem animæ à corpore; inevitabilem coram supremo Judice comparandi necessitatem; & finalem de se sententiam. Concussos horrore sagittæ mortis Vos hodie reliqui, dilectissimi; nunc gladius Judicii seu discussionis divinæ post mortem fulgore suo mentis vestræ aliàs Religiosæ & timoratae oculos perstringet; Reprobos autem fulmen Romphææ (exitialis videlicet sententiæ) morte sempiternâ mactabit. A primo discussionis seu indignationis DEI judicio, quâ omnipotens ejus Justitia, contra statûs sui exigentiam incurios, negligentes & tepidos Christianos, absque mortalis quidem culpæ, cum ingenti tamen venialium reatu hinc decedentes in piaculares flammâs detrudit, ab hoc, inquam, judicio exordiamur; quod cum tanto rigore districtissimus Judex, maximè consecratas suæ divinæ Majestati personas exequetur, ut & cœli columnæ (Sanctissimi quique) ab illo tanquam imminente cervicibus suis fulgure contremuerint.

Rigor Judicii divini contra personas factas & cur?

II. Et hoc idcirco, quia talium personarum, Regularium & Ecclesiasticarum *tam excellens est electio, ut, quæ in aliis Eccle-*

Ecclesie membris non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita; & plerumque quod in laicis culpa non est, hoc Crimen est in Sacro ordine constitutis: omnium verò gravissimè apud S. Bernard. Inter seculares nugæ, nugæ sunt, in ore Sacerdotis (& Religiosi) blasphemie. Consecrasti os tuum Evangelio (ac Votis) talibus jam aperire illicitum, assuescere Sacrilegium est: fædè ad cachinnos moveris, fædius moves. DEum immortalem! si nugæ in tanto rigore pro blasphemis & Sacrilegiis discutientur, quis sustinebit? aut quis Dei omnipotentis oculos aquilinos (tametsi non furiosos, aut fulminantes) fulgurantes & iratos tolerabit? aut quid tandem Vos peremptoriè ad ejus Tribunal citati respondebitis, dum reos plurimorum etsi venialium duntaxat piaculorum tremebundos hisce verbis adorientur.

S. Leo epist. 84. ad Anastas. S. Greg. e-pist. 5. l. 18. Lib. 3. de consid. c. 13.

III. Reddite & Vos duo Evangelici Debitores rationem villicationis vestræ: ordinati & professi estis, sacris tunicis induti, attonsi, in partem fortis Sanctorum selecti, segregati à peccatoribus & cœlis excelsiores facti estis, at quia nec vestis Clericum, nec habitus facit Monachum, cujus est hæc imago, quam præfertis & superscriptio? Si Sacerdotis, si Religiosi, ubi est vestra secularium

Rigorousum examen super statu vocationis & ejus requisitis.

rium morum conversio? mundi, rerumque mundanarum contemptus, vanitatum sæcularium abdicatio, carnalium refrænatio cupiditatum, superbiæ, vanæ gloriæ, avaritiæ, gulositatis, immunditiæ, pigritiæ, solida quædam mortificatio, edomatio, exterminatio? Cujus est hæc Votorum, torque propositorum vestrorum subscriptio, & confirmatio? si Vestra, ubi ergò immaculatus candor castitatis? ubi orationis fervor, sollicitudo operis Dei, fidelitas divini servitii? ubi vigilantia pastoralis, animarum zelus, condigna sacrorum mysteriorum tractatio? siccine omnia in Vobis in torporem, incuriam, meram superficiem, negligentiam, & ex Ore meo evomendam luriditatem abierunt? siccine obscuratum est aurum, mutatus est dignitatis & fervoris vestri color optimus?

Judicii rigor contra Sacerd.

Petr. Blef.
S. Bern.
Idem.

IV. Ecce, ecce Vestrarum conscientiarum libros, ecce integros dæmonum Vos accusantium, ignaviarum & delictorum vestrorum exaratos Codices: Tu PHILOTHEE in alto sedens: alta, & non humilia sapiebas: elatior, quàm melior esse quærebas, mundo magis, quàm Deo placere studebas; Ecclesiasticos proventus, in superfluitatem, gulam, & vanitates dissipabas, & magis inhiabas lu-

cro

cro divitiarum , quàm saluti animarum.

In te fuit *Sacerdotis nomen inane, & de-* S. Ambr. de dign. sac. c. 2.
lictum immane, honor sublimis & vita
deformis, deifica professio & indigna
actio, gradus summus, & animus infi- S. Bern. l. 2. c. consid. c. 7.
mus, sermo multus & fructus nullus. O,
 pudor! ô facinus!

V. Et tu Monophile velox eras ad Et contro Religio-
 mensam, tardus ad Ecclesiam, pervigil sum.
 ad fabulas, somnolentus ad vigilias, &

præceps ad loquendum, invitus & ra-
 rus ad tacendum; promptus ac pro-
 nus ad iram, contentiones, & murmu-
 rationes, infuetus ad patientiam, man-
 fuetudinem ac humilitatem; libertatis
 amator, licentiarum inventor, regula-
 rum transgressor, disciplinæ prævari-
 cator, quietis, silentii, solitudinis, ora-
 tionis, &c. confratrum tuorum distur-
 bator. O scelus! ô criminum farrago!

Faceffite hinc uterque, immundi, Severæ ob-
 repidi, vecordes, vagi, incircumspecti, jurgatio-
 dissoluti, leves, ut quid sæcularis status nes Judicis
 vos sibi non servavit? ut quid habi- contra
 tum mutastis, non animum? ut quid utrosque.
 terram sanctam incoluistis? eleemosy-
 nas & foundationes piorum devorastis?
 loca vobis multò sanctiorum occupastis?
 Angelica officia vestris vitiis profanastis?
 Si vestro arbitrato vivere, genio & libertatibus indulgere, in pigri-

Expediret
fuisse Lai-
cum.

tiâ & socordiâ delitescere delectabat, in mundo, in loco sordium, in Curiis, in triviis, in popinis sordescere præstabat, & simplicem gehennam, aut purgatorii poenam in statu sæculari malè vivendo vobis comparassetis, nunc in habitu Sancto duplicis supplicii reos Vos fecistis.

Traduntur
ad poenas
purgat.

VI. Ite ergò, ite Tortores, abripite animas habitu, quàm vitâ sacratiores; trahite sine morâ, trahite in subterraneos carceres, duplicate duplicia secundùm opera eorum; *pro mensurâ peccatorum, erit & plagarum modus: dico enim Vobis, non exhibitis inde, donec etiam novissimum minutum reddatis.*

Apoc. 18.
Deut. 25.
Luc. 12.

Timor ju-
dicii post
mortem.
S. Aug. l.
medit. c. 39.

PHILOTH. Heu nos! quàm dirè fulminas, quàm horribili tubâ ad iudicium nos vocas: *Va misero mihi, cum adveniet dies iudicii mei, & aperti fuerint libri conscientia mea, & dicetur de me. Ecce homo & opera ejus: ecce nihil respondere potero, sed demisso capite præ confusione stabo trepidus & confusus.*

VII. THEOPH. Non dirè fulmino, nec in furore arguo, sed pro parte Christi Judicis increpando duras fulguro coruscationes, & metuentibus do significationes, *ut fugiant à facie arcûs & liberentur dilecti Dei.* At nunc in reprobationis æternæ iudicio furor iræ ejus apprehendet

det impium, & mittet contra eum fulmina, & voces tonitruui sui in rotâ. Igitur sedebit contra Reprobum, ille *Rex tremenda Majestatis*, qui quondam jacuit ut infantulus, seque passus est fugari, ut imbellem, capi ut debilem, calcari tanquam vermem, trahi velut jumentum, ligari ceu mancipium, illudi ut stultum, accusari, ut reum, judicari tanquam blasphemum, condemnari ut malefactorem, in crucem denique agi, non secus ac profligatissimæ vitæ latronem. Hic, hic jam vice versâ sedebit, ut judex, eruntque illius *oculi tanquam flamma ignis, pedes sicut in camino ardenti, vox tanquam aquarum multarum, & de ore ejus procedet gladius ex utraque parte acutus.* O qualis horror & tremor! quando sedente hoc Judice infra infernus hians, supernè cælum clausum, foris mundus deserens, intus conscientia rodens, à dextris peccata accusantia, à sinistris dæmonia terrentia, antè æternitas longa, retrò voluptates præteritæ peccatorem terrebut, omnesque contra eum armatæ creaturæ ad iudicium procedent, quod ipse non prævidit, rapiendus per viam, quam non exploravit, in orbem, quem non cognovit, ad Judicem, quem contempsisse se meminit, interrogandus, quod non credidit,

*Job. 41.
Ps. 76.
Judex,
olim parvulus.*

Apoc. 1.

*Nunc sedet
tremendus.*

*Terror re-
probi ex
circumst.*

responsurus, quod non paravit, rationem redditurus, quam raro computavit, sententiam percepturus, quam non expectavit, deprecaturus, quod non exorabit, luiturus, quod per mille millionum circulos nunquam expiabit.

Ex qualitate
Judicis.

S. Aug. l. 3.
de symb.

Auct. im-
perf. hom.

49.

Exprobra-
tiones ex
passione
Christi.

Jer. 2.

VIII. Circumspice miser, sic deprehensus; quò fugies, dum latere impossibile est, apparere intolerabile? En Judicem, qui nec gratiã prævenitur, nec misericordiã flectitur, nec pecuniã corrumpitur, nec tuo jam amplius satisfactionis, aut pœnitentiã promisso mitigatur. En fumus in ira ejus ascendit, & ignis à facie ejus exardescens tanto furore destinatum tuum inferis caput invadit, ut melius tibi foret, illicò infernales pœnas, quàm Dominũ judicantis ferre præsentiam, ita enim in furore suo arguet te: *Ego propter te homo factus sum, propter te alligatus, & delusus, & casus, & crucifixus sum. Ubi est tantarum injuriarum mearum fructus? Ecce pretium sanguinis mei, quem dedi pro redemptione animæ tuæ, ubi est servitus tua, quam mihi pro pretio sanguinis mei debebas? Ego super gloriam meam te habui, cum essem Deus apparens homo, tu autem viliores me omnibus rebus fecisti: à seculo confregisti jugum, rupisti vincula mea, vertisti ad me tergam & non faciem, oblitus es Domini*
Salva.

Salvatoris tui, nunquam me nominâsti nisi blasphemando, nunquam meum Corpus suscepisti, nisi in cordis tui cloacam sepeliendo, nunquam aliter sanguinem meum, passionemque meam tractâsti, nisi conculcando; quod præceptum non es transgressus? quem dæmonem in animam tuam non admisisti? quibus nefandis cogitationibus non consensisti? quæ impietatis opera non perpetrâsti? Nunc sanguis meus contra te clamat, vulnera mea contra te allegant, cicatrices conqueruntur, clavi loquuntur & probant, crux mea portatur in testimonium.

IX. Ecce jam contra te dilatavit infer-
 nus os suum, jam patet tibi carcer æter-
 nus, jam horroris caverna, jam fornaces
 ardentes, jam desperatorum vorago,
 jam chaos maledictionis, vastum sine
 mensurâ *profundum sine fundo, plenum
 ardore incomparabili, fœtore intolerabi-
 li, dolore innumerabili.* Igitur male-
 dicte in hunc ignem æternum, sævissi-
 mē urentem, vermem corrodentem,
 sulphur fœtens, torrentes flammæ, in
 antrum maledictionis, in anathema ob-
 livionis, in funestissimam omnium pœ-
 narum officinam. I maledicte in lacum
 picis, in stagnum sulphuris, in puteum
 interitûs, in fossam buffonum, in spe-
 luncam

Ingratitu-
 dinis ex-
 probratio.

Inferni vor-
 ago aper-
 ta.

Hugo de S.
 Viç. l. 4.
 de ani.

Inferni de-
 scriptio.

Ejusdem
poenæ.

luncam draconum, in cloacam sordium, in abyssum inferni inferioris : ubi accisâ omni redemptionis expectatione, desperatio totam sibi malitiæ consummationem vendicabit. Ibi portio tuâ sint atrocissimæ flammæ, densissimæ tenebræ, carbones inextinguibiles, planctus inexorabiles, aspectus dæmonum horrendissimus, stridor dentium rabiosissimus, crudelissima fames, atrocissima sitis, implacabilis execratio, & desperatio prorsus irremediabilis.

S. Cyril.
*Alex. orat.
de exitu
anim.*

Poenarum
omnium
æternitas.
S. Aug. l.
*de triplici
habitaculo*
c. 49.

S. Greg. l. 9.
mor. c. 49.
Exod. 15.
18.

X. Ibidem ingemisces maledicte, & nemo compatietur; clamabis, & nemo flectetur; lamentaberis, & nullus eripiet; ululabis, ac planges, & nemo miserebitur. Perpetua tua societas erit diabolorum sine divortio, bestiarum ferocitas sine effugio, ministrantium crudelitas sine clementia, dilaniatio vermium sine consumptione, dolor sine remedio, captivitas sine relaxatione, poena sine remissione, supplicium sine redemptione, defectus sine defectu, cruciatus semper præsens, Hodie semper durans, Cras nunquam superveniens, præteritum nunquam absens, annus nunquam transiens, morsque & morsus sine morte, quia & *mors vivet, & finis semper incipiet, & deficere nesciet defectus* in æternum & ultra.

XI. O furor! ô indignatio! ô tonitrua! ô fulmina! extruditur, eliminatur, laceratur, cruciatur, dilaniatur & abripitur anima illa immortalis, illa Dei filia, illa Sanctissimæ Trinitatis imago, illa pretiosissimo JESU sanguine redempta, dealbata, purpurata, & sanctificata quondam DEI sponsa. Expellitur uti canis, maledictis, & execrationibus oneratur, diris omnibus devovetur. Quisnam vel obstinatissimus peccator hæc audiens, sciens, & credens non contremiscat? O homo stulte! & absque consilio, quando tandem sapiens, & intelliges, & novissimam providebis æternitatem, digito modicum ignem tangere metuis, & quomodo non formidas in ignis perpetui rogam ligatis manibus, & pedibus conjici? Quòd si te formidare dicas, age ergò, ut ad evitandam istam pœnosissimam æternitatem quotidianâ lectione hoc volvas & repetas *in illo* aterna damnationis supplicio, quidquid potest excogitari, adesse semper & adesse etiam semper, quidquid non potest excogitari.

Anima cum furore abripitur.

Consideratio inferni.

Cassian. in confess. Theolog. part. 3.

S. Ambr. in c. 58.

Isai.



MEDITATIO IX.

*De Inferno ; ejusdemque aternâ pœnâ
damni & sensûs.*

*Text. Re-
gul. ex c. 4.
instr. 45.
& c. 7.*

UNusquisque curet ad suæ Conversio-
nis initium *gehennam expavescere,*
& sit semper memor omnium, quæ præci-
pit Deus, qualiter contempnentes Deum
in *gehennam pro peccatis incidunt.*

Prælud. Imaginare tibi divitem Epulo-
nem, videntem Lazarum in sinu Abrahæ,
se verò in flammis tostum & ejulantem :
Luc. 16. 24. crucior in hac flammâ.

Punct. 1. Confid. I. Malitiæ peccati,
ut est aversio à Deo, correspondere pœ-
nam damni, quæ est æterna privatio, gra-
tiæ, hæreditatis, & gloriæ cœlestis, con-
fortii omnium Sanctorum, Visionisque
beatificæ. 2. Est exclusio perpetua à Dei
providentia, sapientia, bonitate, miseri-
cordia cum perenni subjectione ipsius
tremendæ indignationi, inimicitia, vin-
dictæ, abominationi, execrationi, & ma-
ledictioni à tota sanctissima Trinitate, à
Matre Dei, & tota Curia cœlesti. 3. Hanc
solam pœnam talem esse, ac tantam, ut
licet mille inferorum pœnæ sensibiles
essent unitæ, sola hæc omnes cruciatus
excederet.

*S. Chrysof.
to. 2. c. 7.
Matth.
hom. 24.*

Miser-

Miserrime, desperatissime peccator, quò te vertes averfus à Deo, invisus Deo, inimicissimus Deo, execrabilissimus Deo, projectissimus à facie Dei; convertere citò ad Dominum, & convertetur ad te.

Punct. II. Consid. Alteri malitiæ peccati, quæ est conversio ad creaturam, correspondere pœnam sensûs in orco. Hinc 1. oculi dæmonum aspectu, aures ejulatu, odoratus fœtore, gustus buffonum, & serpentum escâ, & sulphuris, picisque potu, tactus igne vivacissimo torquebuntur. 2. Memoria recordatione elapsi temporis, occasionum &c. intellectus apprehensione amissi boni infiniti, & mali acquisiti in infinitum: voluntas autem tali obstinatione, ut nullus damnatorum per totam æternitatem possit, aut velit aliquando dicere hæc sola verba: misereri mei DEUS. 3. Cor etiam tali rabie & odio; ut incessanter sint blasphematuri Deum, Deiparam, Sanctos, & maledicturi parentes, filios, socios, complices, diemque nativitatis; & anima suum corpus, & corpus ipsam animam sine fine.

Pœnæ sensûs.

O miserabilissimum damnatæ animæ cantum, *Lamentationes, carmen & va* Ez. 2. 9.
ex tam perenni maledictione; cur non citius in vita maledixit sensuum suorum

rum effrænem peccandi libertatem, voluntatis obstinaciam, & obduratam totius vitæ impœnitentiam?

Pœnarum
æternitas.

Punct. III. Consid. Malorum omnium desperatissimum esse, pœnarum æternitatem. Ibi enim sunt tenebræ palpabiles æternæ, fletus, & ululatus horribilis, stridor dentium terribilis, fames, sitisque incomprehensibilis, fœtor incredibilis, conscientiæ morsus intolerabilis, ardor incomparabilis, societas dæmonum formidabilis, carcer miserabilis, locus impermutabilis, decretum irrevocabile, desperatio interminabilis, & mors sine principio, medio, & sine semper immortalis.

Psal. 54.
Isa. 33.

Cruciatu
max. æter-
nit.

I nunc mea peccatrix anima, descende in infernum vivens, & proba, an possis habitare *cum igne devorante, & cum ardoribus sempiternis*; si enim hîc homo uno temporis momento in ignem (respektivè pictum) positus exspirat, ibi crematur, & dolet, & tamen nequaquam, quod crematur, consumitur. Sed reviviscit, ut iterum moriatur, & iterum reviviscat ad ignem. O Rota æternè volubilis! ô omnium malorum fons inexhauribilis! si hîc, ô æternitas! tui solâ memoriâ cor meum dilanias, quantum ibi tuâ furiâ animam meam discruciabis?

CON-

CONSIDERATIO I. POME- RIDIANA.

De memoria Pœnarum inferni.

Quid aliud ignis ille devorabit, nisi *Genf. l. 1. c. 24.*
peccata? In quibus homo peccavit, in illis gravius punietur. Ibi acediosi ardentibus stimulis perurgentur, & gulosi siti, ac fame cruciabuntur. Ibi luxuriosi & voluptatum amatores ardenti pice, & fœtido sulphure perfundentur. Nul- lum vitium erit, quod suum proprium cruciatum non habebit. Ibi nulla requies est, nulla consolatio damnatis, sed una hora gravior ibi in pœna, quàm hîc cen- tum anni in amarissima pœnitentia.

CONSID. II.

De agenda pœnitentia pro peccatis.

IN omnibus rebus respice finem; & esto *Ib. n. 1. 4.*
modo sollicitus, & dolens pro peccatis tuis, disce te nunc in modico pati, ut tunc valeas à gravioribus liberari. Certè *n. 6.*
quandò amplius tibi ipsi nunc parcis, & carnem sequeris, tantò durius postea lues, & majorem materiam comburendi *n. 3.*
reservas. Hîc itaque primò proba, quid possis postea. Si nunc tam parum vales *n. 6.*
sustinere, quomodo aeterna tormenta poteris sufferre? si modò modica passio tam impatientem efficit, quid gehenna tunc faciet?

Dic

Die Quarta.

De incuria, & cura minimorum.

MEDITATIO X.

De Venialium Peccatorum
gravitate.*Text. Regul.
c. 6.*

*Erba otiosa, & risum mo-
ventia, aternâ clausurâ in
omnibus locis damnamus;
& ad talia eloquia disci-
pulum os aperire, non per-
mittimus.*

Prælud. Imaginare, speciosissimam
Regis filiam, & sponsam, per subitaneum
leve accidens deturpatam horrendâ scabie,
& ulceribus plenam apparere.

*Damna ve-
nialis pec-
cati in ani-
ma.* *Punct. I. Confid.* Peccatum veniale,
quamvis mortem non inferat. 1. Ani-
mam tamen turpiter coinquinare, ut ve-
luti ulceribus, & scabie scædetur. 2.
Eandem tot successivè quasi vulneribus
parvis afficit, quot venialia deliberatè
committit, quæ illam faciunt languidam,
deficientem, & moribundam. 3. Red-
dit quoque proximè dispositam ad mor-
tem spirituales per peccatum mortale,
nam

namque qui spernit modica, plaulatim *Eccl. 19.*
decidet.

Quomodo ergò non erubescis mi-
sera tuam horribilem fœditatem; quâ
tot pustulis, & ulceribus plena es? qua-
lis tibi confusio & pudor, ad suavissi-
mos speciosissimi Filii Dei amplexus sic
anhelare?

Punct. II. Consid. Tantam esse, minimi Ejus gravi-
licet peccati venialis culpam & malitiam, cas.
ut 1. potius subeunda esset atrocissima
mors corporis, quàm illud committen-
dum. 2. Imò etiam citius permitten-
dum, ut omnia corporea, & totus mun-
dus iterum annihilarentur. 3. Ut po-
tius Angeli omnes, & animæ creatæ
perirent & damnarentur, quàm Deus u-
nico v. g. mendacio jocosò offendere-
tur scienter, ac deliberatè.

O maximam cœcitatè! quod ha-
tènus talem gravitatè non agnovi.
O detestabilem temeritatè meam!
quòd audeam in singulos dies, & ho-
ras, sine ulla consideratione, tot venia-
libus culpis in illud bonum infinitum
delinquere.

Punct. III. Consid. 1. Tantumdem esse Est æqui-
valentes im-
finita.
unico veniali peccato Deum offendere,
quantum omnes homines, qui fuerunt,
sunt, & erunt, imò omnes creati pos-
sibiles, numeròque infinitos, uno levi
K vul-

S. Tho. 3.

p. q. 1. a. 1.

ad 2. 5

1. 2. q. 87.

a. 4. in

corp.

vulnere, aut impacto singulis colapho
afficere. Peccatum veniale ex eo, quòd
offendat Bonum simpliciter infinitum,
& quòd sit aversio aliqua à Bono infini-
to & incommutabili, habere quandam
malitiam (extrinsecè, & terminativè)
infinitam.

O Deus meus, & omnia! cur non
totus exhorresco tantam, & tam inex-
cogitabilem malitiam? tantumque ta-
lium peccatorum numerum, de quibus
hactenus nihil fermè curabam?

Quàm igitur meritò me oportet de-
inceps alia censura meos defectus nota-
re, non enim frustra Sanctissimus meus
Pater ipsa etiam, quæ levissima viden-
tur, otiosa, & ridicula verba tam rigoro-
sè vetuit, damnavit, & quasi æterna
clausura, omnibusque in locis (nullo ex-
cepto) ab ore Religiosi proscripsit.

DIGRESSIO VII.

*De eorundem venialium peccatorum
incomprehensibili fæditate & gra-
vitate.*

THEOPHOBVS.

(I.)

INter cætera, quæ passim traduntur si-
ve Religiosæ, sive Christianæ perfe-
ctio-

tionis, & sanctitatis consequendæ media, principale est, sollicita & diligens rerum minimarum cura, in amplectendis, quæ bonæ sunt, & fugiendis, quæ malæ; cum enim nemo repente fiat vel pessimus, vel optimus, idcirco periculosis erroribus se implicant omnes, quotquot credunt, perfectionis vel incrementum, vel decrementum, non primario, & principaliter pendere à minimis quoque sive virtutum, sive vitiorum actibus frequentatis; parum memores illius, quod S. Dorotheus tradidit, virtutes, & vitia à parvis incipere, & ad magna vel bona, vel mala perducere.

Cura minimorum
quanti sit
momenti.

S. Doroth.
sermon. 3.

II. Et certè omnium sive Religionum, sive statuum in suo gradu, & robore firmitatem, seu ruinam soli minimorum curæ, vel incuriæ, adscribendam esse, gravissimo suo testimonio asseverat ille Angliæ Primas, & Præsul hisce aureo caractere dignissimis verbis: *Certissimum est quod in multis Ecclesiis experimento didicimus, quia in Monasterio (& quovis regulato, ac bene ordinato statu, maximè verò Sacerdotali) ubi minima districtè custodiuntur, ibi rigor Monachorum inviolabilis manet, ibi pax inter Fratres, ibi in Capitulo proclamationes quiescunt: ubi verò Minimi Ex-*

Illor. incuria est omnium
ruina.

S. Anselm.
Ex 6. ad
Monach.
Cistert.

Falsa opi-
nio de levi-
tate venia-
lium.

cessus negliguntur, ibi totus Sacer Ordo paulatim dissipatur, & destruitur. Verumtamen ne temetipsum, Philothæe (vel tu Monoph.) inani amplius opinione seducens dicas in corde tuo: levia sunt ista, non curo corrigere: non est magnum, si in his maneam venialibus, minimisque peccatis, non magni refert hoc leve, vel committere vetitum, vel omittere præceptum: hodiernum diem pro irrefragabili necessitate, & utilitate istius materiæ (è qua omnis tua defectio, sive profectus exoritur) differendo impendemus, ac primitus de minimorum malorum fuga ex venialium peccatorum fœditate, gravitate, damnisque, & pœnis eorundem quoque in purgatorio sustinendis; deinde è contrario de minimorum bonorum operum prosecutione & studio, ex incomparabili illorum valore.

Problema
de anima,
& filia formosa.

III. Filia fuit, uti præclaris natalibus orta, ita tam rara formositate, tanta oris suavitate, loquelæ gratia, incelsus ac gestuum urbanitate, nec non honore ac nominis fama passim adeò celebris, ut non modò omnium, quibus nota fuerat, præconiis extolleretur, omnium in se oculos rapuerit, cunctorum sibi conciliaverit favores, affectusque ad sui amorem & desiderium

rium suavi quâdam violentiâ attraxerit, sed etiam præ reliquis potentissimi cujusdam Monarchæ benevolentiam intimam tantopere sibi devinxerit, ut ab eo in filiam, nurum, hæredemque omnium suorum thesaurorum ac regni adoptata fuerit & instituta. Suprà modum autem Filio principi tam in affectuosâ animi complacentia, tam delicatis sui cordis amoribus fuit, ut ejus præsentiam frui, frontem illius stellato firmamento sereniorum intueri, oculos solis instar splendoris radios diffundentes admirari, genas liquefactis rubinis & adamantibus tinctas, labia corallis Indicis purpurata, collum liliis & ligustris candidius collaudare, pretiosissimis monilibus cingere, aures inæstimabilibus margaritis ornare, membra omnia, totumque ex candidissimo ebore compositum corpus cyclade, auro gemmisque prætextâ vestire, cum eâ conversari & colloqui, eidemque indissolubili desponsationis & amoris nexu conjungi summas | suas delicias esse reputaret.

Adoptata,
& desponsa
Regis filio.

Ejus pulchritudo
adamata à
Principe.

IV. Sed ecce, ô infortunium, ô inconstantiam muliebrem! hæc serenissima Principissa, ex merâ quâdam vecordia cœpit, contra sexûs sui morem, exiguam suæ pulchritudinis illibate con-

Fit lux for-
mæ incuria.

Et leprosa
deformis-
sima.

Digna re-
pudio ad le-
proforium.

servandæ curam & rationem habere , fastidire regium sponsi consortium , dulces conjugis amores , etiam flocci ducere ; eidem stomachosus creare displicentias , unde excellentissimæ suæ dignitatis oblita , & formæ speciosissimæ incuria ; sensim leviter evagari , leproforum frequentare contubernia , jocosam cum ijs commercia miscere , donec ex multiplici , & incauto consortio , & afflatu eâdem contagione afflata , correpta fuerit & corrupta. Lugendus æquè temeritatis ac infelicitatis casus ! Videas illicò roseum vultûs colorem tabescere , succedere squallidum pallorem , lippitudinem in oculis , impetiginem in capite , fœtorem ex ore , in facie postulas , scabiem mordentem in membris , in corpore ulcera , ac de die in diem per omnes artus infectos diffluere marcidam tabem , saniam purulentam , & fœulentissimos humores. Quid hîc agat speciosissimus Regalis Sponsus , dic PHILOTHEE ?

PHILOTHEUS. Quid agat , nisi quantocyus temerariam , stultam , ingratam , deformem , indignam horrere , averfari , & ab amore , amplexu , thalamo atque palatio repudiatam , eliminatam velut marcidum & putre carcinoma ad leproforii ergastulum extrudere ?

MO-

MONOPH. Inauditæ factum clementiæ foret, si hæc contaminare, & à mundorum castris ejecta, Sacerdote lepram ejus (uti præceptum est) recognoscere, lavante, & Agni immaculati sanguine expiante ac mundante, à suo Sponso in pristinos favores, honores & amores reciperetur.

Lepræ re-
cognitio &
mundatio
in Lege.
Levit. 13.
§ 14.

V. THEOPH. Rectè judicâstis uterque. Sed jam applicate parabolam. Memineritis, quæ de pulchritudine animæ per divinam gratiam sanctificatæ, ac de ejusdem superveniente ex mortali peccato horrendâ deformitate & funesto exitio diximus suprâ *Digress. 4. n. 1. & 2.* & indubitanter concludite, (excepta solâ totali illius morte, quam Venialia peccata non inferunt, etsi quàm proximè ad eam disponant) haud multò inferiorem esse ejusdem animæ peccatis venialibus deformatæ turpitudinem, horrorem lepræ abominabilis cœlesti sponso causantem. Vnde Os hominis scurrilia loquentis, illud os aureum & sacrosanctam, comparavit fæculentæ sordium cloacæ, & quavis latrinâ abominabiliori sentinæ.

Venialia
pecc. lunt
animæ le-
pra.
S. Chrysoft.
hom. 44.
in 1. Co-
rinth. &
hom. 3. ad
pop.

VI. Ne autem ista vel hyperbolica, vel nimis paradoxa reputes, adduco gradatim irrefragabiles demonstrationes, & Sanctorum testimonia: primum sic S.

S. Macarius

Illorum fœ-
tor.

A. S. Philip.
Nerio sen-
sibiliter per
cepit.

L. 1. Vit.

c. 14.

Franciscæ
Rom. An-
gelus fami-
liaris fa-
ciem ab-
scondit præ
peccato ve-
niali.

Macarii asserentis, quavis peccati Venialis læbe animam reddi sordidam, & detestabili fœtore oppletam. Alterum S. Philippi Nerii, ordinem sæcularis Sacerdotii mirificè illustrantis: qui ex Venialium solummodò peccatorum nævis, quandoque in aliquibus suorum filiorum spiritualium sensit exhalari teterrimum fœtoris odorem. Tertium ex vita S. Franciscæ Romanæ, quæ cum familiarissimo Archangeli sibi continuò assistentis uteretur aspectu, si quando coram illa illa quispiam aliquem venialem defectum commisisset, visus est ille cœlestis Paranympus tanquam vel rubore suffusus, vel hujus peccati fœditate percussus, faciem suam manibus tegere, & occultare! imò etiam ipsa ob frequentes sæcularium accursus, in levissimam fortè imperfectionem labente, idem Archangelicus Ephæbus indignantis in modum è Franciscæ conspectu se proripuit, tamdiu non amplius spectabilem se præbens, donec ipsa cum profunda mentis humilitate, suspiriis, lacrymis, & veniæ deprecatione, tam modici piaculi noxam diluisset.

Cap. 15.

Apud Lan-
sic. opusc.

16. c. 1. n.

7.

VII. Sed ea nimium obstupescenda, quæ in vita Bæ. Catharinæ Genuensis leguntur: *Cognitissimum mihi est*, inquit illa, *quòd quando amor purus vel exiguissimam imperfectionem deprehendit,*

hendit, si Deus non averteret, in pulverem redigeretur corpus, & etiam anima, nisi esset immortalis. Amplius illa: Certum habeo, quòd si quis cerneret, quàm enorme unum tantum peccatum sit, potius eligeret, animâ & corpore in succensâ fornace vivus consistere, quàm in se peccatum tolerare: & si univèrsum mare ignis esset, ad effugiendum peccatum sese in medium ejus usque ad fundum demergeret, & neque inde prodiret unquam, si sciret, quòd prodians, peccatum in se esset conspecturus. Adhuc gravius illud ex ejus vitâ: quòd aliquando ostensâ sibi cœlitus ad unicum temporis momentum minimæ actionis Deo displicentis quasi umbrabili deformitate ac turpitudine, adeò fuerit consternata, ut in has voces proruperit: Quando mihi concessum fuit intelligere, quàm pavescenda sit umbra minimi actûs, qui sit contra Deum, nescio, cur è vivis non excefferim. Si hac sola, sola, inquam, obscura visio, qua non nisi momentanea fuit, diutius durâisset, licet corpus habuissem prorsus adamantinum, interissem. Adeò jam mihi terribilis apparet vel umbra saltem venialis peccati, ut videatur mihi, quòd Deus multò minorem ipsi inferno horrorem indiderit.

VIII. Unde, tametsi parata fuerit, potius usque ad extremum judicii diem

Illâ enormitas descripta à B. Cathar. Genuensi.

c. Vit. 12. apud eundem.

Cap. 24.

Lib. vit. illus. 24.

Inferno horribilior.

Horribilis diaboli per aspectus,

Ibid. c. 20. per flammam, & prunas deambulare, quàm diaboli speciem vel semel tantùm spectare, obtulit tamen se ad libentiùs videndas in

Horribilior peccati Venialis. morte omnes dæmonum, suppliciorum atque terrorum infernalium copias, quàm minimam ampliùs peccati turpitudinem semel conspectam iteratò aspicere. Sub-

junxit & illud: quòd si B. ^{ma} Virginis MARIÆ gloria, ex divinæ dispensationis privilegio, alicui possidenda offerretur, sicut Ipsa eadem perfruitur, illâ tamen conditio-

Infernus praeligendus, sine pec. ven. quàm gloria B. Virg. cum illo. ne, ut cum tam immensa gloria unico veniali peccato contaminatus esse deberet in cœlo; talis omnem sanctissimæ istius Genitricis gloriam repudiaret, imò citiùs inferni pœnas praeligeret, quàm cum tali macula in cœlo beatus esse.

Contra non curantes illa. IX. Cui ad hæc non arrecti quasi præ stupore capilli rigeant? aut quis ab indignationis motu se temperet, iustissimo zelo ductus, adversùs eos, qui similia delicta tanquam minima, & contemnenda reputantes non curant deliberatè totidem quotidie maculis animam suam deirpare, & innumeris ictibus tremendi Numinis Majestatem impetere, cogitantes, aut (quod deterius foret) jactitantes: hoc leve, hoc nihilum esse? quo modo enim id leve, aut nihilum, quod præfatæ Virgini demonstratum fuit divinitus, esse intolera-

B. cap. 24.

rabi-

rabilius ipsis inferni pœnis? & Seraphicæ Matri Theresiæ: ab uno peccato veniali majus malum provenire posse, quàm à toto simul inferno? Sed ut conspectâ jam summo cum horrore Venialis culpæ scœditate, gravitatem quoque enormem ejusdem ponderemus, & phreneticam plurimorum imaginationem de illorum jocosâ & explodendâ levitate opportuno alterius problematis helleboro sanemus. Vos ambos sequentis facti, & ejus qualitatum, constituo Judices.

S. Theresiæ
judicium
de peccato.
Ven.
In vit. S.
Theresiæ.
c.
25.

X. Filius fuit; amantissimi Patris delictum, & quasi pupilla oculi sui. Is, nescio, qua temeritate ductus, consilium secum inivit, quòd quamdiu maneat in paterna domo, nunquam velit quidem lethali pugione Patris sui cor, & viscera transverberare, ne tanquam impius parricida omni non solum hæreditate privetur, sed, more veteri, culeo insutus demergatur in profundum maris. Cæterum omni posthabito Patris dulcissimi, & amantissimi, licet prohibentis, indignantis, & pœnas acerbissimas minitantis, respectu, incepit eundem nunc irridere, nunc oculis subsannare, nunc illudere ac ludibriis exponere. nunc percutere, & ad latera pungeri stylo ferreo, tandem perfricta audacia

Problema
de gravitate
illius ex
filio patrem
vulnerante.

Et hoc pro
nihilò du-
ceat.

daciâ multis parvis vulneribus sauciare. Cùm autem acriter & à Patre, & ipso Magistratu eapropter correptus esset, intentatis etiam gravioribus minis & pœnis, ille in risum solutus, & cachinnans, re velut optimè gesta, sequenti die eadem omnes injurias reiteravit, imò & tertio, & quarto, contumelias contumeliis, & plagas plagis superaddidit majores, ridento, jocando, & dicendo: quid tum postea, si subsannavi, si irrisi, si multipliciter vulneravi? quid hoc sit? non interfeci illum, non multum curo, nec volo corrigere, levia tantum sunt vulnera, &c. Quid jam censetis? Num protervulus iste reus est consilio, & reus judicio? imò reus centum annis, & uno ad triremes condemnari?

2. Reg. 12.
3. & 6.

PHILOTH. *Vivit Dominus! quoniam Reus gehennæ, & Filius mortis est vir, qui fecit hoc, plagas luet in quadruplum, eò quòd fecerit verbum istud, & non pepercerit.*

Sententiæ
de suppli-
cio prome-
rito.
Prov. 30.
17.

MONOPH. *Si oculus subsannans Patrem, Salomone Judice, dignus est, ut effodiant illum corvi de torrente, & comedant eum filii aquila; quo dignus erit supplicio filius, si contumeliis in optimum patrem adjungat etiam vulnera? talem ego propè propius ad malam crucem, & corvos abigerem.*

XI. Considerate bene , qualem , & contra quem feratis sententiam : quid enim , *si tu PHILOTHEE esses ille vir ?* quid , si & tu MONOPHILE ? *Hæc dicit*

Dominus Deus Israël : Ego vos tuli de domo Patris vestri , & erui vos de manu diaboli & de luto factis è mundo & laicali statu , unxiq̄ue te oleo misericordiæ in Clericum , in Religiosum , constitui te in regali Sacerdotio , in mea mihi desponsata Ecclesia , in vineam Domini Sabaoth : ego te (Religiose) in hac monastica domo , in ista sacratissima Religione , in hoc Sancto- Sanctorum posui , ut essetis Ministri fideles in conspectu Domini Dei vestri , vicarii , successores , filii & hæredes omnium divitiarum gloriæ , & Majestatis paternæ ; *& si parva sunt ista , adjiciam vobis multò majora.*

loc. cit.

v. 7.

Beneficia
Dei erga
Sacerdot. &
Religios.

Ib. v. 2.

& 9.

Quare ergo contemnitis verbum Domini , ut faciatis malum in conspectu meo ? Quare mihi quotidie injurias , contemptus , & plagas multiplicare non cessatis , & dicitis per risum , & jocum , quid hoc sit , quid illud ? quid referat venaliter peccare ? quid magni multoties in die , sed leviter tantum vulnerare Deum ? esto sit Deus , esto sit infinities infinitæ , ac tremendæ potentiæ , immensitatis , & gloriæ , nunquid propterea crimen læsæ Majestatis erit , ter

Iniquiss. venialium executione.

Max.

Catalogus
venialium
in personis
sacris.

Max. ter Opt. ter potentissimum, terque piissimum Regem, Amicum, & Patrem multis quotidie offensis, multis sæpenu-merò levibus injuriis, colaphis, aut vulneribus fauciare? Quid magni in sacris, religiosis aut parochialibus functionibus, in officio Canonico, Missà, precibus, aliisque diversimodis operibus divinis (licet in oculis ejus, licet in conspectu Domini, licet voluntariè, ac deliberatè) esse desidiosum, oscitantem, somnolentum, pigrum, tardum, tædiosum, vagum, ridentem, confabulantem, incompositum, distractum, & inattentum? Quid intersit, Superioribus, tamen si Dei Vicariis; obloqui, refragari, obedientiam detrectare, jussa discutere, dispositiones cavillare, murmurare, invitum obtemperare? &c. Equis iste tam devotulus, aut sanctulus, qui pro enormi flagitio reputet, Religiosum silentii tempore non nihil confabulari, garrere, ridere, clamare, cœptumque sermonem proseguere, & finire, seu aliorum quorumvis dicta, & facta fugillare?

XII. Quis denique (subinfert è Clero nonnullus) talis Stoicus sit, vel Cato, qui existimet hoc grande nefas, & morte piandum; si quis Sacerdos, Parochus, Canonicus, aut quiscunque
alius

alius Presbyter, persolutis horis Canonicis, & absoluto rei divinæ penso, festinet ad reliquas diei, noctisque horas in longum tempus protractis deambulationibus; colloquiis, prandiis, cœnis, conviviis, lusuque vetito (temporis, ô pretiosissimi temporis! fallendi gratiâ) comburendas? Aut, sub honestæ familiaritatis titulo, cum utriusque sexûs hominibus more illorum, sales, jocos, facetias turpiloquia, scurrilia verbis, factisque misceat, & (citra solummodò mortale peccatum) hæc talia etiam pro laude, & laureâ dignâ recreatione ducat?

XIII. Annon hoc est contemnere verbum meum, mihi que impingere mendacium? dicit Dominus omnipotens: dum ego signanter & expressè monui: *Omne verbum otiosum, quod locutifuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii, & rursus: Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio? & iterum; Nolite jurare neque per cælum, neque per terram, neque per caput vestrum.* Et vos verba nugatoria, risum moventia, scurrilia, mendacia jocosa, iracunda, contentiosa, contumeliosa, murmuratoria, imprecatoria, & execratoria sine numero multiplicatis: per nomen meum, per crucem, per elementa, per animas vestras absque

Dicere, ven. peccatum nihil esse, est Deum arguere mendacii. *Matth. 11. 36. Matth. 5. 21. v. 34.*

que necessitate, utilitate, vel etiam veritate juratis, & irrisoriè dicitis, quid est hoc leve? nihil est hoc, nugæ sunt, crepitacula sunt, jocus & recreatio sunt. Hæc ad Vos, ô Clerici, ô Regulares & sæculares? Dominus Deus Judex Iustus, fortis & patiens; qui dum Vos in pensilibus illis ingentibus Mundi stateris integra plaustra peccatorum venialium appenditis, nulla drachmarum, aut scrupulorum, nullâ unciarum, vel aliquot librarum ratione habitâ, ipse in subtilissimâ croci, vel auri libellâ, etiam minima grana, stipulas ac pilos expendit.

Psal. 6.
10.

XIV. Sed adeste, adeste *mendaces filii hominum in stateris*, & quotquot estis rerum gravissimarum incurii calculatores, si Vobis divinæ bilancis trutina nimis stricta videtur, attendite, quoniam in pondere & mensura Sancti Dei amici Venialia delicta pensent, ac æstiment. Jam supra *Digress. 6. n. 2.* adduxi memorabilem illam Divi Clara-vallensis Cœnobiarchæ censuram, quòd nugæ in ore sæcularium nugæ, in ore consecratæ Deo personæ sint blasphemix; & os nugis ejusmodi assuescere, Sacrilegium sit, cui optimè consonat S. P. Benedictus in suâ regulâ: scurrilitates, vel verba otiosa, & risum moventia, æternâ clausura in omnibus locis damnando.

Gravecen-
suræ San-
ctorum de
scurrilibus
verbis.

Cum

Cum allegato Bernardi concidit illud Trithemii: *Qui os suum Domino consecratum vaniloquis, aut scurrilibus verbis polluit, quid aliud, quàm Sacrilegium facit, tollens membra sua Deo dicata, & instrumenta faciens diaboli?* Ita ergo secum velle ratiocinari: quid tum, si centies verba otiosa, & venialia peccata de die committam, omnia simul neque unicum peccatum mortale conflagrant; *Levia quippe sunt ista, non curo corrigere. Hac, dilectissimi, in corde suo dicere, impœnitentia, hac blasphemiam in Spiritum Sanctum, blasphemia irremissibilis est.*

XV. Adstipulantur huic veritati exempla eorum, qui levissimos nexos inconsideratè commissos gravissimis in se pœnitentiis multarunt, è quorum millenis duo duntaxat attulerim. S. Eusebius Abbas Syrus in campo quodam cum S. Ammiano in legendo Sacro Evangelio occupatus, dum casu supervenientibus aratoribus intentus, mente à sacra lectione distrahebatur, tam severè dictam distractionem castigavit, ut per 40. reliquos vitæ annos, nec ad campum illud, nec ad astra, nec extra semitam unius duntaxat palmi latam, oculos emitteret.

De B. verò Sufone Ordinis S. Dominici dignissimo & piissimo Alumno

L

refer-

S. Bern.
serm. 1. de
Convers.
Pauli.

S. Euseb.
Abb. graviter
punit in
se aspectum
curiosum.
Polland. in
Vit. 23.
Jan. n. 8.

Idem in
Vit 25 Ja.
n. 36.

Sic B. Suso
inconfide-
ratum ta-
ctum foe-
minez ma-
nū.

refertur, quòd, cùm aliquando manus duarum virginum juxta se in loco publico assidentium arripuisset ex incuria, ac non nihil tenuisset, citra ullam sinistra cogitationem, in tantum ob hanc visam sibi gravissimam noxam desævuit, ut primò per acerrimam flagellationem affixi aculei & clavi cutem penetrarent; inde semetipsum excommunicando locum Capituli, in quo frequenti SS. Angelorum inter orandum assistentia fruebatur, ingredi nollet, ac demum per triginta alias disciplinas Sanctorum diversorum intercessionem promereri, & illud expiare delictum satageret. Hos dixerimus æquos Trutinatores.

XVI. Verùm quia jam nobis hic sermo est, cum illis duntaxat, qui mortalia peccata cane quidem pejus & angue vitant, suos tamen quotidianos veniales lapsus, vel nihil ducunt, vel rarissima confessione expiant, conglobemus in ordinatam argumentorum seriem, quidquid nobis de hac materia reliquum est. Prodeat Angelicus Thomas, qui præter attributam peccatis venialibus quandam gravitatis infinitatem (uti in superiori *Meditatione 10. punct. 3.*) alibi docet, Omne Veniale peccatum quavis morte violenta & atrociss.

Censura S.
Thomæ A-
quin. de in-
finit. gra-
vit. pecc.
Ven.
S. Thom. 2.
2. q. 110.
a. 3. ad 4.

cissimâ etiam millies illatâ, pejus malum esse. Quibus accedit gravissima Beatissimi P. Ignatii censura, dicentis, ab infinitate objecti, contra quod sunt venialia peccata, illa quoque aggravari in infinitum. Consonat & Joannis Gersonis Cancellarii Parisiensis iudicium his verbis: *Adeò peccatum etiam veniale contra Deum est, ut is ex sua justitia hominem pro illo damnare posset in aeternum, quòd autem homini illud ad damnationem non imputet, non de justitia, sed de sua infinita bonitate procedit:*

XVII. Præ omnibus autem, uti Cedro, ita aureis characteribus digna est Sancti Cantuariæ Antistitis Anselmi proposita Thesis hoc tenore: *Si videres te in conspectu Dei, & aliquis tibi diceret; aspice illum. Et Deus è contra; nullatenus volo, ut aspicias. (Ecce Charissimi calum unus solummodò curiosi aspectûs) Hoc posito: Quid si (inquit Anselmus) necesse esset, aut totum mundum, & quidquid Deus non est, perire, & in nihilum redigi, aut te facere tam parvam rem contra voluntatem Dei? Et quid, si plures essent mundi pleni creaturis, sicut iste est? & quid, si infinito numero multiplicarentur? (Hactenus hypothetica S. Antistitis propositio, cui sequentem adjungo, menti ipsius, & omnia quoque Theologorum doctri-*

Eadem S. P. Ignatii Lobjæ; & Gersonis.

Tract. de spir. vita.

Et S. Anselmi.

S. Anselm. 1. Cur Deus hom. c. 21.

Veniale non est committ. promille mundis salvandis.

næ conformem.) Et quid , si taliter contra Dei voluntatem curiosè circumspiciendo posses omnium Judæorum, Paganorum, & Hæreticorum populos ad Orthodoxam fidem convertere , omnium peccatorum indurata corda ad penitentiam emollire , omnes è purgatorii flammis animas liberare , cunctos æterno supplicio damnatos salvare, ipsos quoque dæmones rursus in Angelos lucis transformare, verbo dicam, omnes creaturas rationales tam conditas, quàm creati possibiles, uno tali deliberato, ac

Idem S. Ansel. ibidem. S. Anselmi rationes.

venialiter tantùm peccaminoso conspectu, cœlestibus sedibus inferre : *Fateri necesse est, quia pro conservanda tota creatura, nihil deberem facere contra Dei voluntatem.* Tantò liquidem majus malum est offensa minima Creatori illata, quàm omnium creaturarum salus, aut perditio æterna, quantò major finiti, ad simpliciter infinitum est distantia. *Sic graviter peccamus, quotiescunque scienter aliud quantumlibet parvum contra Dei voluntatem facimus, quoniam semper sumus in conspectu ejus, & semper ipse precipit nobis, ne peccemus : Hæc ille Sanctissimus Præsul.*

Idem loco cit.

Joan. 9. 7.

XVIII. PHILOTH. *Durus est hic sermo, quis potest eum audire?*

THEOPH, *Durus quidem, sed audi*
(ex

(ex eodem illustrissimo Archi - Episco-
 po) *adhuc aliud. Secundum quantitatem*
peccati, exigit Deus satisfactionem Pone
 igitur, quod omnes creatæ potentæ,
 fortitudo, vires, ac virtutes simul col-
 lectæ velint Deo satisfactionem suffici-
 entem, pro uno peccato veniali offer-
 re; mactentur omnes bestię in holo-
 causta, & victimas, incarnentur om-
 nes Angelici Spiritus, & singuli tam
 homines, quàm Angeli se offerant ad
 omnem satisfactionem; nec non om-
 nes Cælites simul, ac terrigenæ unitim,
 & divisim tot sanguineos ploratus edant,
 tot calentes lacrymarum guttas profun-
 dant, quot stillæ continentur in Oceano,
 tantumque insuper patiantur, quantum
 omnes Martyres, quantum damnati;
 quantum dæmones; hæc omnia cum sint
 limitata, & finita, per illa secundum se,
 & in sua solùm substantia considerata non
 satisfieret condignè pro curiosa visione
 contra D E I voluntatem facta. *Quia*
non reddis aliquid majus, quàm sit id,
pro quo peccatum facere non debueras.
 Ita concludit ipse, conclusionem firmante
 æternâ Verbi divini Veritate cum di-
 lecta sua sponsa Catharina Senensi sic
 differente: *Omnes pœna, quas anima*
sustinet, vel sustinere potest, nullo
modo condigna sunt ad culpam etiam

Ansel. loc.
cit.

Omnium
SS. opera
non sunt
condigna
satisfactio-
nem pro uno
ven. pece.

Vnicum
veniale sa-
tisfactio-
nem exigit
infiniram.
Idem ib.

minimam puniendam, quoniam offensa, qua mihi fit, qui sum Bonum infinitum, procul dubio latissimam exigat infirmitatem.

*Ex eod.
ibid.*

S. VValtherus Abbas per 40. annos nullum fecit voluntar. ven. pecc. Ex Menol. 13. Nov. Ex Reg. c. 4. Instr. 58.

Prov. 2.

XIV. MONOPH. *Nimis gravis est hac sententia; & nisi fides me consolaretur, atque infinitus meritorum Christi valor, hoc solum cogeret me desperare. Verùm propono firmissimè (ad imitationem nostri Villariensis Waltheri Abbatis, Qui; stupenda res! intrà quadraginta annorum spatium nullum veniale peccatum deliberatâ voluntate commisisse memoratur) mea præterita tam innumera mala cum lacrymis, & gemitu quotidie Deo in oratione confiteri, & plangere, quòd ego negligentissimus (& utinam non plures mei similes) hætenus talium nozarum curam adedò flocci fecerim, imò & gloriatus de his sæpenumerò sim, ut accenseri merear illis, qui letantur, cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis.*

MEDITATIO XI.

De eadem gravitate peccati venialis in Religioso, & Sacerdote ex conditione suis statûs, futuri iudicii, & pœnarum purgatorii.

STante prædictorum, & adhuc sequentium veritate, consultum est,
mala

mala sua praterita, cum lacrymis, vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri, & de ipsis de cetero emendare,

Text. Regul. c. 4.
Instr. 58.

Præludium. Imaginare, Regem illum Evangelicum cum servis suis rationem debitorum ponere: veniam deprecanti, pœnas intentatas, & omne debitum dimittere, recidivum verò & ingratum carceribus & tortoribus tradere, *quoadusque reddat univèrsum debitum.*

Matth. 6.
18. 28.

Punct 1. *Confid.* Quælibet peccata aggravari in Religioso, ac Sacerdote reflectu Laici. 1. Ratione votorum. 2. Ingratitudinis erga plura accepta beneficia. 3. Ratione scandali. 4. Ex aliis circumstantiis sanctitatis suæ conditionis, loci, finis, majoris obligationis, mediocriorum, adhortationum, lectionum, Sacramentorum opportunitatis, & vel defectûs malarum occasionum &c. vel debite fugæ illarum. Examina in particulari te super singula.

Venialis
cur in sacris
personis reputentur
graviora.
S Thom.
2. 2. q.
186. A. 10.

Fateor, piissime Domine! meam supremam sanctioris vitæ obligationem, & è contra luridissimam negligentiam, & offensarum multitudinem. Ah! non satis est, quòd sæculares tam libere contra te peccent? aut quòd ego in laicali, vel sæculari statu adhuc existens infinities te offenderim? habes

confitentem , & dolentem Reum : parce ; parce mi Deum &c.

Punct. II. Confid. Venialis peccati gravitatem etiam ex illo jam supra in *Digressione* allato dignosci , quod Christus affirmavit ; *Quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicii.* Quid levius verbulo, quod aut *juste necessitatis, aut pia utilitatis intentione caret* ? Ita enim definitur verbum otiosum, & tamen quodlibet tale tam rigoroso iudicio subjiciendum. 2. *Sit autem sermo vester est, est, non, non, quod autem his abundantius est* , à malo est, 3. *Qui irascitur Fratri suo: (vel) dixerit Raca, (vel) Fatue. Reuserit iudicio, concilio, gehenna ignis.* Quid gravius, aut formidolosius dici potest

O amabilissime Domine ! non intres , quæso , in iudicium cum servo tuo , quia torrentes iniquitatis conturbant me : si tu minucias iniquitatum observaveris ; Domine quis sustinebit ? ego certè non respondebo tibi unum pro mille.

Punct. III. Confid. eandem gravitatem ex acerbitate pœnarum purgatorii, quibus 1. animæ etiam iustorum , amicæ , sponsæ , filiæ , hæredesque regni cœlestis ab eodem exclusæ , licet sibi debi-

Matth.
22. 36.

Verbi otio-
si definitio-
S Greg
lib. 7. mor
6. 17.

Matth. 5.

Ib. v 22.

Iob 9. 3.

Venialium
gravitas ex
purgatorii
pœnis me-
sienda,

debito, pœnâ ineffabili damni afficiuntur. 2. Pœnis etiam sensûs omnium excogitabilium tormentorum; quæ à pœnis inferni, solâ desperatione, maledictione, & æternitate discrepant. Hinc illæ voces, *miseremini mei &c.*

Job. 19.

21.

Et me quoque tam miserandæ sortis acerbitas manet? & fortè opinatò citiùs instat, & non convertar? Ô mentis meæ cœcitas!

Absit, absit tanta meæ salutis incuria: juravi planè, & statui, omnia mea mala præterita cum humilitate (ah utinam etiam possem cum lacrymis!) Deo confiteri, pœnitentiis expiare, orationibus deprecari; & seriò tandem aliquando emendare.

CONSIDERATIO I. POMERIDIANA.

De prona facilitate hominis ad lapsus quotidianos.

REverà peccator es, & multis passionibus, ac imperfectiõibus obnoxius, & implicatus. Ex te semper ad nihil tendis: citò laberis, citò vinceris, citò turbaris, citò dissolveris. Cogita peccata tua cum displicentiã magna, & mærore. Atque nil sic timeas, sic vituperes, & fugias, sicut vitia & peccata (quantumvis levia)

Gerf. l. 3.
c. 4.

Ib. n. 3.

L 5

qua

qua magis displicere debent, quàm quilibet rerum damna.

CONSID. II.

De agnitione delictorum, & negligentia minimorum.

Ex. cod. l.
3. c. 52.

Idem, l. 1.
c. 25.
lib. 1. 21.

Quid dicam reus, & omni confusione dignus seu plenus? non habeo os loquendi, nisi tantum hoc verbum: Peccavi Domine; peccavi; miserere mei, ignosce mihi. Expertus (nimis jam) sum, quod, qui parvos non vitat defectus, paulatim labitur ad majores. Sed propter levitatem cordis, & negligentiam defectuum nostrorum, sæpe non sentimus anime nostre dolores, sed vanè ridemus, quando meritò flere deberemus.

DIGRESSIO VIII.

De cura Minimorum malorum ad vitandum, propter purgatorii acerbitatem: & bonorum ad operandum propter incomparabilis meriti pretium.

THEOPHOBUS.

(I.)

Petr. Canif. Soc.
Jesu de S.
Bernardo.

CLara - vallis Archisterii Antistes quem omnes (sic attestante Petro Canisio) meritò suspiciant, & vereantur, quo-

quove uno nemo melius scripsit, aut vixit: animadvertens olim apud nonnullos de suis Monachis rerum minimarum curam vilescere, proindeque circa regularem disciplinam agi remissius, ita suos aliquando ingemiscens affatus est: *Fratres; mihi tristitia magna, & continuus dolor cordi meo est, quòd nonnullos tam pronos ad levitatem, ad risum, ad scurrilia video: ut pertimescam valde, ne fortè plus, quàm expediat, divina misericordia immemores, & ingrati tanti beneficiis deserantur à gratia, & in deteriora labantur.* Quemadmodum enim non pauci mortem sibi per neglecta vulnera accersunt, ita ad eundem modum, qui minima vitia, & peccata nihil pendunt, graviora sibi invehunt, Ecclesiastico dicente: *Qui spernit modica, paulatim decidet*, ita Damascenus. Unde qui conscientias suas per minimalicet errorum piacula conculcantes, dicere non verentur: *Quid est hoc, si hoc verbulum, si hoc minimum locutus fuero? quid est hoc modicum, quid hoc, quid illud? sensim, ac pededentim in majora, gravioraque per partes proruentes periclitantur, donec in perfectam insensibilitatem decidant, mortemque anima ex minimâ unius acûs quasi puncturâ incurrant.*

II. Versutissimus dæmon & intendendo

S. Bernard.
deplorat in
suis incuriam mini-
morum.
S. Bern.

serm. 8. de
septem pa-
nibus.

A minimis
fit lapsus ad
majora.

S. Jo. Da-
mascen. in
vit. Barl.
& Josaph.
Eccli. 19.

S. Doroth.
serm. 3.

Nero Imp.
puncturis
acuum plu-
rimos occi-
dit. Sic dia-
bolus.
Xiphilinus.

tando versatissimus, si quos Ecclesiastica-
rum, Religiosarum, aut aliàs devotarum
personarum animas mortalis peccati nece
perimere se non posse cernit; scelestissi-
mum Neronem imitatur, qui odio inter-
necino prosequens Cives Romanos, cùm
optando, ut omnia illorum capita in
unum coalescerent, quò unico tantùm
ictu omnes decapitarentur, nihil tamen
istiusmodi sanguinario voto proficeret,
acubus veneno pellimo tinctis iussit ob-
vios quosque pungi, quo facto innu-
merabilem hominum multitudinem tales
ictus vel modicè sentientes, vel parùm cu-
rantes occidit. Applicatio uri charissi-
ma, ita nimis, prò dolor! quotidiana &
frequens est, inter personas etiam oppi-
dò pias, sed minimarum incurias noxa-
rum.

Sollicitudo
in aliis mi-
nimis cor-
poralibus.

PHILOTH. Videtur communis
hæc esse mortalium cæcitas, quòd vel mi-
nimam muscam in vinum, vel pilum in of-
fam, pulveris atomum in oculos, vel in di-
gitum spinæ festucam casu illapsa, cum
magna sollicitudine extrahant, infixas ve-
rò animæ Venialium peccatorum festu-
cas negligent, ex ea opinione, quòd nun-
quam in mortale coalescant.

III. Verissimum quidem est, ex
quantumcunque multiplicatis veniali-
bus nullum conflare posse mortale pec-
catum

catum, atque tamen est verum, ex iisdem proximas mortiferi lapsus dispositiones introduci. Siquidem per illa intellectus obnubilatur, ratio mentis excœcatur, ac voluntas à mortificationibus sensuum, à solitis exercitiis, & rerum spiritualium gustu rapitur, & trahitur ad affectanda laxa, remissa, curiosa, & sensualia vitæ oblectamenta; quodque mali caput est, tandem pravâ consuetudine, levia amplius non curandi, quasi callo obducitur. Videas igitur, hodie torpescere internos mentis affectus, cras deficere externum inceptæ conversationis cursum, perendie languere consueta spiritualium devotionum exercitia, sacras lectiones nauseari, inspirationes divinas præteriri, opera (nedum amplius supererogatoria) sed ipsa quoque obligatoria prætensis excusationibus vel intermitteri; vel perfunctoriè, cursim, & luridè solummodo peragi. Ita cernitur statuæ hujus ca-

Gradus à minimis ad mortal. lapsum.

Dan. 2.

Similitudo à statuâ Nabuchodon.

Minimar,
culpar. con-
tempus est
Ordinum
ruina.

S. Anselm.

L. de simi-
litud. c. 122.

Et animæ
cujusvis,

Periculis
circumdati
Sacerdotes
sæcul.

IV. Et hoc non de quovis solùm in particulari, sed de integro quoque Monasterii statu verificari affirmatissimis verbis ita restatus est ille Cantuariensis Hierarcha: *Omnis Religio Monastici Ordinis funditus perit, si custodia ejus per modicum culparum contemptum paulatim tepescit*; Tu multùm Venerande Sacerdos, qui aliis sive Clericis, sive subditis, seu familiæ, seu animæ tuæ propriæ præsidēs, ita appositè hoc tanti Præsulis (Delphico verius) oraculum per argumentum ad hominem verte: si omnis Religio Monastici Ordinis extra omnia infinitarum malarum occasionum pericula constituta, in ipso tamen quasi portu adhuc funditus perit; si custodia ejus per modicarum culparum contemptum tepescit, si obstructio ejus per minimarum rimarum neglectum paulatim deficit. Ergo decuplo magis omnis nitor, honestas, & decor commissi mihi Ecclesiastici statûs; ergo omnis disciplina subditæ mihi familiæ, & parochiæ; ergo omnis mea corporis, & temporarium fortunarum, imò & tota animæ meæ salus tot undique periculis exposita, tot gravissimis perditionis occasionibus circumvallata, & velut, in ipsâ altitudine maris, ac in medio abyssi constituta, funditus pereat, & miserandum

dum patiatur naufragium, necesse est, si sollicita, si accurata, si debita custodia, per modicarum culparum, excessuum, defectuum, occasionum, & periculorum contemptum (non subito quidem impetu prolabitur concussa) sed paulatim, ac sensim tepescit, flaccescit, deficit, & interit. Ecquid autem (ut S. Augustini similitudine utar) tum interest, utrum uno grandi fluctu navis aperta fuerit, & obruta, an paulatim subrepens aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta, atque contempta impleverit navem, atque in abyssum demerferit?

V. Quid Nabuchodonosoris statuæ intererat, capite aureo, pectore argenteo, femoribus æneis, cruribus etiam ferreis diu erectam, altam, firmam, solidam, & quasi invictam steterisse, si pedes ex luto compacti fuerant, si casu lapillus illis allapsus luteam basin offendit, comminuit, dissipavit, totamque machinam decussit? Ita quid referet, statûs tui Sacerdotalis (velut alterum Solis) Colossum in sui initio caput habere ex auro optimo; manus, & brachia ad quodcunque objectum suâ integritate adhuc argentea, pectus & carnem ad omnes tentationum, sive sensualitatum illecebras, penè dixerim ænea: (qualem tamen

Sint solliciti
de min.
culpis.

Sacerdos si.
milis sta-
tuæ Na-
buch.

- Job. 2. 3.** men nec ille quondam de terra Hus; cui non similis erat in terra, vir simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam suam, habuisse fatetur his verbis: *nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea aenea est*) teque suris, & cruribus quavis in conversationis lubricæ via hæctenus ferreis, & adamantinis sterisse: vel semper stare proposuisse? num idcirco luteos, & fragiles humanarum affectionum ad omne malum proclivium pedes non habes? an tibi firmam semper in luteo fundamento, quamvis (tuâ opinione) sicco & arido consistentiam polliceris absque diligentissimâ minimi, nescio unde vel unde, fortuito ad pedum tuorum naturalem infirmitatem allabentis lapilli cautela, atque custodia? O quantum te fallis, & falleris! Certè illud Ecclesiæ Columnen: *Experto, inquit, crede, coram DEO non mentior, Cedros Libani, Duces gregum sub hac peste modico quovis lapillo concussos cecidisse reperi, de quorum casu non magis suspicabar, quam aut Hieronymi, aut Ambrosii.* Talem vero minimum non minimæ offensionis lapillum existima, unicum v. g. incautum aspectum, vel unicam debito liberio rem cum alieno sexu conversationem esse; devolvitur siquidem conversatio
- Id. 6. 12.**
- Fragilitas carnis.**
- Ex unico malæ occas. lapillo labilis.**
- 6. August.**
- Gradus minimar. occas. ad lapsum.**

fatio, aut visus ad familiaritatem, & risum, risus ad potum & esum, esus ad lusum, lusus ad usum, ab usu ad tactum, ab hoc ad factum, donec deplorando casu, collapsâ in ruinam propriam, & alienam nobilissimâ statuâ,

Serò dolet, quisquis post factum pœnitet actum.

Ecce Colossium firmissimum, en lapillum levissimum: ecce secutam Regiæ, imò Angelicæ statux ruinam. Hæc in tui gratiam, & pro sollicitâ, cui studes, intime mi Philothee, cautelâ.

VI. Sed jam ad te revertor, Monophile, quanam ex causa putas, sanctissimum Patriarcham Benedictum in sua Regula, quantumvis admirabili discretione condita, tam paternâ sollicitudine vetuisse, & rigorosâ valde censurâ notâsse minutissimos quosque defectus, errores & penè dixerim, errorum umbras, ut nec apicem alicujus piaculi, vel jota unum impunè prætermitti statuerit? Quò existimas, omnia illa spectare, v. g. verba otiosa, & risum momentia æternâ esse clausurâ damnanda: Regulæ sanctæ in aliquo contrarios semel, iterumque admonitos, neque correctos excommunicationi subjiciendos: leviorum verò culparum reos a mensæ, Oratorii, Fratrumque consortio cum

S. Benedicti
regula accuratè,
circa minimos
cævos.

Regul. c. 6.
c. 23.

c. 24.

cap. 42.

cap. 46.

cap. 54.

cap. 71.

Rœnz pro
minimis.Cur tanta
minimo.
rum cura?

pœnis arcendos ; prævaricatores silentii, semetipfos in quovis excessu, etiam occulto, suâ sponte non accusantes ; aliquid parvi sibi mutuò dare, vel accipere sine Superiorum licentiâ, præsumentes, litteras, munuscula, vel aliud quidquam, etiam Rem Minimam &c. graviori disciplinâ & vindictâ puniendos : ad pedes Superioris pro quavis minima causa corripientis, vel solam justam commotionem ostendentis non advolvi prostrato corpore, expulsionem de monasterio plectendum ; & plura his similia, vel graviora pro minutissimis in choro, cantu, lectione, capitulo, mensa, & intra ipsius cellæ parietes commissionum, aut omissionum, etiam citra formalem culpam fortuitis erroribus imponi solita, & ad plenam satisfactionem prostratim expianda tam diu ; donec ad Superioris beneplacitum venia indulgeatur ? quónam istorum omnium usus, observantia, & statuta ? Num quis temerè dicet, virum hunc omnium Justorum Dei Spiritu plenum nugas scripsisse, & tractâsse, quia audacter dicere non dubitat, quid sint istæ nugæ ? quid tum, licet non servem ? quò ergo unius acûs, & fili, quo graphii tam expressa mentio, & cura, quò denique vel ipsæ micarum panis collectio-

Etiones in mensa solitæ collimant, nisi ut, ad sartum tectumque servandum Religiosæ disciplinæ vigorem, & sanctitatem primævam, *curentur levia; dum levia sunt, ne gravia fiant*, ad ordinis ruinam? Sed de hoc pluribus crastino die tecum in pomeridiana Digressione conferam.

VII. MONOPH. Subito pavore consternor, dum micarum panis in mensa recollendarum mentionem facis, refricatur enim memoria, diabolum quondam sub Bernone Abbate Gigniensi, Religioso animam trahenti terrificâ specie, saccoque micis pleno (quas ille sæpenumerò sub finem refectionis aut non collegit, aut infrà mensam ex incuria delabi permisit) apparuisse, horribiliter minando, se saccum istum cum suis miculis, numero penè infinitis, ad supremum Judicem pro extorquenda æterna damnationis sententia, portaturum. Tum Monachus jam propè satis suis defungens, distorquere oculos, exastuare per artus, frigidus sudore undequaque perfundi, spemque inter, & metum lacrymabili voce opem, & opem implorare tamdiu, donec omnium Fratrum fuis ad Deum precibus, stygius venter abscederet.

Diabolus
apparet
moribundo
cum sacco
pleo micis.

Moribundi
pavor ex vi-
sione dz-
monis.

VIII. O Deum! ô Cælites! si paribus aliquando insidiis, aut pari mecum

Pavor Re-
ligiosi sani
de mini-
mor. ne-
glectu.

Pavor Sa-
cerdotis de
eod.

Grave judi-
cium super
minimis.

cum agetur iudicio, quid de me fiet? quantæ molis, & capacitatis faccus totidem, non panis, sed venialium peccatorum (quæ semper levia duxi) quotidianis erratis, quasi neglectis micis confertus, & coagitatus, oculis meis in extremo animæ decessu objicietur? & dum tenuissimas miculas in mensa colligere studui, ne pereant, tot leviores offensas (sed jam ut audio graves Dei contemptus & injurias) in singula penè momenta reiterare nihil curavi?

PHILOTH. Si hæc in Jerusalem, quid fiet in Babylone? si in Religiosis tanta scrutatio minimorum, quid, heu! de me erit, qui tantoperè illorum toto vitæ meæ decursu incurius fui, ut ea super capillos capitis mei multiplicando raro examine conscientiæ discusserim, rariore proposito emendare studuerim. Deus meus, quid de tot gratiarum divinarum, occasionum bonarum, & temporis pretiosissimi non micis, sed margaritis fiet, quas neglexi, prodegi, è manibus elabi permisi. O micæ! ô pili, quàm turgentem & fastum efficitis multitudine vestrâ faccum, quantis ignibus excutiendum?

IX. THEOPH. Saluberrimè quæritis, quid de vobis, vestrisque similibus erratis aliquando futurum sit. Illud autem lu-

Iudex ipse latâ his verbis sententiâ dudum enunciauit: *quoniam omne verbum otiosum &c.* uti rectè meditati estis. Quo, quid gravius in venialia dici posset, ignoro, quàm quòd vox, quod verbum iustâ carens utilitate, aut necessitate, ab ore ad jus, à lingua ad libram, a reo ad Judicem trahi debeat, exactissimè trutinandum; districtissimè judicandum, & in selectissimis etiam amicis severissimè puniendum ab illo, qui *numerat arenam maris, & pluvia guttas, & dies sæculi: qui scrutatur corda, & solus universas mentium cogitationes intelligit.* Certè Beato Notkero Sant-Gallenli (qui formidabilis dæmonibus terror extitit) visus est infernalis tenebrio semel omnes characteres, & verba unius horæ Canonice, præ multitudinem negotiorum oblivioni datæ, suis unguibus, extensim in tabula connotare. Et S. Aichardo Abbati tempore Nonæ decantatæ sibi capillos præscindi curanti, eodem modo spectatus est, singulos pilos resectos summâ diligentia colligere, numerare, & in ordinem redigere, districto Judici præsentandos, ignique purgativo exurendos, nisi tantus vir in igni miraculorum gloriâ illustris, re divinitus intellectâ, quantum semitonso cum capite, ad Fratres ac-

Ecclesi 1. 2.

1. Paral.

28. c. ex

Menolog.

8. Apr.

S. Notkeri

visio super

unâ horâ

Canonicâ

ex obliv.

non dictâ.

Ex eod.

15. Sept.

Diabolus

omnes tem-

pore ora-

tionis rese-

ctos pilos

colligit.

Per poenitentiam S. Aichardi restituntur.

Luc. 21.

38.

Luc. 23.

32.

Gravas poenitentiae purgatorii pro minimis. Ezech. 5. 1. & seq.

Votus diei purgatorii magis

currens, humillimè culpam fassus, per suas, & Fratrum preces obtinisset, ut illicò omnes, & singuli respectu pili in caput, & mentum, uti prius erant, restituti fuerint miraculosè ab eo, qui servis suis fidelibus dixit: *Capillus de capite vestro non peribit*: beatissimus verò Notkerus mox omissioni satisfacere incipiens meruisset intueri, tabulam illam cum scripturis à cacodæmone de tabulato laqueari in pavementum, summa cum indignatione, ac strepitu dejici, atque confringi.

X. *Si hac in viridi, in arido quid fiet?* si tantus in via rigor, post mortem qualis erit discussio, quando accuratissimus Judex abrasos omnium humanorum capitum capillos (minimas scilicet cogitationes) in statera sua ponderabit, & tertiam partem concidet gladio, tertiam disperget in ventum, & reliquam projiciet in medium ignis, & comburet? At ubi comburet? in clibano ardente, in igne excoquente, & flammis adèdè quidem acerbis, & crudeliter sævientibus, ut ex revelationibus divinis constet, omnes Sanctorum Martyrum craticulas, sartagines, laminas, faculas, ungulas, & æneos tauros, omnes quoque plumbo, oleo, sive resinâ bullientes ollas, aut lentissimo igne pro-

longatas exustiones, imò omnia quæ passi sunt Martyres, (respectivè) instar amœni horti esse, & in comparatione minimæ pœnæ purgatorii, mera sola tia. Mallet enim quilibet viventium, si illa alterius sæculi nosset per experientiam tormenta, omnibus, quæ hîc pœnæ videntur, simul excruciaci, quas omnes homines ab Adam hucusque pertulerunt, quàm unâ die in purgatorio, minori, quæ illic habetur, pœnâ, torqueri.

omnibus simul mundi cruciatibus
In vit. Magdal. de Pazis.
p. 2. c. 13. S. Aug. epist. 206.

XI. Veruntatem penetremus paulisper ad inferiora terræ, ac pœnosissimi illius carceris mansiones; in quibus commissa per neglectum, exuruntur ut stipula; quæ per contemptum, ut ligna; quæ per refractariam voluntatis contumaciam, uti ferrum: hîc aspice torturas, carnifices, rogos, ignes, & liquidos fusilis æris torrentes, quibus immersæ amicissimæ Agni immaculati sponsæ volutantur, & tanquam in balneo abluuntur. Ibi irretorto oculo spectata multos tibi coætaneos, propinquos, & notos in lacu picis, & sulphuris collo tenus innatantes, & protensis manibus eluctari conantes, & inclamantes *miseremini mei, miseremini mei; saltem vos amici mei;* & altum ingemisce, Deo dicatas quondam, & consecratas (heu quàm numerosâ multitudine!) animas,

Consideratio pœnarum purgat.

Bern. Abb. Cassin. & Cardin. in spec. monach. p. 1. c. 10.

Iob. 19. 1. Pœnz perfonarum Sacrar. in purgat.

Vicent.
Beluac. l.
7. hist. c.
109.

Idem ib.

Pro mini-
mis erratis

S. Odo so-
licitus in
colligendis
micis men-
sz.

verubus, & contis acuminatis affixas in-
star anserum torrei, ipsosque crudelissi-
mos tortores sufflatoriis, aliisque igneis
instrumentis miserorum tormenta totis
nisibus aggregare: sustinentibus interim
illis hæc tam atrocia Pœnarum genera,
solummodò, quòd *servire Domino in ti-
more, & tremere non curaverunt; di-
sciplina censuram non tenere, non quietis
& silentii patientes esse, non vigiliarum,
& orationum devotionem, neque laboris
sanctæ psalmodiæ executionem strenuè
amulari statuerunt, sed magis curiosi, fa-
ceti, vagi, superflui, desidiosi, pigri,
somniales, signis jocos, & levitatibus in-
dulgentes, suæ professionis puritatem vio-
lare non timuerunt.* Ecce jam, quid ef-
ficient tam leves plumulæ, quid palæ, quid
characteres, quid pili, vel ipsæ etiam mi-
cæ, quibus congruè meum discursum in-
terpellastis.

XII. Sed rufumite spiritum, refocillabo
jam vires vestras aliis micis, Sancti nimi-
rum Odonis postea Abbatis. Memor ille
eorum, quæ cum Monacho illo contige-
runt, solitus fuit deinceps exquisitissimâ
diligentiâ micas omnes, vel tenuissimas
edere, ut ne una reliqua suo in loco foret.
Cum verò vice quâdam sacræ lectionis
auditu intensius animam reficere curaret,
illasque in manûs suæ volâ jam conclusas
sume-

sumere fuisset oblitus, soluta mensa supplex ad Abbatis pedes accurrens, expansa manu, micæ omnes in pretiosissimas margaritas miraculosè conversas depromsit. Ex quo duplicem micarum sensum eruimus, alterum quidem venialium peccatorum, quæ fient olim merissimi carbones ignis ad pœnam, alterum verò minutissimorum bonorum operum, quæ in lucidissimas gemmas convertentur ad coronam. Etenim apud Deum (dicente Christo ad B. Brigittam) *non est aliquod minimum verbum, nec minima cogitata, sine remuneratione, quia omnia, quæcunque quis fecerit prome, in pœna sua inde habet refrigerium, inde solatium, inde leniorem sentiet ardorem, quàm aliàs sentiret; (nam) sicut usurarius invitus negligeret, si saltem unum denarium lucrari posset, sic ego multò invitius permitterem, unum cogitatum, sive motum extremi digiti tui propter me factum perire, quem non in summam meam laudem converterem ad tuam salutem æternam.* Hæc ipsemet Christus, ad suas, Brigittam, & Gertrudem selectissimas filias.

XIII Porrò istam posteriorem jussit aliquando ad immensi meriti cumulum augendum, quotidiana intentione offerre ad gloriam Dei omnes,

M s

quos

Micæ in
uniones
conversæ.

Minimæ
cogitation.
bonæ in-
gens præ-
mium.

In revel.
S. Brig. l.
6. c. 39.
S. Gertr. l.
3. Insinuat.
div. pietat.
c. 54.

S. Gertru-
dis jubet
omnia mi-
nima Deo
offerre.

quos scriptura, aut lectura esset distinctè characteres, & voces; omnes in cibo, & potu bolos, & guttas; in vigilia, & somno gestus, motus, anhelitus, gressus, nictusque singulos oculorum suorum; quæ omnia ex se vilia, obscura, & imperfecta, nobilissima, clarissima, Deoque gratissima erunt. Imò etiam dormiturus quisque (docente Blossio) si desideret, ut singulas respirationes, quas nocte illâ facit, Deus tanquam eximiam sui laudem suscipiat: *Ego* (revelabat aliquando B. Mechtildi Salvator) *qui sanctis votis pia, amantisque anima deesse non possum, in veritate desiderium ejus adimplebo.* Cui veritati suffragatur & altera ejusdem Auctoris doctrina, dicentis: si duo homines eodem in itinere constituti elegantem flosculum offenderent, quorum alter cuperet quidem illum decerpere, sed meliùs deliberans diceret sibi: dimitte eum propter Deum. Alter verò nihil præmeditatus, carperet florem, iste quidem simpliciter decerpendo, non peccaret, sed ille propter Deum dimittendo florem, tantum præ decerpente meritum obtineret, quanta est distantia cœli à terra. Hæc in ordine ad meritum Minimorum.

XIV. Quoad satisfactionem verò pro

Ludovic.
Bloss. in-
stit. spirit.
c. 2.

Minima
actio indif-
ferens pro
Deo facta
quanti me-
riti.

Idem loco
cit. c. 2.

A simili de
decerpente
vel dimit-
tente flo-
rem.

pro reatu pœnæ , ex iisdem provenien-
tem , ita Sapientia increata locuta esse
introducitur per B. Henricum Susonem :

Anima , quæ se multis obstrinxit peccatis ,
poterit ipsius meæ passionis thesaurum
adeò sibi applicare , ut etiamsi mille annis
punienda sit in purgatorio , brevi tem-
pore , & culpam , & pœnam omnem dis-
solvat , ita ut absque purgatorio libera
commigret in cœlum : modò assuescat ,
omnes actiones parvas , internas , & ex-
ternas , & minimos quoque motus
membrorum facere simpliciter , & purè
ad placendum Deo , & ad gloriam ejus ,
in unione intentionum , & meritorum ,
passionis , & sanguinis JESU Christi.

Hoc enim pacto : *Quotiescunque crea-
tura offert suis cum operibus hunc
sanguinem, quo est redempta, aeterno Pa-
tri, tale donum offert, ut quasi non habeat
Deus pretium, quo illud solvat.* Unde mi-
rabilis illa Magdalena de Pazzis subjunge-
bat, eum, qui sic faceret , iturum rectà
ad cœlum sine purgatorio post mortem.
Hæc Vobis charissimi , tantò majori
deinceps solatio erunt, quantò frequen-
tius , juxta formulam inferiùs tra-
dendam Vos in iisdem exer-
citabitis.

*Apud eun-
dum Blo-
sum in scri-
niol. spirit.
Unire mia-
sua opera
cum
sanguine
Christi de-
let mille
purgat.
Ex vita &
doct. B.
Magdalena
de Pazzis e.
44. & alibi.*

*Rectà mit-
tit ad cœ-
lum.*

MEDITATIO XII.

De confessione culpa, & infinita Misericordia Dei erga peccatores penitentes.

Text. Regul. in Prol.

Exurgamus ergo tandem aliquando, excitante nos Scripturâ, ac dicente: hora est jam nos de somno surgere. Ideò nobis propter emendationem malorum, hujus vite dies ad inducias relaxantur. Nam, quia pius Dominus dicit: nolorem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat; oporteret spem suam Deo committere, & de Dei misericordia, unquam desperare.

Reg. c. 4. instr. 14. instr. 37.

Præludium. Imaginare Filium prodigum squallidissimum, penè desperaturum, secum ratiocinari, de statu suo præterito, præsentis; & futuri melioris remedio, dicente Scripturâ: *In se autem reversus &c.*

Luc. 15. 17.

Fil. prodig. agnoscit suas miseria.

Punct. I. Consid. 1. Filium prodigum in extremas miseriae redactum agnoscere cœpisse suam inobedientiam, ingratitude erga Patrem, suam malitiam pessimè vivendo, stultitiam omnia dissipando, miserrimam conditionem porcos pascendo, ac è contra felicitatem domûs paternæ, ubi servi ipsi abundant panibus. 2. Ita peccatorem incipere deplorare sua crimina, quando

Est typus peccatoris dolentis.

do ex morſu conſcientiæ recordatur vilitatis illarum rerum, ob quas peccavit; & gratiarum, ac operum bonorum, quæ amiſit, de præterito: de præſenti verò qualiter jam ſit mancipium diaboli: ac de futuro, quid ſibi ſit even-
turum in morte, iudicio, & inferno.

O miſeram meam animam peccatricem! Ah quid feci, quid cogitavi, quid dereliqui, quantum bonum offendi, quid amiſi? Ô quoties! Heu! qualis mihi imminet mors? quale iudicium? qualis infernus?

Punct. II. Conſid. I. Quòd Prodigus tandem neceſſitate malorum compulſus reſolverit ſe, reverti ad Patrem. Vnde porcos deſeruit; domum Patris ſpem inter, & metum repetiit, ſtatuens accuſare ſeipſum, & emendare, dicendo:

Surgam: ibo ad Patrem meum; & dicam, Pater peccavi in calum, & coram te: fac me ſicut unum de mercenariis tuis,

*Ibi v. 18.
Revertitur
ad Patrem:*

&c. 2. Ita peccatorem conſcientiâ, & metu gehennæ compulſum, ac gratiâ divinâ illuſtratum tandem incipere ad Deum reverti, dolendo, tremendo, confitendo, & veniam humiliter poſtulando, (Examina, & poſtula &c.)

O verè! Pater mi, & Deus totius conſolationis, ego ſum ille prodigus, ego ingratus ille Filius, O Pater! cuius miſe-

misericiordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus, quid feci? Pater mi! quid feci? peccavi in cœlum & coram te; peccavi super numerum arenæ, quæ est in littore maris &c.

Miseri-
cordia Patris
eum reci-
pientis.

Punct. III. Confid. 1. Quomodo hujus prodigi Pater toto absentia filii sui tempore, quasi miseriam illius doluerit, & percepto ejusdem reditu gaudens, misericordiâ motus, & accurrens ceciderit super collum ejus, annulo, osculo, stolâ, veste, convivio, ac hæreditate in priorem statum restituendo. *2. Sic facit Deus.* Ita infinitæ illius misericordiæ Patrem omnia hæc præstare peccatori converso &c. cum majori gaudio SS. Angelorum super eo, quàm super nonaginta novem justis. (Applica singulatim singula.)

Pientissime Pater! agnosco verè, quòd non vis mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur, & vivat. Vitiânam confiteantur omnia opera Domini Domino, quoniam in sæculum misericordia ejus.

Igitur, cùm mihi tam multos hæcenus superstites vitæ meæ dies, ad emendationis inducias, ex mera tua clementissima bonitate concesseris, nunc tandem exurgam de somno vitiorum, nunc
totius

totius meæ reliquæ vitæ spem in te committam, sperabo, semper in misericordias tuas magnas nimis, ex animo te amabo, & ad vitæ finem, cum tua gratia, sic perseverabo.

CONSIDERATIO I. POMERIDIANA.

De tolerantia malorum hujus vitæ, ad evadendas purgatorii pœnas.

SI futuras inferni, sive purgatorii Genf. l. 1. c. 20. pœnas cordialiter perpenderes, credo, c. 21. 5. quod libenter laborem & dolorem sustineres, & nihil rigoris formidares: Oportet, transire per ignem & aquam, Ib. c. 22. 5. antequam venias ad refrigerium. Melius est modicum purgare peccata, & vitia reserare, quam in futuro purganda reserare. Habes verò magnum, & salubre Ec. 24. 2. purgatorium homo patiens, qui suscipiens injurias, pro contrariantibus sibi libenter orat; qui violentiam facit, & carnem omninò spiritui subjugare conatur.

CONSID. II.

De humili Confessione suarum Culparum

Domine! nihil boni egisse me recolo, Idem. l. 3. 52. 2. sed semper ad vitia pronum, & ad emen-

emendationem, pigrum fuisse. In veritate confiteor, quia dignus sum omni ludibrio & contemptu, nec decet me inter devotos tuos commorari. Et licet hoc agre audiam, tamen adversum me pro veritate peccata mea quotidiana arguam, ut facilius misericordiam tuam merear impetrare.

CONSID. III.


De spe, & fiducia in Dei misericordiam.

Idem l. 3.
c. 59. 1.

ib. c. 52. 1.

Supr. cit.
c. 59. n. 3.
4.

SED quæ est, ô Domine! spes mea, quam in hac vita habeo? aut quod majus solatium meum ex omnibus apparentibus sub cælo? nonne tu Domine Deus meus, cujus misericordiarum non est numerus? Tu clemens, & misericors es, qui non vis perire opera tua ad ostendendum divitias bonitatis tuæ in vasa misericordiarum, etiam præter omne meritum. In te ergo Domine Deus meus pono totam spem meam. Ad te sunt oculi mei; in te confido misericordiarum Pater. Protege & conserva animam servuli tui, ut nihil in me inveniatur, quod oculos tuæ Majestatis offendat.



Die Quinta.

De perfecta Conversione Morum.

MEDITATIO XIII.

De renovatione interioris hominis per passionum animi mortificationem.



Ustodiens se sollicitus homo
 omni hora à peccatis, & vi-
 tiis, id est, cogitationum, lin-
 gua, oculorum &c. vel vo-
 luntatis propria; desideria
 sua non delectetur implere; sed amputa-
 re festinet.

Text. Reg.
 c. 7. gra. t.
 & 2.

Præliudium. Imaginare tibi pictorum
 aliquem spongiâ pulverem, & maculas
 obsoletas à verusta quadam regia effigie
 diluentem, illamque pulcherrimis colo-
 ribus renovantem. Ita juxta illud Apost.
 Si is, quis foris est, noster homo corrup-
 pitur, is qui intus est, renovetur de die
 in diem.

2. Cor.
 4. 16.

Punct. I. Consid. 1. Animam homi-
 nis fuisse à Deo conditam ad creatricis
 suæ Essentiæ imaginem; sicut enim illa
 est una simplicissima Essentia, & vita
 N in-

Anima ho-
 minis ima-
 go Dei.

incommutabilis, sed triplex in Personis, quibus tribuitur potentia, sapientia, bonitas: ita hanc, licet unam in se, habere tamen quasi triplicem vitam, vegetativam communem cum plantis, sensitivam cum animantibus, rationalem cum Angelis, ac tres potentias, intellectum, memoriam, & voluntatem. 1. Eandem fuisse à Deo omnium naturalium, & supernaturalium donorum varietate, tanquam suam effigiem ornatam, ac immortalem. (Inquire, quibus specialibus donis te, sine meritis tuis, Deus affecerit.)

Quantas, ô anima! teneris Deo agere grates, quod sis ipsius Dei insignita imagine, decorata similitudine, desponsata fide, dotata spiritu, redempta sanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, particeps rationis.

S. Bern. l. medit. c. 2.
Deformata
per peccatum.

Punct. II. Consid. Hujus autem imaginis pulchritudinem. 1. Per unicum peccatum mortale turpissimè deformari in monstruosam pavonis, hirci, canis, asini, & aliarum bestiarum, pro qualitate, & specie peccati, imò in ipsissimam diaboli speciem. Prò pudor, & abominatio talis monstri! 2. Eandem per malos & vitiosos habitus, consuetudines, passiones iræ, concupiscentiæ, amoris, odii &c. si rationi prædominan-

nantur, quasi indecorâ vetustate, fuligine, & sordibus obscurari. (Scrutare, an etiam comparatus sis aliquando per peccata bestiis, & qualibus &c.


Quis non horreat, excretur, & detestetur talis nobilissimæ, pulcherrimæ, & immortalis creaturæ, & reginæ tam subitam, voluntariam, & malitiosam deformitatem? ô dedecus! ex Angelica specie in porcum, in caprum molè-olentem, in buffonem &c. degenerare?

Punct. III. Consid. Sicut statuarius ad humanam statuam ex trunco formandam utitur scalpellis, malleis, dolabrâ &c. Vel pictor, primò sordes abluit; aut crassiores abradit, & novam novis coloribus efformat effigiem; ita oportere, Debet re- animam peccatis deturpatam lacrymis, novari per & operibus pœnitentiæ priùs ablui; de- mortificat. in immoderatas, ac inveteratas passiones proprii iudicii in intellectu, superbix, vanæ gloriæ, magnæ sui æstimationis; in voluntate autem proprii amoris, cupiditatum; in sensibus verò corporis, quidquid hæret vitiosum, aut irreligiosum in oculis, auribus, linguâ &c. ferro mortificationis abradi, abscindi, amputari. In quo ad particulare examen tuarum passionum, & consuetudinum, sive habituum descende; & num

aliquandò seriò eas mortificare studueris.

Domine Deus , qui scrutaris renes , & corda , si mitto manum meam in sinum meum , ingemiscere cogor , quòd post tot vitæ , vel etiam professionis meæ annos , post tot confessiones , & proposita adhuc tot malarum prædominantium passionum leprâ infectam extraham ; planè me pudet , & erubescō , veterem hominem nondum exuisse cum actibus suis &c. imò sensibus corporalibus tam effrenem usque modò permisisse licentiam ac libertatem &c.

Veruntamen denuò juravi & statui , omni me horâ observare , & custodire à peccatis , & vitiis inveteratis in omnibus animæ meæ potentiis , cogitationibus ac sensibus , tam internis , quàm externis , omniaque inordinata meæ voluntatis desideria per novam & ferventem mortificationem amputare &c.



DIGRESSIO IX.

De Voto Conversionis Morum per mortificationem inordinatorum appetituum animi, & exteriorum sensuum Corporis.

THEOPHOBUS.

(I.)

Difficillimas, scabrosas & pœnosas Viæ Purgativæ semitas hoc quadriduo emensi estis, restat adhuc una satis spinosa & pungitiva, donec ad Rosas virtutum in Illuminativâ propè Eliæ Tabernaculum pertingamus. Exspoliatio veteris hominis (ô quantæ molis opus!) morumque Conversio (ô quàm acutis pungitiva spinis!) est aggredienda: quæ *Conversio*, cùm ex sua etymologia sit *Cor-dis versio*, pro triplici sensu sumitur, videlicet pro *Conversione mentali* (Bern. Card. & Abb. Cassini in Spec. Monach. p. 1. c. 7.) per inordinatorum appetituum, ac animi exorbitantium desideriorum circa res mundanas, oppressionem, aut correctionem. Pro *Verbali in ore*, per linguæ refrenationem: & pro *Exemplari in Opere*, per aliorum sensuum exteriorum mortificationem. De

Morum
conversio
quid sit.

quibus nos in præfenti. Et primò quidem circa *Mentalem* cum amanrissimo meo Philotheo discurram ; inde etiam cum Monophilo fermocinaturus.

Clerici be-
neficioꝝ
Ecclesiastic.
appetentes.

II. Inter omnes , quibus diversi humani generis status afficiuntur , inordinatus appetitus , ac desideria , videtur facerrimus Clericalis status eâ potissimum laborare cupiditate , quâ nimis præcipitanter Sacerdotij officia ambit & beneficia , non discutiendo , pro maximâ rei importantiâ , quid , quantum , quo fine , quâ virium sufficientiâ , aut qualitatum suarum habilitate tam arduam , ipsisque etiam Angelicis humeris formidandam appetant provinciam.

Prima eor.
quæstio de
summa re-
dituum.
Petri Bles.
epist. n. 15.
S. Bern. ep.
ad Henr.
Senon.

Sed age Philothee , moderni rerum cursûs expertissime , dic , obsecro , quânam ex causâ hodie inter Clericos *prima sit quæstio, de summâ redituum istius, vel alterius beneficii?* aut quo ex fine *curritur passim in Clero ab omni etate, & ordine à doctis pariter & indoctis ad Ecclesiasticas Curas & præbendarum dignitates?*

PHILOTH. Credo equidem, ut tales Candidati pensantes proventuum summam ex unâ, & onerum officijs annexorum gravitatem ex alterâ parte, providè deliberent,

an

an tanto ponderi ferendo vel redivus, vel ipsimet Competitores sint pares?

THEOPH. Prudenter factum. Idiotæ, ignavi se intrudentes in curas nimæ. S. Hier. ep. 4. ad Rom. sic.

At qui si sæpenumerò etiam in gravissimas Curas quoquo modo se intrudent idiotæ, ignari, ignavi, vecordes, cupientes esse Magistri ad docendum, priusquam fuerint Discipuli habiles ad discendum; his maximè temporibus, quo juniores Clerici sacram tunicam induti, studiis se abdicant, otia & evagationes sectantur, & fortè sæpius libellos fabulosos, luforios, aut amatorios manibus terunt, quàm Divinæ Scripturæ, Evangelicorum & Canonum Codices?

III. PHILOTH. De doctis & multâ scientia instructis loquor, non de idiotis & ineptis: illi enim affectant promoveri, ut *alios instruant & ædificent tam fidei scientiâ, quàm operum disciplinâ.* Intentio bona spirandi ad tales curas. Conc. Tolet. 4. cap. 25.

THEOPH. Sancta planè intentio. At quid juvat bene docere & inflante scientiâ arroganter & malè vivere? quod valdè metuo, ne multoties fiat, ut more cereorum Parochi lucem aliis doctrinæ præstent, se vero in malis sive consumant & extinguant? *Bene docendo instruitur quidem populus, quomodo debeat bene vivere, at bene docendo & malè vivendo in* Doctrinæ conveniat vita. S. Isido. l. 3. sent. 6. 37. Auct. op. imperf. in Matth. 60. 43.

do instruitur Deus, quomodo talem Doctorem debeat condemnare.

Officium
Parochi,

PHILOTH. Quamplures alii probe & laudabiliter viventes aspirant ad beneficia curata, ut curam gerant salutis animarum, aberrantes quærant ovicularum, devias reducant; morbidas sanent, famelicas pascant, & periclitantes à moribus luporum tueantur. Annon hæc summæ laudis, & meriti ingentis?

Parochi ne.
gligentes.

S. Bern.
epist. 8. 9.

THEOPH. Divinum opus: Angelorum præconio dignum; cœlesti laureâ præmiandum. Sed quid si vel tales Deo dilecti paulatim incrassati, impinguati, & dilatati incipiant recalcitrare, curata officia sine curâ negligere, Curatoris animarum ministerium in turpem divitiarum quæstum vertere non oves sed boves, non Christum sed fiscum sed commoda temporalia, carnisque illæcebras, quærere (utinam non & Bacchum & individua ejus sociam Venerem sectari) multasque suarum ovicularum non reducendo, sed seducendo venundatas Orco victimas litare? Hæc pro cautelâ & animi tremore dico, ut *qui stat, videat, ne cadat.*

Canonici
officium,

IV. PHILOTH. Proptereâ multi animarum Curas ambire formidantes ad simplices, vel Canonicales præbendas aspirant, ut oneribus, periculis, curisque

risque aliorum soluti, Deo fideliter servire, soli suæ salutis invigilare, Sanctorum Angelorum consortio & ministerio psallendo, & sacrificando fungi valeant. Ab his crediderim, alienam esse omnem inordinatam in prensandis ex ejusmodi sine præbendis cupiditatem.

THEOPH. Divinè judicas; & Inconstan-
tia in bono. ego tales, quotquot sunt, non homines, sed Angelos dixero terrestres, & laudo: veruntamen in hoc laudo, si qui vel à pristino pietatis fervore declinantes per invisum Deo otium & socordiam, ex terrestribus Angelis degenerarent in homines animales aut terrenos. In hoc non laudo, si qui sitirent & biberent S. Aug. in
Psal. 15. mortiferas voluptates, quibus pars Calicis, Dominus est; si qui per nimiam mundanorum & Laicorum familiaritatem conversarentur in triviis, tonstrinis, aut propinis Isa. c. 6. 5.
Laicis nimis
familiares. in medio populi polluta labia habentis suam Angelico-Sacerdotalem authoritatem prostituendo. Demum minimè in hoc laudo, si qui reperirentur, quoscunque inter Ecclesiasticos, non nisi aliqualiculo suo curando & saginando intenti, vel cursum peractis Ecclesiæ ac obligationis suæ muneribus, totum reliquum tempus comburentes, in vagando & excurrendo ad socios, collegas, confabulatores,

otiosè ve- collusores & combibones. De quibus illud
gantes. vetus adagium : *Manè psalterium, meri-
die convivium, vespere tripudium, nocte
propudium.* Tales si qui forent, præ omni-
bus conversionis remedio, ac totali cordis
& morum versione indigerent : cæterùm
timeant, veloces & horrendas æternæ ma-
ledictionis pœnas incurrere.

V. Ad MONOPHILUM meum re-
vertor, quem ante omnia votis omnibus
desiderarem, ut innatam illam & humanæ
naturæ nimis inolitam sæcularis ac sensua-
lis libertatis & laxitatis vitæ cupiditatem,
in annis sui Tyrocinii, & professionis
emissione, ita funditus excisum iret, ne
postea repullulans omnem veræ Religio-
nis ac Religiosi spiritum suffocaret. Ni-
miâ enim prò dolor experientiâ comper-
tum est, quàm sit nocivus exitialis ac pe-
stifer homini Religioso laxitatis ejusmodi
pruritus.

Scherlogto
3.

Rigor vitæ
Religiosæ.

MONOPH. At *gravis est arcta Re-
ligionis restrictio & humanis sensibus
amara, non posse aëris libertate gaudere,
nunquam domo pedem efferre, aut certè
non nisi ex Prasulis arbitrio; non contem-
plari sæculi voluptates, non interesse pub-
licæ pompæ, non dulcibus amicorum, aut
extraneorum conversationibus. Conditio
nimis dura, aërem non habere nisi ad re-
spirandum, terram non nisi ad seipsum*
in-

intumulandum, imò sole non frui, nisi quantum sufficit ad discernendum diem à nocte. Videtur ergo arcus non nimis intendendus ne rumpatur, vires non atterendæ & enervandæ, sed relaxandæ, ac genio, licentiis, & libertati quandoque uberius indulgendum, præsertim in juventute, dum vegetior sanguis ebullit; veniet tempus, quo lubebit esse Lycurgos, & Catones.

Appetitus
laxitatis in
juvenibus.

VI. THEOPH. Perbellè agis libertinorum Advocatum, cum alioqui te sciam, omnis in Religioso laxitatis esse osorem. Sit ergo Religioso concessa arbitrii sui ac vitæ libertas; ecquid hæc erit, nisi piscem ex aquâ extrahere, ut moriatur; plenis carbasis è portu eveni in altitudinem maris, ut præsentissimum naufragium sequatur? Quid erit nisi libertas effrenis hinnuli, ut quâ datâ portâ ruendo præcipitetur; vel libertas febribus æstuanti concessa, ut ad gustum suum aquam, aut vinum bibendo mortem hauriat? Memineris Noënum Patriarcham ex Arcâ præservatrice, columbam emisisse & corvum, illam autem ne suum candorem foris contaminaret, postliminiò in Arcam rediisse; corvum verò patrono suo ingratum, putidæ libertatis amatorem cadaverum carnibus allectum, fœdisque illis ille-

Damnosa
Regularibus
libertas.

Columba
& corvus
ex arcâ dig-
missi.

S. Ambros.
ad virg.
deu. c. 2.

Sunt Reli-
giosorum
symbola.

Laxitas
quorun-
dam,

illecebris inescatum emanasse. Arcæ
Noë comparavit Monasteria S. Ambro-
sius, in quâ omnes professi à fluctibus
& communi diluvio salvi evadunt.
Emittit Prælatus aliquem bene mora-
tum, & disciplinæ Religiosæ amanti-
pro quadam administratione extrâ Cœ-
nobium obeundâ. Et ecce columbam
nitoris studiosam, solitudinis zelosam,
exactæ regularum & assuetæ disciplinæ
observatricem, omnem mundi illece-
brarum, omnem carnalis ac sensualis
libertatis saporem fastidientem, mun-
dumque in mundo aspernantem. Emit-
tit alium eodem ex fine; & hem! cor-
vum super libertate suâ crocitantem,
omnem paulatim Monasticæ vitæ rigo-
rem & exercitia fastidientem ac negli-
gentem, licentiis, dispensationibus, eva-
gationibus, lautioribus cibus, delica-
tiori massico, mollioribus plumis, pro-
tractiori somno, inhiantem, & usque
ad plenam satietatem fruentem, velu-
ti à suæ professionis, morumque con-
versionis Voto extra sui Monasterii septa,
solutus foret & penitus exlex. Cui
proinde, & omnibus etiam intra Cœnobii
claustra immoderatas, ac Religioso ni-
mis indignas licentias, dispensationes,
libertates & laxitates ambientibus, &
non rarò ab invitis Superioribus, ex-
tor-

torquentibus quid aliud Monophile (nisi ferio convertantur) imminebit , quàm infelicissima mors , & projectio ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores.

VII. Horrendum & omnibus Religiosis ad tales licentiores vitæ laxitates prurientibus metuendum exemplum reperitur in vita S. Elphegi de Ordine S. P. Benedicti , & pariter Cantuariensis Archiepiscopi , qui , cùm vidisset in uberrimâ segete plurimorum bonorum Religiosorum sui Cœnobii , etiam non modica succrescere lolia fratrum , exoticam quandam per cibos furtivos , aut absque licentia emptos , vel procuratos , per haustus extraordinarios , conventicula & garrulitates clandestinas &c. frequenter salubri eos exhortatione corripuit , ut quid Voto conversionis morum adstricti , mores Religiosos in dissolutos perverterent ? si os , inquebat vir sanctus , quod mentitur , occidit animam , quantò magis occidet habitus , Monachum mentiens sub moribus mundanis & profanis. Quare aut desinant apparere & simulare , quod per vitam esse nolunt ; aut sint in factò , quod habitu simulant se esse.

S. Elphegus
Abb. corripit
laxitatis
amatores.

VIII. Hæ tam paternæ correptiones apud prædictos licentiosos jam induratos

Subfanna-
tur à disco-
lis.

Auctor la-
xitatis à
dæmonib.
abripitur.

ratos, uno præsertim magis discolo co-
riphæum & libertatis assertorem agen-
te, non nisi crabrones in caput optimi
Præsulis irritare, suscitare murmuratio-
nes, irrisiones & subfannationes: sed
non impunè, prò dolor: subitanè si-
quidem morte extinctus Auctor, cum
horrendo ejulatu, ab accurrente Abba-
te visus est à tartareis Æthiopibus, ig-
nitis serpentibus flagellari, laniari, di-
cerpi, & abripi. Illius cadavere nul-
quam amplius apparente, factoque ab
Abbate cæteris recensito, omnes palle-
cere, trepidare, & complices in faciem
prosterni, culpas suas fateri, & cum
lacrymis pœnitentias emendationi pro-
ficuas subire. Talem sortitur catastro-
phen, irreligiosa, sensualis libertatis affe-
ctio, & malefana Voti conversionis mo-
rum violatio.

IX. MONOPH. Terribilem ca-
sum! cui non ab similem in Actis Beati
Bernardi Abbatis Tironiensis legendo,
jam extunc proposui, ut, qui mun-
danas ejuravi, nunquam deinceps mun-
danas libertates in Monasterium, aut mo-
res meos reducam.

THEOPH. Expediamus etiam duas
allas conversiones, *verbalem in ore, &*
exemplarem in sensibus, & quidem in his
solummodò ocularem, seu oculorum;

bre-

brevitatis, majorisque præ aliorum sensuum custodiã necessitatis gratiã. Prima itaque *verbalis in ore* sita est in observatione silentii Monastici, quoad Religiosos, & recto moderamine linguæ, quoad ceteros omnes: de quo agens Sanctissimus Pater Benedictus, non solum verba scurrilia vetuit, sed illa æternã clausurã in omnibus locis damnando, voluit non unius diei, sed æternitate temporis apponere mensuram, nec uno in loco, sed in omnibus mirabilem dare clausuram; uti exponit Bernardus Cardinalis, & Abbas. Imo, quod plus est, tantam oris custodiam abhibendam esse, vir Sanctus præcepit, ut etiam *de bonis & sanctis ad adificationem eloquiis* propter taciturnitatis gravitatem interdum taceri, ac etiam perfectis discipulis raram loquendi licentiam concedi debere mandaverit. Unde passim in Regulis jubebat: *cum mors & vita sit in manibus lingue*) prohibere linguam suam à malo: os à malo, & pravo eloquio custodire: multum loqui non amare: verba vana, aut risui apta non loqui: ad tale eloquium discipulum os aperire non permittere: taciturnitatem habendo usque ad interrogationem non loqui: cum loquendum, leniter, & sine risu, humiliter cum gravitate vel pauca verba, & non nisi rationabilia loqui. De reliquo omni

Custodia
linguæ a S.
Bened. com-
mendata.

Bern. Cap.
din. loc.
cit.

Reg. c. 8.

In prolog.
Regul. c. 4.
Reg. Instr.
52. 53. 54.

cap. 6.

c. 7. gr. 11.

cap. 42.

sem-

tempore *silentio debere studere Monachum.*

Mala lin-
guz.

Iacob. c. 3.
v. 6.

Eccles. c.
28. 25.

Iac. 1. 27.

S. Paul. E-
remita si-
lentii stu-
diosus.

Paulus
Ægypt. Ps.

38. 1.
Lex silentii
apud vere-
res rigoro-
sa.

B. Suso ar-
ctus silentii
Custos.

Quid clarius? quid possit mandari exactius? & non immeritò; siquidem lingua cum sit *universitas iniquitatis*, tantorumque officina malorum, ut *utilis potius infernus, quam illa*, certè, *si quis putat Religiosum*, aut probum Sacerdotem *se esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est Religio*, & ementita probitas. Vnde operæ pretium fecère veteres quondam Ascetæ, plurimorum annorum labores, & curas impendendo, ut qui suo nutu leones, ursos, pardos, ac lupos cicurant, etiam linguæ loquacitatem compescere possent. Fuit, qui undequinquaginta annis studuit illi soli versiculo practicè discendo? *Dixi custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea*. Alii Religiosissimi Patres silentii observantiam, post vota, pro præcipua lege tanto cum rigore sanxerunt, ut, qui illud perpauçissima licèt verba, ac vix intelligibili voce prolata prævaricatus fuisset, proclamata in capitulo culpâ, detractisque à dorso vestibus prostratus in terram acri disciplinâ vapularet.

X. Vbi modò tales Sanctissimi Cœnobitæ? Vbi Susones Dominicani, arcè per internam pacem silentium per 30. annos, nunquam nisi semel cum aliis Pa-

Patribus in navi, ad mensam infringen-
do. Vbi Andreæ Corsini Carmelitani
ob linguæ, & reliquorum sensuum accu-
ratam custodiam muti, surdi & cæci cog-
nomina gloriosa sortiti. Vbi Humberti
Benedictini, in quibus nullus, tametsi cu-
riosissimus observator, vel unici ver-
buli otiosi loquacitatem animadvertit.
Prodeat etiam piissimus ille juvenis Fra-
ter Rudolphus cognomento *Tacens*,
qui sexdecim continuos annos cum nul-
lo hominum locutus, orto in monaste-
rio suo gravi incendio omnia depascen-
te, post desperatam quamcunque ex-
tinguendi industriam, mutæ linguæ
vinculum his verbis exolvit: *Stes ignis in
hac hora*: divinoque miraculo assuetæ
taciturnitatis meritum approbante Deo,
sævientem ignem compescuit. Potuit
ergo tam longo tempore prædictus ju-
venis Rudolphus; potuere præfati Reli-
giosi, aliique innumeri suis linguis fre-
num ponere; imò potuit S. Benno Epif-
copus & Abbas coaxantibus ranis, &
Franciscus de Fabriano Ord. Min. gar-
rientibus hirundinibus, & orationem eo-
rum disturbantibus silentium sub obe-
dientia imperare, ut mox tacerent, non
possint Beatissimi Benedicti, aliorum-
que Sanctissimorum Fundatorum Regu-
læ, prohibitis saltem temporibus &

Polland.
ad 25. Ian.
nuar. in
Vit. n. 31.
Sic Andr.
Corsic. Car-
melit. mu-
tus cogno-
minatus.
Poll. ad 0.
Ian. n. 13.
Sic Hum-
bertus.
Rudolphus
Tacens no-
minatus in
incendium
verbo ex-
tinguit.

S. Benno
ranis silen-
tium impo-
nit.
Francisc. de
Fabria. hi-
rundines ta-
cendo obe-
diunt.
Polland.
12. Apr.
10. n. 30.

locis quorundam Religioforum linguas à vaniloquiis & garrulitatibus arcere ? O tempora ! ô calamitas !

XI. Sed ut etiam ad nonnullos valde sui oris incurios & inconsideratos Clericos , aut Sacerdotes stylum convertam , non possit illa formidabilis Christi sententia *de omni verbo otioso &c.* superiùs expensa illorum malè - feriatas , effrenes ac licentiosas linguas in tantum compescere , ut aliquando metuant , easdem in scandalosa , & , heu ! ingemiscens loquor , in perniciosissima turpiloquia resolvere : seque in publicis , & honestis conviviis , confessibus , aut conventibus , quà inconditis clamoribus , quà eructatis ex turgente stomacho altissimis cachinnis , quà etiam trivialibus fabrorum proverbiiis , ad levitatis complementum , pro Alpha , & Omega constituere ? O mi bone ! Si Clericus es , quid tibi cum fratribus jocos ? si Sacerdos es , quid tibi cum procacibus , quas vocas , vexationibus ? si salterre es , ecquid tibi cum lascivis salibus ? Per Deum immortalem ! quid cogitabunt de te ita garriente sæculares , nisi quòd ex abundantia cordis os tuum loquatur ? quid inter sese de te musitabunt , nisi (quod magni Antonii Abbat, apophthegma fuit) nostri Parochi ,

Clerici turpiloqui.

Scurriles.

S. Antonii
dictum
contra tales

vel

vel Clerici istius, *cor non habet januam ; quicumque vult intrat in stabulum , & solvit asinum.* Hæc satis ad correctionem, sicubi opus fuerit.

XII. Nunc ad *tertiam* morum Conversionis speciem, quæ est *Exemplaris in Opere*, assidua scilicet mortificationis sensuum (maxime) oculorum, procedamus. Et quidem ad illos ubivis locorum debite coercendos ita S. Bened. Regulæ monent: *Duodecimus humilitatis gradus est, si non solum corde Monachus, sed etiam corpore, humilitatem se videntibus semper indicet &c. vel ubicunque sedens, ambulans, vel stans &c. sit defixis in terram aspectibus.* Quod admirando suo moderaminis oculorum exemplo omni posteritati pro documento reliquit Alphonfus Rodericus à Societ. Iesu. Is quadraginta annorum spatio Janitorem agens, nunquam in alicujus fœminæ oblitum oculos fixit, ut illam de facie nosset. Contigit, ut cujusdam Patris comes, per urbem Majoricam deambulans, indeliberato naturæ impetu, sublatis in altum oculis, mulierem de fenestra prospicientem conspexisset; unde quantumvis derepentè oculis averfis pœnitens de supreptitio errore severè in se animadvertisset, ipsi tamen à Beatissima Virgine defectus iste in vi-

Regul. c.
7. gr. 12.

Alphon.
Rodriq. ar-
ctus ocu-
lor. Custos.

Arguitur à
B. Virg. de
fortuito a-
spectu fœ-
minæ.

sione nocturna hisce verbis impropetratus est: *Quando incedis per viam, non magis oculos attollas; quam sit necesse, ad videndum, ubi pedes figas. Ad neutrum latus convertas oculos, nec caput attollas sicut hodie fecisti, quando vidisti mulierem.* O verba dignissima! ut non in palpebris tantum exterioribus cujuscunque Tyronis, & Professi, sed in intimis quoque pupillis oculorum inscribantur.

Hugo Cluniac. mirus oculor. Custos.

Polland. in Vit. ad 1. Apr. n. 15.

Sic Seraphinus Ord. Minor, S. Francisci. Capuciae. Bover. ad ann. 1604. n. 37.

Curiositas oculor. punita.

XII. Inscriptit hanc legem profecto continentissimus Hugo Abbas Cluniacensis, qui refertur per spatium 50. annorum sui Episcopatus administrati unam solam mulierem ita aspexisse, ut eam de facie nosset, si occurreret. Simile foedus cum oculis suis pepigit ille primævæ innocentiae vir Seraphinus à monte Granario, qui, licet adeo ab omni impurâ cogitatione, motuque carnali in carne immunis esset, ut nullam unquam pudicitiae hostem sentiret: nullius tamen unquam mulieris vultum intuebatur. Satiùs & sanctiùs hunc Seraphicum Patrem imitatus fuisset ejusdem Capucinatorum Ordinis consors Fr. Philippus, qui immodicæ curiositati aspiciendi quandam virginem speciosam indulgens, ad omnes portarum Monasterii ac templi januas & rimas accurrit, ut ejusdem visu potiretur, loco puellæ for-

formosæ vidit teterrimi dæmonis speciem. Vidit, exhorruit, intremuit, dolensque pœnituit.

XIII. Cum duobus raris & admirandis oculorum custodiæ exemplis hanc Digressionem absolvo. Innocentio II. Pontifice Max. Monasterium Claravallense sub S. Bernardo Abbate, cum multa Episcoporum catervâ visitante, ista narrantur. *Flebant Episcopi, flebat ipse summus Pontifex; mirabantur Congregationis illius gravitatem, quòd in tam solenni gaudio oculi omnium humi defixi nusquam vagabundâ curiositate circumferrentur, sed circumploris palpebris ipsi neminem viderent, & ab omnibus viderentur.* Alterum de Conventualibus ad S. Gallum Benedictino - Helvetæ Congregationis Primatibus factum quoddam aureo dignum caractere, in hæc verba scriptum legitur. Otto Magnus Imp. invisens aliquando cum Brunone Archiepiscopo Coloniensi ad idem Archiepiscopium, mox in Chorum se contulit; cuius in medio, Fratribus hinc inde ad latera ordinatè consistentibus, oculos in omnes circumversans, ut probaret, si etiamnum illa, quam ante noverat, disciplina vigeret, datâ operâ baculum è dextra in terram labi permisit. Quo quantocyùs à Cunone Duce, & Genero suo

Bxor. ad
annum

1131.
Monachi S.
Bernardi o-
culor. con-
tinentissi-
mi.

Otto Imp.
probat cu-
stodiam o-
culor. in
Monachic.

accurrente sublato ac restituto : *Ecce* ,
 inquietabat Cæsar , *disciplinam horum* ,
quam tu forsitan auditu vòsti ; baculum
mibi decidere sivi , nulliusque illorum
caput , aut oculos ad hoc motos vidi : dic
ergo Adelheidime , & filio versutiam ,
quam feci . O qualia hæc sæcula ! quàm
 felicia , quàm aurea ; & utinam à moder-
 nis moribus non tantopere , apud non-
 nullos plus æquo oculis suis indulgentes ,
 vagos , & incautos , aliena ! Totis ergo
 viscerum medullis exopto vobis , dile-
 ctissimi , oculos in quâvis occasione sim-
 plices , puritate claros , modestiâ humiles ,
 mortificatione demissos , semperque vel
 solo , vel soli cælo intentos : aut si curio-
 sis esse licet , in rugosas ac lippientes ve-
 tulas (certa continentiæ remedia) defi-
 xos , prout apud Fr. Ægidium S. Fran-
 cisci socium , alius quidam Frater glo-
 riabatur , se licet aspiciendo scœminam ,
 se sequentem in viâ , omnis tamen ten-
 tationis expertem fuisse , interrogatus
 causam de nullâ habitâ tentatione , re-
 spondit , eò quòd fuerit vetula valde de-
 formis . Præclara (feliciter) victo-
 ria ! ab ipso etiam B. Ægidio
 seriò redarguta .

Adhortatio
 ad custodi-
 am oculor.

Polland. in
 Vit. 23.
 Apr. n. 77.

MEDITATIO XIV.

De eadem morum conversione, per sensuum exteriorem maxime Oculorum, Aurium, Linguae custodiam.

Faciamus, quod ait Propheta: *custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea: posui ori meo custodiam: obmutui, & humiliatus sum, & filii à bonis.* Text. Reg. c. 6.

Prælud. Imaginare tibi Christum multis ceremoniis resanantem energumeni linguam, aures, oculos, à dæmone obsessos. Marc. c. 7. Matth. 12, 22.

Punct. I. *Consid. 1.* Ad perfectam imaginis Dei reformationem, etiam spectare sensuum exteriorum mortificationem. Linguae mortificatio.
2. Præ omnibus autem linguam peccatoris à diabolo quasi possessam, reddi in Dei laude, gratiarum actione, confessione, &c. mutam. *3.* E contra verò in verba otiosa, nugacia, scurrilia, contentiosa, murmuratoria, detractoria &c. resolutam. (Fiat hęc examen particulare super proprios linguæ defectus.)

ingenuè ex conscientia mea fateri cogor, me in loquendi libertate habere

Eccli. 28.

re linguam nimis velocem, inconsideratam, & promptam contra Superiores, Confratres, & Proximos: sed verbis meis faciam stateram, & frenos ori meo rectos, ut considerare possim deinceps omnes loquendi circumstantias, temporis, loci, personarum &c. *Mors enim,*

Prov. 18.

Et vita in manu lingua.

Aurium
obturatio
ad bonum.

Punct. II. Confid. 1. Etiam aures à dæmone obsessas teneri, ne percipiant divinas inspirationes, conscientiæ remorsus, mandata Dei, & Superiorum; aperiri è contra sibilu serpentis, suggestionibus, murmurationibus, detractio- nibus, novitatibus, rebus sæcularibus, impertinentibus, curiosis &c.

Oculi clausi.

2. Oculos claudi, ad videndos proprios defectus, peccata, inconstantiam &c. aperiri autem ad cernendas festucas alienas, res curiosas, vanas, vagas, indecentes, & periculosas &c. In quo rursus examen particulare instituatur; quomodo? quando? ubi? quoties? &c.

Sed quid erit tandem tecum, ô vaga, & incircumspecta peccatrix anima! si sensus tuos Deo concludis; & diabolo, carni, mundo, quibus dudum renunciâsti, referas? nescis, quòd mors intret, & sapiissimè intrârit in te per fenestras? Reformâre igitur in novitate sensuum; & discere disciplinam &c.

Punct.

Punct. III. Confid. Ad hanc reformationem observanda esse eadem, quæ Christus adhibuit in refanatione illius muti, surdi, & cæci. Nam 1. ingemuit. 2. Ad Patrem oravit. 3. Linguam salivâ resperfit. 4. Digitum auribus, & oculis admovit. 5. Dæmonem expulit imperio suo, hominiquæ omnem usum membrorum illorum restituit perfectè. Ita de tot vitiis & defectibus sensuum 1. Dolendum. 2. Auxilium Dei implorandum. 3. Linguam sapientiæ, & discretionis moderamine tanquam salivâ respergendam. 4. Aures timore Dei, oculos mortificatione, ceu digito comprimendos. 5. Omnia vana, mundana, carnalia, & diabolica expellenda: sic tandem ritè sanabuntur &c.

Sensuum
omnium
reformatio.

Ah utinam! tam beata fias, o anima mea! tam pacata & tranquilla; tamque perfecta, ut non offendas in verbo, sed discas *os tuum à malo*, & *pravo eloquio custodire*. Aures tuas sepere spinis, ne audiant sermonem nequam: & defixis in terram aspectibus avertere oculos, ne videant vanitatem.

Reg. c. 4.
Instr. 52.
Eccli. loco
cit.

Verè, Domine, dixi: custodiam vias meas, ut non ampliùs toties delinquam in lingua mea. Verè, verè dixi: nunc cœpi. Sed tu pone, quæso, in omni loco, & tempore debitæ circumspetio-

Proposita
& vota cir-
ca custodi-
am sensuum.

O s

nis

nis cautelam, & ostium circumstantiæ labiis meis; & ego, ut à malis verbis propter pœnam peccati possim cessare, etiam à bonis eloquiis interdum, propter taciturnitatem, silere studebo.

CONSIDERATIO I. ANTE-MERIDIANA.

*De inordinatis Passionum affectio-
nibus mortifican-
dis.*

Gerf. l. 1. c. 7, n. 1. 2. **H**omo, qui necdum in se perfecte mortuus est, citò tentatur, & vincitur à rebus parvis, & vilibus. Infirmus spiritu, & quodammodò carnalis difficulter potest se à terrenis desideriis abstrahere. Resistendo autem passionibus invenitur vera pax cordis. non autem *Ib. c. 11. 4.* serviendo eis. Si tantum in istis exterioribus observantiis profectum Religionis ponimus, citò habebit finem devotio nostra. Sed ad radicem ponamus securim, ut purgati à passionibus pacificam mentem possideamus. Nam alioquin *Ib. c. 17. 2.* **H**abitus, & Tonsura modicum consert: sed mutatio morum, & integra mortificatio passionum verum faciunt Religiosum & Sacerdotem.

CON-

CONSID. II.

De pernicioso superflua confabulationis vitio.

Quare tam libenter loquimur, & invicem confabulamur? cum tamen Gerf. l. 1. c. 10.
 raro sine laesione conscientia ad silentium redimus? Ideo tam libenter, quia per mutuas locutiones invicem consolari quarimus; & cor diversis cogitationibus fatigatum optamus relevare. Sed pro dolor! saepe inaniter, & frustra. Nam hac exterior consolatio interioris, & divina consolationis non modicum deprimendum est. Quoties enim inter homines fui, minor homo redii. Hoc sa- Ib. c. 20. 2.
 pius experimur, quando diu confabulamur.

CONSID. III.

De Amore, & fructu silentii, ac solitudinis.

In silentio, & quiete proficit anima de- Ib. n. 6.
 vota, ut Conditori suo tantò familiarior fiat, quantò longius ab omni tumultu degit. Nemo securè loquitur, nisi qui libenter tacet. Si autem loqui, & c. 10. 2.
 expedit, qua edificabilia sunt, loquere.

CON-

CONSID. IV.

De refrenanda Oculorum vaga
curiositate.

- Idem l. 3. c. 38* *1. 2.* **F**illi, ad istud diligenter attendere debes, ut in omni loco, & apparentia externa sis Dominus (sensuum, &) actionum tuarum, & rector, non servus. Nec oculo carnali lustres visa, vel audita.
- f. 1. 20* *7.* **Q**uid vis videre, quod non licet habere? Trahunt desideria sensualitatis ad spatiandum (curiositatis ad evagandum) sed quid nisi gravitatem conscientia, & cordis dispersionem reportas? Si cuncta videres presentia, quid esset, nisi visio vana? Dimitte vana vanis. Laudabile est homini Religioso, raro foras exire, fugere videri, nolle etiam homines videre.
- n. 2.*
- n. 6.*

DIGRESSIO X.

De voto stabilitatis, seu fervore perseverantia in bono, contra tepiditatem.

THEOPHOBUS.

(I.)

- Reg. c. 58.* **Q**uamvis S. Patriarcha Benedictus, ubi inter Religionis vota, professionem Stabilitatis ponit, literaliter de stabi-

stabilitate loci loquatur, quam alibi vocat, esse Officinam instrumentorum bonorum operum, de illa tamen hic vobiscum nunc agam, quatenus importat perseverantiam in bono, & excludit defectuam à fervore operis Dei, per supervenientem Vitæ Tepiditatem, morum perversioni, & sensuum libertati cognatam. Istius porrò perniciosissimæ tepiditatis amicos, à concepto aliquando fervore deficientes Lætiensis Abbas Blofius sequenti censurâ perstringit: *Sunt ad huc alii divino obsequio mancipati, qui tamen nec infideles, nec fideles servi Dei dicendi sunt, sed ignava diaboli mancipia, quis eos jure appellârit.* Qui scilicet habitu, Ordine, & officio Ecclesiastici, & Religiosi apparent, sæcularium dissolutionibus abdicati, cæterum quâdam mentis pigritiâ, sive segnitie affecti, conceptos devotionis spiritus relaxant, ac interiora sua prorsus negligentes, labiis quidem, & externis functionibus se Deum honorare simulant, sed cor eorum longè est ab ipso: in quodam tepiditatis profundo demersi, vix quidquam de propria salute cogitant; tales hodie, quales heri, tales in claustris, quales in sæculo, tales in Sacerdotio, quales olim in gymnasio, tales in senio, quales in juvenia, nempe *luridi, immundi,*

Ib. c. 4.

Tepidorum
censura.In spec.
Monach.
Dacrya,
Abb. apud
Ludov.
Blaf.

di, tepidi, socordes, vagi, incompofiti, sine timore, sine reverentia. Hæc ille.

S. Bern.
ferm. 1 de
institut.
Monach.

Sunt Pardis
similes.

S. Th. 2.
2. q. 184.
45.

Regulares
tenentur
tendere ad
perfectio-
nem.

II. In istorum similem, aut similes congruit ille mellificæ apis aculeus : *Saculo nuncium remisisti, sed professione, & statu tuo indigna committis, in Angelica jam dignitatis ordinem transisti ; sed veteris hominis negligentis vacando, Pardorum pellibus assimilaris, quorum seta, nec ex toto alba, nec ex toto nigra ; sed cum sint dissimilium colorum mistione variegata, & interpuncta, neque in albis numerantur, neque in nigris.* Ista Lactifluus Doctor ; cæterum Angelicus, inquirens, an Religiosi sint in statu perfectionis, ita resolvit : eos, tamen si se perfectos esse minimè profiteantur, in statu tamen perfectionis teneri, eò quòd perpetuam obligationem, ad ea, quæ perfectionis sunt, tendendi, cum solemnitate contraxerint ; & ideo consequenter subdit, illos mendaces, simulatores, fictosque Religiosos esse, qui ab intentione perfectionis animum revocârint. Gravis sanè in Religiosos tepidos, ac formidolosa censura : æquè tamen observatu dignissima, & necessaria illa alterius mellifici Ecclesiæ Doctoris ad Sacerdotes male - suadâ opinione semetipsos fallentes, & credentes, vitæ perfectionum solis Religiosis & Claustralibus competere, non itidem æquè omni-

omnibus in sæculo Sacerdotibus : ita enim ad ipsos fermocinatur : *Audite me stirps Levitica, germen Sacerdotale, propago sanctificata, Duces, & Rectores gregis Christi: nihil est in hoc saculo excellentius Sacerdotibus, si, quod sumus, actione potius, quam nomine demonstramus, ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini: ne sit nomen inane, & crimen immane: ne sit honor sublimis, & vita deformis; ne sit deifica professio & illicita actio.* E quibus verbis infertur, tam grave & irrefragabile esse Sacerdotum ad perfectionem debitum, quantum est, & quàm infallibile eorundem, etiam supra Religionis statum (ut sic præcisè) sublimius dignitatis fastidium. Vnde quilibet *Sacerdos iuge, & continuum debet esse perfectionis holocaustum.* Alioquin tantundem in illos, ac in Religiosos negligentes illud fulmen quadrabit; quòd sit *promissor largus, redditor avarus, mendax manifestus, divisor pessimus; Deo enim suo dedisse videtur, se vero diabolo; & quia Spiritui Sancto mentitur, mortem meretur aeternam.*

Sic etiam sacerdotes sæculares. S. Amb. lib. de dignit. Sacer.

Hesych. in c. 6. Levit.

Tepidi in crepantur.

Bernar.

Cardin. in spec. Monach. p. 2. c. 2.

III. Quàdam vice S. Bernardus visus est sibi audire voces illas Luciferi inter Superos adhuc existentis : *in cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum; Sedebo in monte Testamenti.* Ex quo justâ indignatione commodus ita in super

Isaia. 14.

13.

Daniel. 7.
10.

Sedere &
non seivire
cupiunt.

S. Anselm.
ep. 6. ad
monach.
Cister.

perbiæ , & nequitia spiritum inveni cœpit : ô imprudens ! ô impudens ! millia millium ministrant ei , & decies millies centena millia assistunt ei , sine fine dicentia Sanctus , Sanctus , Sanctus : & tu Sedebis ? Omnes sunt administratorii Spiritus , Cherubim stabant , & non sedebant , & tu solus Sedebis ? qualis hæc tua præsumptio ! qualis inter tot Dei Ministros negligentia , & supina prorsus vecordia ? Eâdem omnino correptione dignissimus esse videtur , quisquis Sacerdotium , aut Monasticen professus , tot inter famulantium Deo agmina mente , & spiritu à ferventi bonorum operum exercitio torpescit. Ita enim impropere , & redargui meritisimè , & verisimè potest : tot in cœlestibus Hierarchiis Angelorum myriades nunquam cessant à divina laude ; tot Sanctorum utriusque sexûs , & statûs centena millia triumphantis , ac militantis Ecclesiæ ; tot in sæculo infinitis peccandi occasionibus expositi conjugati , Laici , atque fideles , die noctuque stant in perpetuo servitutis Dei procinctu , tot hominum milliones conantur in dies ire de virtute in virtutem , de profectu in profectum , semper timentes in singulis minima Deum offendere , & tu piger Sedebis ?

IV. Con-

IV. Considera bene operandi occasionem, quâ potiris, proficiendi obligationem, quâ teneris, proborum exempla, quæ stimularis, Sanctorum societatem, ad quam aspiras, ne malus in contubernio bonorum inveniâre, sicut diabolus quondam inter agmina Angelorum. Recogita, quæso, loci sanctitatem, quam calcas, fundatorum intentiones, quas agnoscis, legata piâ, census, ac redditus, quos percipis, Reliquias Titularium Sanctorum, quas in altaribus prostantes colis; & erubescere, si imitari pigeat, quod celebrare delectat. Revolve, Sacerdos, Ecclesiæ Annales, & Martyrologia, recolle Religiose, sanctissimi Ordinis monumenta, ac menologia; Deum bonum! quot reperies viva in mortuis omnium virtutum exempla, quod stimulos fervoris, quod Sanctorum nomina, encomia, prodigia? Suspice cœlum, & numera Sanctos Angelis familiares, aut pares, Deiparæ devotione insignes, ejusdem favoribus illustres, omni miraculorum gloriâ eximios Tavmaturgos; mortuorum in vitam resuscitatores, locorum, urbium, provinciarum, & quarumcunque necessitatum communes Patronos; invictissimos hæresum debellatores, regnorum, ac gentium Apostolos, Martyrum denique in-

Adhortatio
contra tepidos.

Sanctorum
Antecessorum
fervor.

*Trith. I. 1.
de viris il-
lust. c. 6.*

numerabiles candidatos exercitus, quos profectò non alio vivendi modo ad tantam pervenisse sanctitatis consummationem nosse debes, nisi quia (ut Trithemii verba adducam) *magna in eis fervebat devotio, arsit in eorum mentibus disciplina zelus commendandus, qui illos nunquam sinebat esse remissos, subdebant colla iugo regula, obedientie normam susceperunt, in camino paupertatis, & adversitatum probati fide, firmi, sperobusti, geminâ charitate fulgidi zelosi, maturi atque doctissimi, mente puri, devotione precipui, omniumque virtutum honestate decori: Vobis quidem fragilitate naturæ similes ac mortales, cæterùm solo perfectionis conatu facti sunt solidi, constantes, & immortales.*

*Proponitur
imitandus.
Climac.
gradus 1.*

V. Quòd si igitur potuêre isti, & istæ vim sibi inferre, teporem excutere, ignem igni, calorem calori, studium studio desiderium desiderio usque vitæ exitum, metamque semper addere, & augere; tu non possis aut posse desperes? In d (quod deplorandum) nunquam velis, aut vix unquam coneris? sed complicatis quasi manibus, & brachiis, vel pedibus genibusque supra se invicem decussatis in pigritiæ veterno *Sedere* tantùm cum Lucifero præsumas? Non metuis, omnes olim tanquam tuos accusatores, & judices,

tes, te velut inertem, vecordem, indig-
 num, & degenerem filium, aut fratrem
 reprobaturus? vel te in sancta Religione,
 & Apostolico statu factum quasi profely-
 tum, meræ tepiditatis vicio futurum
 aliquando duplò filium gehennæ? Si
 cui ista non intimas ossium medullas
 penetrant, sed adhuc, velut obducto ob-
 stinationis callo, rigescit, actum cum
 illo, conclamatum jam esse, vehementer
 pertimescendum est.

VI. Porrò prænominatus Trithemius
 assignat octo consecrati Deo hominis,
 sed merè in suis functionibus tepidi præ-
 dominationes Inordinationes. *Prima*
 committitur in Deum: ex ipsius servitutis
 incuriâ, divini operis negligentia, vanâ
 mentis ad creaturas, atq; sensibilia oble-
 tamenta evagatione. *Secunda* in regu-
 las suas, ac statuta: facili illorum trans-
 gressione, humilitatis contemptu, mini-
 morum neglectu, libertatis affectatione,
 licentiarum ambitione, concessionum &
 dispensationum abusu, correctionis im-
 patientiâ, & fugâ disciplinæ. *Tertia* er-
 ga Superiores: amoris filialis amissio-
 ne, actionum simulatione, murmuratio-
 nis frequentia, intolerantiâ pœnæ, con-
 tumaciâ vitæ. *Quarta inordinatione* se ex-
 tendit ad confratres, & æqualis mini-
 sterii consortes, qui enim sibi malus,

Tepidorum
 grave ani-
 mæ peri-
 culum.
Matth.
 23: 15.

Octo deor-
 dinationes
 Tepidi.

cui , obsecro , bonus erit? idque dissimilitudine morum , exempli pravitate , conversationis seductione , proborum irrisione , atque despectu , irrogatione contumeliarum , alieni defectus inquisitione , & cavillatione , fraternaque charitatis invidentiâ , vel simulatione. *Quinta* reflectitur ad se ipsum : proprii iudicii , ac voluntatis amore , levitate cordis , morum dissolutione , risus effusione , jocorum scurrilitatibus , ineptâ ac inani lætitiâ , stultâ boni jactantiâ , errorum defensione , & præsumptione se excusandi. *Sexta* est in ordine ad res Monasterii , & proventus Ecclesiasticos , per luridam in Monacho illarum tractationem , temerariam dilacerationem , ac debitæ custodiæ negligentiam : in Clerico autem , vel per nimiam , & scandalosam avaritiam , intensumque corradendi studium , quo totus occupatur , Deo , & animabus neglectis : vel è contra per prodigalitatem , superfluitatem , bonorumque Ecclesiasticorum inutilem dissipationem. *Septima* ad debitam sæculi renunciationem : tepidus enim internæ dulcedinis expers , externa quærit solatia , vel cum laicis , parentibus , cognatis , aut notis , vel in cibo & potu , somno jocis , otio , lusu , exemptionibus , oculorum licentia , &

effra-

Gradatim
vergit ad
ruinam.

effræni concupiscentia carnis ; donec per *Octavam* , & externam inordinationem (quæ perfectæ morum conversioni contraria est , ac pœnitentiæ tollit stabilitatem , utinam tandem non etiam loci , ac Fidei) prolabatur istiusmodi in cœcitatem mentis , peccati complacentiam , & recidivam : post hæc in consuetudinem parvam , inde in timoris Dei oblivionem , emendationis dilationem , ac abyssum improbitatis ; de pavimento in sterquilinum , de solo S. Bern. Serm. 63. in Cantio. in cloacam , de cœlo in cœnum , de clauastro in sæculum , de professione , vel Ecclesiâ in apostasiam , æternamque animæ perditionem. Ita assumente uno solo solius Tepiditatis diabolo septem alios nequiores se , in domum vacantem , & ab incepto fervore vacuam intrando , per universitatem vitiorum fiunt talis hominis novissima pejora prioribus. Fit domicilium omnium vitiorum. Matth. 12. à v. 43.

VII. Hinc S. Cæsarius hæc ait , sine S. Cesar. dubio patiuntur Clerici , Monachi , virgines , superbi , inobedientes , tepidi. hom. 35. Cum enim in primodiis conversionis suæ , relictâ sæculi conversatione , ad militiam sanctæ institutionis animo ferventi confugerint , per gratiam Dei evacuantur omnibus malis , postea verò dum per negligentiam ac desidiam non apponunt studium , ut repleantur spiritualibus bonis ; vitia , quæ discesserant , invenientia

eos vacuos, cum multiplici remeantia comitatu compellunt eos redire ad votum suum, imò sunt novissima eorum pejora prioribus. Expertus est hoc suo proprio gravissimo damno & infamiâ juvenis ille (de quo A. R. P. Massenius in suo libro de felicitate Vitæ humanæ) venerandæ Societatis JESU alumnus, qui eâdem improbè desertâ, ad impiam aliorum transiens, mox velut à septem vitorum dæmonibus occupatus, eò nequitiarum delapsus est, ut in manus sæcularis magistratûs, & inde pro flagitiis suis ad capitale, & infame supplicium à carnifice ductus, utinam non serò nimis indulerit, culpam omnem suæ perditionis publicâ confessione referendo in neglectum minimorum, vitæ socordiam, defectionem à primo fervore, libertatis ambitum, & detestandæ tepiditatis in Religione invalescentiam, ex quâ in talem cordis & corporis apostasiam; scelera, vincula, carceres usque ad furcam incurrerit.

VIII. Veruntamen particularia duntaxat, solique tepido Religioso impenitentia mala sunt ista: longè autem magis, & quidem sanguineis lacrymis deploranda, quæ integris Episcopatibus, Collegiatis & Parochialibus Ecclesiis integris quoque Monasteriis ac Ordinibus

Massenius
fol. 368.
juvenis Societatem
Jesu deserens.

Sui suspensionis causam
tribuit tepiditati.

bus per solam Tepiditatem Originaliter
 inuenta sunt excidia : (juxta S. Anselmi
 in superiore Digressione Septima num.
 21. allatam præmonitionem seu vaticini-
 um) Ex quo enim permixta sunt in
 florentissimas illas vineas parvula vulpes
 irrepere , impunè grassari , & cunicu-
 los agere ; coeperunt paulatim regula-
 rum sepem dissolvere , bonæ disciplinæ
 maceriam laxare , subruere , dissipare :
 donec tandem , invalescentibus vitiis
 proprietatis , luxûs , fastûs , levitatum
 ac libertatum carnis , vinea tota , Ecclesia
 tota , totûmque contaminatum , depa-
 stum , & exterminatum est Monaste-
 rium.

Tepiditas
 & minimo-
 rum ne-
 glectus
 sunt ruina
 communis.

MONOPH. Sed quænam sunt
 ista parvæ vulpeculæ tam furtivæ irre-
 pentes , tam impunè demolientes ,
 tam perniciosè destruentes ?

THEOPH. Præter superiùs jam de-
 monstratas , videlicet neglectum mini-
 morum , affectum ad libertates , abu-
 sum licentiarum , incuriam sensuum , la-
 xitatem ; sequentes pariter recenset Ab-
 bas Trithemius : Scientiarum defectum ,
 & crassam ignorantiam ; sacræ lectio-
 nis , & debitæ correctionis omissionem ;
 disciplinæ relaxationem , atque multi-
 plices dispensationes ; proprietatis usum ;
 superfluitatis immoderatam cupidinem ;

Aliæ causæ
 ruinarum
 Monaste-
 riorum.

*Trith. in l.
declamat.
or. 5. de 12.
excidiis re-
gul. observ.*

*S. Bern.
serm. 6. in
Ascens.
Dom.*

*Tepiditatis
remedium
sunt annua
exercitia.*

*Lud. Blo-
sius fervens
exercitio-
rum S. Igna-
tiii cultor.*

divitiarum, victusque abundantiam; internæ renovationis incuriam; venialium, leviumque culparum contemptum; orationis, & Sacramentorum administrationis, ac usûs negligentiam; & hanc omnium istorum originem, quam S. Bernhardus appellat perniciosam, periculosam, miseræ, & doloris, & **INFERNO PROXIMAM UMBRAM MORTIS, TEPIDITATEM.**

IX. Unde omnes, quotquot sunt, zelosi Visitatores, Provinciales ac Superiores tantarum cladum memores, ac duo maximè remedia accuratissimo studio intendunt, nimirum ut inprimis personæ, sive Ecclesiasticæ, sive Religiosæ sibi commissæ & subditæ, moneantur, inducantur, persuadeantur, & assuescant ad annuas interni spiritûs recollectiones & renovationes per exercitia spiritualia, ad excutiendam deterrimam & damnabilem tepiditatem, ex humanæ inconstantia infirmitate quasi inadvertenter irrepentem; & illicò, sumptis viribus, perniciosissimè invalescentem: hoc autem penè solo & unico remedio propulsandam. In quo Religiosos inter divini spiritûs laude celebratissimus Ludovicus Blosius S. Patri Ignatio familiarissimus, ejusque Societatis *Jesu* Lovanium

nium apud Belgas introducendæ enixissimus promotor mirifico præluxit exemplo, dum, ut (*qui Sanctus est, sanctificetur adhuc*) subito ad novos novæ provinciæ colonos exercitiorum faciendorum causâ advolavit, & renovatus ipse in spiritu, publicæ dein & communi reformationi strenuam operam navavit.

X. Et pro altero, prædicti Visitatores & Superiores ad exemplum tot sanctissimorum suorum Pontificum & Pastorum; aut Ordinis fundatorum, ac Reformatorum summâ cum sollicitudine insistent annuis & fructuosis visitationibus obeundis, suorum subditorum defectibus emendandis, corrigendis excessibus, inflammandis ad solidam pietatem animis &c. In quibus de Regulari statu insigniter efferbuit S. Odo Abbas Cluniaci, ac suo tempore cujuscunque salutaris consilii promptuarium, totiusque Christianitatis sacrum Ærarium appellatus, per Germaniam, Galliam, Italiam, Hispaniam, aliasque remotissimas orbis plagas tam indefessus Reformator, ut demum à tot laboribus superstes, suprâ bina Cœnobiorum millia unus, & solus dirigeret; apparente ipsi & jubente Sanctissimo Patriarchâ **BENEDICTO**, ut obsequentes, &

Polland. in Vit. 7. Janu. n. 59.

Apoc. 12.

S. Odo
Abb. Cluniaci mirificus Reformator,

disciplinæ capaces alumnos favoribus, refractarios autem, & discolos vindictâ cœlesti prosequeretur. Sed facillimum est, ut unus superior tot Monasteria regat, & uti quondam fuit, ultra quinque Monachorum millia, quando nimirum Religiosi omnes ex se in altum moventur, tanquam scintillæ in arundineto discurrentes, solo admoto exhortationis igniculo; at quia discoli, & tepidi non moventur ab igne spiritualis fervoris (quo ex propria socordia carent) intus latente, nec amore reguntur, hinc pro uno compescendo, vix quandoque decem Superiores sufficere possunt.

XI. Porrò in Ecclesiasticâ Hierarchiâ suo nitore restituendâ per omnibus exceluit stupendus Reformationis ad SS. Concilii Tridentini leges introducendæ Zelo-tes Carolus Borromæus, qui, cum talem præscripsisset Dei Ministris continuandi fervoris regulam: *Alant Sacerdotes perpetuum animi quendam ardorem, erga divina, zelumque gloria Dei, & salutis animarum, tanquam ignem sacrum ad sacras actiones necessarium*: id ipsum reformationis opus absolutissimis numeris complevit. Quò enim sex illa provincialia ab ipso celebrata Concilia, quò undecim Diœcesanæ Synodi collimârunt?

Ex consti-
tut. S. Ca-
roli. reg. 2.

S. Carolus
monet Cle-
rum fervo-
ris & zeli.

runt? quàm ut obscuratum domûs Dei
 decorem, quàm ut collapsam prorsus
 Ecclesiasticorum, ac Regularium disci-
 plinam redintegraret. Quid existimas,
 hunc novæ Legis Phineem promovisse,
 ut tot nobilissima seminaria, collegia,
 & cœnobia pro Itala, Germana, Helve-
 tica, Rhætica, & Valesiana juventute,
 nullum profundendis opibus finem im-
 ponendo, intra sui Archiepiscopatûs ter-
 minos condiderit? extra verò non dubitâ-
 rit tantus hic orbis Atlas per nivosa, & in-
 accessa Rhætorum, & Helvetorum juga re-
 ptare magis, quam itinerari, sarcinas suas
 propriis humeris per devias, & avias mon-
 tium salebras gestare, hæresum peste infe-
 ctis medullitus condolere, solidare nutan-
 tes, instruere simplices, & quò æternùm
 aëtarum regionum incolis consulere, tam
 insigne Collegii Helvetici, sic dicam, Areo-
 pagum erigere, è quo totidem successivè
*adversus principes, & potestates teneb-
 rarum harum invictissimi prodirent athle-
 tæ, quot olim ex equo Trojano pugiles; per
 quorum doctrinam sanam laudabili con-
 versationi conjunctam secundissimo e-
 ventu disceretur, & doceretur probitas,
 convellerentur hæreses, propageretur fi-
 des, Ecclesiastica disciplina rigor, ac
 fervor vigeret, & animarum lucrum
 per amplissimas regiones usque ex ipsis*
 fini-

Reformator
 indefessus.

In Helvetos
 beneficus.

Eph. 6. 12
 Collegium
 Helve-
 ticum ab ip-
 so institu-
 tum.
 Ernestus
 Cholinus
 in ejus vita.
 c. 9.

finibus Germania colligeretur? Num vos
 ô Carolinæ soboles (Alumnos quondam
 illius , reliquorum passim Sacerdotum
 antesignanos compello) tanti Patris
 exemplo deesse patiemiini , quin idem ,
 quod pro totius ipse Ecclesiæ , & pa-
 triæ vestræ reformatione immortalis glo-
 riâ gessit , vos pro impigri fervoris re-
 stauracione (proscriptâ , damnatâ , &
 anathematizatâ omni tepiditate) præ-
 stetis ? Absit tanti momenti omissio à
 vestra vocatione , & genio : zelus tan-
 ti Antistitis vos omnes socios quærit ,
 collegas ambit , rivales exoptat , ut cui
 modò superstes in se non est , supplea-
 tur in vobis reaccendendi divini ardoris
 negotium. *Bonus enim, & utilis est talis
 zelus in sacerdote, ne negligens, ac remis-
 sus sit in suo munere.*

*S. Ambr. in
 serm. 18.
 Ps. 118.*

XII. Denique non minùs laudabi-
 liter faciunt etiamnum hodie Reveren-
 diffimi Visitationum, Provinciarum, Con-
 gregationumve Antesignani , ac Præsi-
 des , imò quotquot in oppidis , & pagis
 Clero præminent Decani , qui prædicto-
 rum Sanctorum fervidi æmulatores , in
 accuratissimam minimorum curam , pro
 munere suo, omnes nervos intendentes ,
 quâ visitationibus , quâ salubribus in-
 stitutis ad florentissimam vitæ regularis ,
 & Ecclesiasticæ normam suorum mores
 vel

vel reformare, vel conservare irremissis itineribus, atque laboribus satagunt, ut uberrimus laborum, & fructuum manipulas reportantes cum mellifluo Abbate exultare possint, & de suis gloriari, ejusdem verbis: *Quanta audivimus & cognovimus ea, & Fratres nostri annunciant nobis, quemadmodum recaluitis igne Dei, convaluistis de infirmitate, restorulistis in novitate sanctâ: digitus Dei est iste subtiliter operans, suaviter, renovans, salubriter mutans, non quidem DE MALIS BONOS, SED DE BONIS FACIENS MELIORES: quis dabit, ut vadam, & videam visionem hanc magnam? nec enim minùs mira, minùsve jucunda ista promotio est, quàm illa mutatio, nisi quòd multò facilius reperias, multos saculares converti ad bonum, quàm unum quempiam in Religiosis negligentem transire ad melius. Est autem necessarium ad cautelam defectui proximam, **MEDIOCRITATE MTRANSCENDERE, ET DECLINARE TEPOREM, QUI DEO VOMITUM PROVOCAT.** Ita ille.*

XIII. Quapropter Charissimi omnem deinceps irrepentem animo tepiditatem frequentissimis propositis reaccendite; cogitate sæpius, quales fueritis primo die, quando vel existis de sæculo, & recepti fuistis in claustrò, vel primitias sacras

Visitatio-
num & re-
formatio-
num fru-
ctus.

S. Bern.
epist. 95.
ad Richard.
Abb. Fen-
tan. & se-
cios.

Adhortatio
ad fervo-
rem.

S. Ignat.
Lojola in
Epist. ad
Lusitan.

ras celebrando in partem fortis Sanctorum
adsciti, quam puri, ardentes, quam in
bonis propositis largi, prompti, & pii
humiles, ac devoti, & liberales, quam
ad omnia parva diligentes, attenti; re-
cogitate, quod status vestri professio
altissima sit, cœlos transeat, par An-
gelis, & Angelicæ similis puritati: omni
igitur diligentiam procurate, fovere sem-
per in sinu vividum quendam, san-
ctumque fervorem, quia rarum ali-
quod, & eximium facinus ex fervore
dimanatum antecellit sexcentis vulgari-
bus minutis ac tepidis.

Occupatio-
nes exter-
na non
minuunt il-
lum.

B. Virgo
apparet S.
Hermanuo
uti verula.

Propter re-
missionem
à fervore.

XIV. Et ne vestras forenses, Oe-
conomicas, aut alias commissas occupa-
tiones indefectionis vestræ à fervore
operum Dei excusationem adducatis:
metuite illam, quam Hermanno Præmon-
stratensi aliàs purissimæ Virgini Matri
desponsato, eadem sanctissima Domina
dedit reprehensionem; nempe cum ob
sacræ supellectilis commissam sibi cu-
stodiam à solito suarum devotionum
fervore ac penso remitteret, & aliquan-
do ipsam beatissimam in forma deformis
vetulæ sibi apparentem horreret, interro-
ganti causam talis rugosi vultus, sic illa re-
spondit: *Talis appareo tibi, qualis in corde
tuo sum: ubi enim est ille fervor juvenis,*

Ex 2

& exercitia, que Me tibi, & te mihi ju-
 venem reddiderunt? nolo, ut per occupa-
 tiones à meo servitio remittas, & te ex-
 cuses. Quàm monitione correptus, omnem
 ille fervorem restauravit. Charissimi mei,
 si occupationes tam sacræ, tam necessariæ
 non admittæ sunt in excusationem defecti-
 onis à benè cæptis, quàm ratione Superis pla-
 cebunt voluntariæ omissiones, & otiosita-
 tes? quibus aliquoties se fallunt seniores,
 dierum, annorumque numeros computan-
 do, quibus in Monasterio, vel Sacerdotio
 vixerunt, non curantes quo fervore, profe-
 ctu vel fructu: in quos rectè illud Senecæ
 replices: Nil turpius, quàm grandis natu,
 qui nullum aliud habet argumentum, se
 diu (in Sacerdotio, vel Religione) vixisse,
 nisi dies & annos, talis enim non diu vi-
 xisse, sed diu fuisse censendus est.

Polland.
 in Vit. 7.
 Apr. n. 246

Anni repi-
 dè tranla-
 non sunt
 computa-
 di.

Senec. l. x.
 de tran-
 quill. vi-
 ta.

MEDITATIO XV.

De ejusdem perniciosissimæ Tepiditatis
 reformatione.

Quoniam Otiositas inimica est animæ
 &c. ante omnia deputentur &c. qui
 circumveant Monasterium, &c. & vide-
 ant, ne fortè inveniatür Frater acedio-
 sus,

lus, qui vacet otio, aut fabulis, & non est intentus lectioni, & non solum sibi est inutilis, sed etiam alios extollit.

*Matth. 13.
25.*

*Tepiditatis
mala publi-
ca.*

Prælium. Imaginare; quòd videas, hominibus claro die stertentibus, diabolum in agro optimis feminibus facto superseminare zizania.

Punct. I. Confid. I. Tepiditatem in Religioso, & non minùs in Ecclesiastico esse summè propudiosam; quia redditur per illam 1. erga Deum veluti Patrem ingrattissimus, ad accepta tot specialia beneficia, in amore debito inconstans, in laudibus negligens, in servitio, & officio suo infidelis. 2. Erga Religionem, & Ecclesiam, ceu Matrem suam, quæ illum in susceptione, & studiis concepit, in Novitiatu, ac Ordinatione quasi in utero gestavit, in Professione, & promotione ad beneficium peperit, in vitæ decursu nutrit, vestit, tolerat, adjuvat, extollit, summè iniquus, & defraudator. 3. Erga communitatem, & animas sibi commissas inutilis tanquam ficulnea infructuosa, quæ omnem terræ pinguedinem ad se attrahit sine fructu: & valde etiam nocivus, scandalosus, aliorumque infectivus, sicut aqua stagni nunquam mota, sed computrescens, & fœtens.

O Ani-

O Anima mea, si talis es, Contremisce ad illud æternæ Veritatis horribile maledictionis fulmen: *Nunquam ex te fructus nascatur: succidatur, & in ignem mittatur.*

Matth.
21. 19.

Punct. II. Confid. Eandem tepiditatem esse summè damnosam. 1. Quia sicut favius sine melle, murus absque temperamento, & cibus sine condimento, ita vita Religiosa, vel sacerdotalis sine studio internæ devotionis, atque fervoris
2. Talis hominis opera bona deficiunt, profectus impeditur, actus heroici languent, merita diminuuntur, gratiæ divinæ fontes obstruuntur. 3. Illius brevis & rara est compunctio, animalis cogitatio, lurida conversatio, obedientia sine devotione, sermo sine circumspeditione, oratio sine cordis intentione, vita sine ædificatione.

Ejus damna
S. Bonav.
l. 2. de pro-
fect. c. 69.

S. Bern.
serm. 6. de
Ascens.

Et quanta est hæc, ô Deus! miseria, & stultitia, orare, vigilare, jejuna-
re, dies, noctesque ferre muneris sui pondus, & æstum, & tamen invito, subtristi, languenti, nauseabundo, & pigro spiritu? Putabis, quòd sis multo-
rum bonorum operum dives, & locuples, & nullius egeas, & nescis, quòd taliter in fine vitæ eris *miser & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus;*

Apoc. 3. 17.

Q

igitur

26. v. 18. igitur suadeo tibi emere aurum ignitum probatum, ut locuples fias.

Punct. III. Consid. 1. Quemcunque tepidum aded esse Deo abominabilem, ut sicut cibus nullo sale, & aromate conditus stomacho nauseam creat & vomitum, ita esse tepidum, & opera eius in ore DEI, unde dicit: *utinam frigidus esses, vel calidus, sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* 2. Ita redi Deo invisum, ut despiciat in suo obsequio indevotum, ac negligentem, sicut impium detestetur, & maledicat, dicente Scripturâ: *Maledictus, qui facit opus Dei negligenter.*

Apoc. 3. 15. Dion. Cart. l. de reform. can. Jerem. 48. Apoc. 2. Quale pro dolor iudicium? qualis ergo in futuro maledictionis sententia expectabit Tepidum, si hîc jam vomitur, & maledicitur? audi, piger, Iudicem increpantem: *Habeo adversum te, quia charitatem tuam primam (Novitiatû, & Ordinis tui fervorem) reliquisti, memor esto, unde excideris, & age penitentiam &c.*

Et cum torpor, inertia, otiositas inimica sit animæ, & omnium viciorum fœcunda parens, fac, ut nunquam inveniaris acediosus, aut nugis & fabulis vacans, & tempus inutiliter consumens, ne sis Religioni, & Ecclesiæ tuæ inutilis fungus, & solum fruges,

ac

ac reditus pingues consumere natus. Aliàs venio tibi citò, & movebo candela-
brum de loco suo: portionemque tuam cum hypocritis in poenæ æternitate constituam; nisi poenitentiam seriam egeris, & maturam.

Apos. 106.
cic.

CONSIDERATIO I. POMERIDIANA.

De Fervore Veterum SS. PP. & Religiosorum.

Intuere Sanctorum Patrum vivida *Gors. l. 1. r.*
exempla, in quibus vera perfectio re- *c. 12.*
fulsit, & religio. O quantus fervor *n. 1.*
omnium Religiosorum in principio sua *n. 5.*
sanctæ institutionis fuit! ô quanta devo-
tiorationis! quanta amulatio virtutis!
quàm magna disciplina viguit! quanta
reverentia, & obedientia sub regula
Magistri effloruit! Testantur adhuc ve-
stigia derelicta, quòd verè viri sancti, &
perfecti fuerunt. Utinam etiam in te pe- *n. 6.*
nitus non dormitet profectus virtutum,
qui multa secula exempla vidisti devo-
torum.

CONSID. II.

De magno defectu à novitio fer-
vore.

Fervor, & profectus noster quotidie de- *Ex. cod. t.*
beret crescere; sed modo è contrario *t. c. 11.*
senti- *n. 5.*

- sentimus, ut meliores, & puriores in intio conversionis nos fuisse inveniamus, quàm post multos annos professionis. O tepor, & negligentia statûs nostri, quòd tam citò declinamus à pristino fervore! Quid fiet de nobis adhuc in fine, qui tepescimus tam manè? Bene opus esset, quòd adhuc iterum institueremur, tanquam boni Novitii ad mores optimos.
- l. c. 18. 5.
n. 6.

C O N S I D. III.

- l. c. 22. 7. De Bonis propositis, & spiritu fervoris, assiduè renovandis.

- l. 1. c. 11. 2. [Deo frigidi, & tepidi remanemus, quia ad quotidianum profectum non accendimur. Secundum propositum nostrum, cursus profectus nostri: & multà diligentia opus est bene proficere volenti. Quòd si fortiter proponens saepe deficit, quid ille, qui raro, aut minus fixè aliquid proponit. Igitur omni die renovare debemus propositum, & ad fervorem nos excitare.
- l. c. 19. 2.

FINIS VIÆ PURGATIVÆ.



IN-

INTRODUCTIO
PRÆLIMINARIS

Ad Tabernaculum Elia in via Illumi-
nativa.

THEOPHOBUS.



Um Israëlita Gens pari felicitate, atque labore immundâ Ægypto pedem extulisset, ductuque Moysis sicco vestigio mare rubrum pervadâisset, cœpit divina Bonitas, consumptâ jam omni Ægypticâ farinâ, cœlesti manna esurientis populi famem obsonare: iussitque, ut *sexto die parent, quod inferant, & sit duplum, quàm colligeres solebant per singulos dies*: quibus tanquam novis terræ sanctæ prælibitis, deliciis alacriores reliquum viæ prosequerentur. Emen- si estis hætenus, dilectissimi Fratres, difficiles viarum anfractus per Mosai- ci Tabernaculi stationes mecum digre- diendo. Verùm *Sexta* dies vobis lætior, apponet divinæ consolationis manna, quod degustando sensim cognosceris, quàm suavis sit Dominus inquirentibus

Israëlitzæ
post transi-
tum maris
Mannâ re-
fecti.

Exod. c.
16. v. 5.

Eliz virtutes.

*S. Iſido. Pe-
luſi. l. de or-
tu, & inte-
ritu. Pro-
phet. c. 55*

**Conſilior.
Evangel.
Religioſus
Obſerva-
tor.**

*S. Joan.
Chryſoſt.
homil. 2
ad pop. S
Amb lib. 1.
de Cain.
c. 2.*

ſe. Agite igitur , pergamus hilares , ad alterum ELIÆ Tabernaculum inviſuri. Fuit iſte ſacerdos magnus , atque Propheta , ſolitudinis incola , fide plenus , devotione ſummus , fortis in laboribus , in meditatione aſſiduus , in exercitatione diſciplinæ rectus. Et quemadmodum Moyſes oppreſſus Iſraëlitæ Pharaonicâ ſervitute eximit , ita ELIAS Achab Tyranni , Sacrificulorum Baal , & petulantiffimæ Jezabelis glorioſiſſimus victor exiſtens , vos docebit Mundum in Rege Achab , Carnem in Regina Jezabel , & Dæmonem in Sacerdotibus dæmonum triumphare. Docebit vos quoque trium Votorum obſervantiam ; ac primò PAUPER-TIS , ſiquidem ipſe congregatis centum cum Eliſæo diſcipulis , monaſticam vitam in monte Carmelo (unde Carmelitarum Auctor deprædicatur) profeſſus : *Omnes divites vincebat , quoniam pauper erat , ipſam paupertatem ex mentis opulencia eligendo.* Secundò CASTITATIS , nam Virgo permanſit , & illuſtris ſuarum *Victor paſſionum , qui nullis captus illecebris , omnem iſtam ſecundum corpus habitationem cæleſtis puritate converſationis obduxerat , mentem regens , carnem ſubjiciens , & regiâ quâdam*
autho-

authoritate castigans. Denique OBE-
DIENTIÆ ; jussus enim tantisper à fa-
cie Achab , & Jezabelis infano furore
se subducere , *abiit & fecit juxta ver-
bum Domini.* Unde tandem in Illumi-
nativæ stadio exercitatus promeruit , per
Unitivæ , ad Deum curru igneo trium-
phabundus evehi. Vos hoc triduo Eli-
sæum imitando , ne latum unguem ab
ejus tabernaculo discedite , priusquam ,
sicut ille duplicem Magistri sui spiritum
postulando , ita vos triplicem PAU-
PERTATIS , seu frugalitatis , CAS-
STITATIS , & OBEDIEN-
TIÆ exercendo acqui-
ratis.



Die Sexta.

De Voto Paupertatis.

MEDITATIO XVI.

De præstantiâ , & conditionibus cum Religiosæ Paupertatis, tum generosi contemptûs divitiarum in Ecclesiasticis.

Text. Regul. c. 33.



Racipue hoc vitium amputetur, ne quis &c. presumat aliquid habere vel effectum, vel affectu immodico proprium: nullam omnino rem. Et sicui (opus peculiare) inventum fuerit, quod ab Abbate non acceptum, gravissima disciplina subjaceat.

s. 7. gr. 6.

Omni (verò) vilitate, & extremitate contentus sit.

Matth. 20.

Præludium. Imaginare Christum suis Apostolis, & omnibus eorum in Apostolicâ dignitate, & officio successoribus paupertatem Evangelicam commendantem his verbis: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam, neq; peram, neq; duas tunicas, neq; calceamenta &c.*

Punct.

Punct. I. Consid. I. Christum ex tribus causis paupertatem suis Apostolis præcepisse. 1. Ut ab omni rerum temporalium cura, vel saltem cupiditate expediti totos se divinæ providentiæ committerent, tunc omnium ditissimi, quando erunt ab omni terreno affectu soluti, Deum habentes pro Oeconomo, & Condito rem suum pro censu. 2. Ut liberius ejus servitio, amplificandæ divinæ gloriæ, ac salutis animarum incumbere. 3. Ut omnibus hominibus contemptus divitiarum, voluptatumque, insuper sanctæ simplicitatis, ac sobrietatis exemplum darent. Eisdem autem rationes non pro Religiosis tantum, sed æquè etiam pro Ecclesiasticis Apostolici officii munere fungentibus militare; unde Apostolorum Successores & Viri Apostolici nuncupantur.

Cur Deus
Apostolis
paupertatem
præcepit.

Verè magna sublimitas, esse pauperis Christi discipulum, Apostolorum Successorem, Principum super omnem terram hæredem. Sed æquè ingens libertas, nullis, etsi aureis, vel argenteis compedibus esse illaqueatum; summa securitas, quies & cordis lætitia, spinis non pungi, curis non lancinari, & tamen nullius rei ad vitam necessariæ defectum pati! *Qui potest capere capiat, non enim omnes capiunt verbum hoc.*

Paupertatis
Evang.
commoda.

Matth. 23.

Huius præ-
rogativæ.

Matth. 9.
21.

Psal. 33.
11.

S. Aug de
S. Paulino.
2. Cor. 6.
10.

Punct. II. Consid. Innumeras hujus geminæ sive corporalis, sive spiritualis Evangelicæ & Apostolicæ paupertatis utilitates. 1. Quàm plurimas peccandi occasiones præscindit, revocat mentem à superbia, avaritiâ, prodigalitate, gulâ, voluptatibus, sollicitudinibus, & contentionibus mei, ac tui, quibus perpetuò intricati sunt divites & sæculares. 2. Ipsa est prima omnium virtutum, servitil Divini, puri amoris Dei, charitatis erga proximum, misericordiæ in pauperes, devotionis & veræ Religiositatis, atque perfectionis cuicumque statui competentis parens, dicente Christo: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia &c.* 3. Habet singularem prærogativam omnis abundantia, & benedictionis divinæ, nam *Divites egerunt, & esurierunt, inquiscentes autem Dominum, non minuentur omnibon.*

O quam bonus, & benignus Israël Deus! quàm laudabilis, & mirabilis est ipsius providentia erga virtutis hujus Apostolicæ sequaces; quâ fit, ut etiam *opulentissimi divites, sed voluntate pauperrimi, nihil habentes & omnia possidentes sint copiosissimi Sancti, & sanctissimi copiosi: sic non en Domini benedictum in sæcula.*

Punct. III. Consid. Hujus verò paupertatis Spiritus in Ecclesiasticis condiciones esse.

1. inordinato affectu ad divitias expoliatum esse. 2. Avaritiam fugere. 3. à negotiis sæcularibus & litibus propter temporalia abstinere. 4. in victu, & amictu, non superfluum; sed frugalem, esse. 5. Misericordem in pauperes. 6. Sacra officia Ecclesiæ ex purâ servitutis, & gloriæ Dei, & salutis proximorum intentione obire, citra respectum alicujus stipendii, aut lucri præcisè temporalis.

Conditiones spirituales paupertatis Ecclesiasticæ.

Paupertatis autem Religiosæ conditiones esse. 1. Omnino nihil habere, quod Superior non dederit, aut permisserit. 2. Nullam omnino rem dare, aut accipere sine præcepto, vel licentiâ illius. 3. Nihil omnino peculiare habere, aut proprium dicere. 4. Omni vilitate, & extremitate contentum esse, adeoque non superflua, meliora, molliora, delicatiora, in victu, vestitu, aut quomodocunque desiderare. 5. Non contristari, aut murmurare, in defectu, vel subtractione aliquarum rerum, vel si cui alteri aliquid pro indigentia plus, vel melius detur. (Instituatur utrobique examen &c.)

Conditiones paupertatis Regularis. Regul. c. 33.

l. 7. gr. d.

Regul. c. 34.

Planè doleo, & erubesco, quòd multoties has suavissimas leges non observaverim; erravi, & erro sæpius ex innata cupiditate, quæ omnium malorum radix est, semperque repullulat: sed deinceps

deinceps cum divinâ gratiâ præcavebo ,
 ne contra Deum , aut conscientiam me-
 am, proposita & Vota mea , quidquam
 injustè ambiam , vel inordinatè appe-
 tam , aut ut proprium possideam , seu
 superfluis inhiem : futurus per omnia
 contentus , si bonus Deus tantùm victui
 meo tribuerit necessaria.

Prov. 30.

DIGRESSIO XI.

*De Voto , seu observatione Voluntaria
 paupertatis in re , sive in spiritu : &
 Vitiis Proprietatis , Avaritia , Super-
 fluitatis , ac Prodigalitatibus ipsi
 contrariis.*

THEOPHOBVS

(1.)

Satis spatiosus & amplus hodie Digres-
 sionum campus aperitur , ad pauper-
 tatis Religiosæ quoad temporalium ab-
 dicationem ; ad Ecclesiasticæ ; quoad in-
 ordinati affectûs ad illa mortificationem ;
 & tertio quoad spiritualis paupertatis ,
 quæ est contritio spiritûs alta sapientis ;
 discutiendas essentias & præstantias , in-
 de verò ad exterminanda vitia illis op-
 posita

posita. De hac tertia sermo erit à prandio ; nunc ad priores. Tres sunt in hac Ecclesie militantis Hierarchiâ Deo ex speciali Voto famulantium status , quos Evangelicæ & Apostolicæ paupertatis æmulatores esse oportet. Prior antiquitate , est status Religiosorum , qui illud Jobiano animo revolventes : *Nudus egressus sum de utero matris meæ , & nudus revertar illuc* , statuerunt etiam in hoc intermedio itinere , vitam omnibus bonorum temporalium impedimentis exutam ducere. Alter est præcellentior dignitate , videlicet Clericorum & Ministrorum Ecclesie , in Canonicatibus & Parochiis , qui pariter in primitiva Ecclesia Voto speciali ad Apostolicæ paupertatis leges se obligabant , nihil proprii possidentes. Tertius est Canonicorum Regularium Sancti Augustini , qui Religiosos inter , & Clericos sæculares intermedii , de utriusque prædictorum perfectionibus participant , Monachis autem in hoc præcedentes , quòd ille ex suo instituto non teneantur esse Clerici , isti autem immediati Apostolorum Successores Clericorum seu Regularium Canonicorum munere in Ecclesiis , unâ cum vitâ contemplativâ , purè Religiosis communi fungantur ; qui eandem cum istis paupertatem profitentur.

Tres status
pauperum
Evangelicor.

Job. 1. 21.

Clerici olim ad Votum paupertatis obligati.

Canonicus Regularis S. August.

II. Ho.

Inventis Grammaticis

Pauperum
Evangelic.
gloria.

Felicitas:
Deum ha-
bere pro
possessio-
ne.

S. Aug. in
Psal. 15.

S. Isidor.
l. 2 de off.
c. 1.

II. Horum omnium respectivè ac voluntariè pauperum gloria florescit in contemptu, honor in abdicatione, sublimitas in conculcatione, divitiarum accumulatio in dispersione, lucrum in amissione, usura in fœnerando Domino, census centuplicatus in cœlo, hæreditas in paradiso, patrimonium in ipsâ Divinitate. Quid felicius? quid gloriosius? quam habere in deliciis, delicias non amare, pro summis divitiis reputare, à divitiis nec possideri, nec eas possidere; de mundo nec teruncium habere, sed suprâ mundum eminentiorem existere, propter regnum Dei inopiâ laborare, & propter inopiam regnare cum Deo. Eligant sibi alii, inquit præfatus illuminatissimus Ecclesiæ Doctor: *Eligant partes, quibus fruantur, terrenas & temporales, portio Sanctorum Dominus Deus æternus est: bibant alii mortiferas voluptates, pars calicis mei Dominus est: & S. Hispalensis Antistes: Qui Deum hæreditate possident, absque ullo impedimento sæculi, Deo servire student, & pauperes Spiritu esse contendunt, ut congrue illud Psalmista dicere possint; Dominus pars hæreditatis meæ.*

III. PHILOTH. Ostensa mihi fuère non dudum ab aliquo familiarissimo mecum, Seraphici Ordinis Patre, ex Chronicis Wadigni, hæc aurea Paupertatis encomia, à S. Francisco suis

suis FF. sapius inculcata : Hæc est illa
 celsitudo altissimæ paupertatis , quæ vos
 charissimos, hæredes, & REGES REGNI
 cælorum instituit, pauperes rebus fecit,
 virtutibus sublimavit. Hæc est virtus,
 quæ animam adhuc in terris positam facit
 in cælis cum Angelis conversari. Hæc
 est, quæ dotem agilitatis, super cælos
 volandi, animabus ipsam amantibus
 etiam in hac vita concedit, cum veræ
 humilitatis alas se amantibus impertiat.
 Hanc scitote, Fratres, specialem esse viam
 salutis, humilitatis fomentum, perfectio-
 nis radicem, cujus fructus multiplex, sed
 occultus : est enim Evangelici agri thesau-
 rus absconditus, &c. Hæc ille incarnatus
 Seraphinus.

MONOPH. Memini & ego, quòd
 legerim aliquando, eundem observantis-
 simum Paupertatis Evangelicæ cultorem
 in omnibus penè sermonibus ad suos
 habitis, eandem tanto spiritûs fervore de-
 prædicâsse, ut è facie ejus ignis emicare
 videretur ; eandem nunc matrem, nunc
 sponsam suam, modò Dominam & Re-
 ginam appellando, *quia Rege Regum,
 & Regina Matre ejus tam præstanter ef-
 fulsit.*

THEOPH. Scire desideratis,
 quando splendore perfectionis hæc vir-
 tus in Cœli Dominâ effulserit ? Audite
 ipsam

*Wading. in
 Annal.
 Min. ad
 annum
 1210. n. 50.
 S. Francisci
 elogium de
 paupert.*

*S. Bonav.
 in Vit.*

B. Virgo
paupertatis
cultrix.

Religiosor.
Vota im-
plevit.

Religiosi
propriarii

ipsam suæ dilectæ Brigittæ sic de se reve-
lare dignatam. *Omnia, quæ habere potui,
dedi indigentibus, nihilque nisi victum
tenuem & vestitum reservavi. Nulla mi-
hi, nisi Deus placuerunt. Ego semper opta-
vi ut viverem ad tempus natiuitatis e-
jus, si fortè fieri mererer ancilla indigna
Matris Dei, VOVI etiam in corde meo, sè
esset ei acceptabile, servare virginita-
tem. NIHIL VNQVAM POSSIDERE IN
MVNDO. Si autem aliter vellet Deus, fie-
ret voluntas ejus & non mea.* Ecce vobis
absolutissimam perfectionis & statûs vestri
ideam in Virgine Matre, quæ Voto castita-
tis virginalis emisso, conformem divinæ
voluntati Obedientiam professa, jam emi-
nens Paupertatis Votum adjunxit, ut omni
proprietate abdicatâ, ab omni etiam
(quod principalius est) affectu ad opes
terrenas alienissima, omnem averfata
superfluitatem, victu & amictu tenui
contenta, nec fortunarum, nec corpo-
ris, sed nec propriæ suæ voluntatis, aut
vitæ commoda sibi reservârit.

IV. Hic jam ad Monophilos meus
sermo dirigitur, cum magnâ animi com-
passione, si qui inter eos reperiuntur
juratæ paupertatis parum memores, &
vel proprietatis, vel superfluitatis, aut
splendoris alicujus sæcularis plus æquo
studiosi, de quibus Trithemius; vè
vobis

vobis, ait, qui votum vestrum infringitis, & iram Dei contra vos provocatis, quoniam levius habebunt fures, & meretrices in die Domini, quàm vos, si morientes in proprietatis nequissimo vitio fueritis deprehensi. Non enim simplex vitium in Monacho censetur proprietas, ubi multa in unum crimina concurrunt; pactum cum Deo initum frangitur, votum solemne violatur, charitas fraternæ unitatis spernitur, furtum committitur, sacrilegium perpetratur, dicente Augustino: Si aliquis rem sibi collatam celaverit, furti iudicio condemnatur. Veruntamen observate SS. Patrum contra detestandam proprietatem tonitrua, atque statuta. Si quid *Peculiare*, aut aliquid inventum in aliquo fuerit, grandi eum Abbas, & diuturnâ excommunicatione condemnet. Sanctus verò Columbanus Abbas: *Operis PECULIARIS præsumptio centum plagis emendetur.* Gravia quidem, sed leviora sunt Canonum decreta. *Si proprietatem aliquam habere deprehensus quis fuerit, regulari monitione præmissâ, de monasterio expellatur.* Et rursus. *Si proprietas apud quemquam in morte reperta fuerit, ipsa cum eo in signum perditionis extra Monasterium in sterquilinum subterretur: secundum quod Beatus Gregorius Papa fecisse legitur.* Ne verò

R

quis-

3. Aug. 70
gul. c. 29.
Pœnz con-
tra proprie-
tarios.
Magist. in
Reg.

S. Columb.
l. de quot.
pœnitentiis
Monach.
In Decr.
tal. Can.
Cum ad
Monasteri-
um.

S. Greg.
l. 4. Dia-
log. c. 55.

Proprietas
Regular.
in dispensa-
bilis.

cit. Can.
Cum ad
Monast.

Trib. loc.
cit.

Proprietas
rius in Per-
quilinio se-
peliend.
Can. Mo-
nachi. d:
statu Mo-
nachali.

Religiosus
Ord. Min.
proprietary
deditus.

quisquam seipsum præsumptæ licentiæ excusatione seducar, Ita constitutum est. *Nec aestimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia Castitatis aded annexa est regula Monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Ex his omnibus supra memoratus Trithemius duo corollaria ponit. Primum: Omnia vitia Monachorum levi quâdam miseratione puniuntur; sola proprietatis est, quæ reum à communione Sanctorum tanquam mendacem Spiritui Sancto eliminat. Vnde præcipitur vivus de Monasterio projici, tanquam leprosus, & mortuus extra Cœnobium in sterquilinio sepeliri. Alterum: Cæterorum vitiorum pœnitentiæ post mortem saltem deficiunt, hoc proprietatis vitium non solum in hac vita districtissimè corripitur, sed etiam in morte, & post mortem terribili animadversione punitur.

V. En lamentabile exemplum: In provincia Siciliæ Fr. quidam Ord. Minor. multis successivè perfunctus officiis, existimando eapropter sibi licere plura contrahere ad omnem futurum suæ commoditatis eventum, pecuniis, esculentis, vestitibus, stropholis, libris utensilibus, & cujuscunque sortis reculis accumulandis

dedit.

deditus fuerat. Is ubi mortem appetiit, & aliqui de Fratibus noctu ad Ecclesiam se contulerant locum pro sepulturâ corporis inquisituri, ecce istis spectantibus, apparent Divi Cœlites Franciscus, Ludovicus & Antonius, cum faculis accensis, ad locum miserandi cadaveris accedentes, ubi severâ voce interrogans S. Franciscus, quis es tu mortue, mortuo respondente: *Ego sum Frater Ordinis Minorum; mi Sancte Pater*: replicavit Seraphicus: *Noli me Patrem tuum appellare sceleste, quia nunquam te filium meum demonstrasti, maledicte à Deo, Vota paupertatis, obedientia & castitatis jurata impiè violando: & SS. Regulas temerè transgrediendo. Et converso ad cæteros Sanctos vultu, quid faciemus (ait S. Pater) cum isto nefario statutorum prævaricatore? illis dicentibus, ecce in manu vestra fors ejus est, illicò Franciscus putido cadaveri, & capiti scelerato cappam habitûs Sacri abstraxit, & cum allatis è cella omnibus præinsinuatibus rebus (ad sensuales commoditates affervatis) maledictum corpus, simulque omnia injecta in flammam & cineres redegerunt, prout præacti Fratres præsentibus spectaculo, & nimio terrore percussû, cum accurrente P. Guardia-*

Mortuus non agnoscitur à S. Franc.

Cum omnibus suis rebus à Sancto concrematus.

no, nec in cella, nec alibi quidquam de cadavere, aut rebus prædictis præter cineres repererunt.

Dubium
circa pro-
prietatem,

VI. MONOPH. Tremendus casus, & omnibus Religiosis in studiosam cautelam formidabilis, sed eò majori anxietate perplexus reddor, eò quòd ignorem, quis talis proprietarius verè censendus sit, nunquid enim tantis fulminibus dignus existat, qui aliquid dat, vel accipit, retinet, occultat, vel cum alio permutat, non interrogatis, aut insciis Superioribus? Quis præsumat, tam inurbanè, pro accipienda, vel danda litterula, sive munusculo tenuissimo, & exili, auribus illorum toties importunus esse? Quis pro oblato ab amicis nummo, aut aliquo Potùs vini, esculenti, obsonii, condimentique genere, tam scrupulosus sit? An ergo pro singulis minutiis, & pro quavis, sic dicam, imagiuncula sunt molestandi? aut si hoc non fiat, num propterea proprietatis, ejusque gravissimarum comminationum reus ero?

VII. THEOPH. Nolo equidem hïc scholasticè ventilare, quod fori hujus, aut instituti nostri non est, de vitio, aut pœnis proprietatis in Religioso; & num prædicta omnia, in parva etiam materiæ quantitate, de qua interrogas, pro-

procedant ; qualisve requiratur Superioris licentia, expressa, an tacita, seu prudenter quoque præsumpta : sufficiat enim dixisse, in dando, vel accipiendo, multò verò magis in tenendo, vel possidendo absque ulla licentia, ad committendum proprietatis leve, aut grave peccatum ex quantitate materiæ, eandem esse cum furto, aut sacrilegio proportionem. Cæterùm, ut audio ex temetipso, nectum Minimorum curam didicisse probaris, dum denuò antiquam illam crambem repetis, *Quid hoc? quid illud leve?* At cur amabò, rursus in disputationem, vel dubium trahis illa, quæ sanctissimus tuus Legifer conceptissimis verbis expressit: *Ne quis præsumat aliquid dare, aut accipere, sine iussione Abbatis, neq; aliquid habere proprium?* Et ; quasi hæc dixisse non sufficeret, vehementiùs incutit nullam omnino rem. Nève parum, & parva pro nihilo reputandi daretur occasio, addit specificando? *Neq; codicem, neq; tabulas, neq; graphium, nec quidquam: sed nihil omnino: quippe quibus nec corpora sua, nec voluntatis licet habere in propria potestate.* Ex quo deducitur, tam parum licere proprietatis contra Paupertatem, quàm parum corpore suo contra Castitatem, ac voluntate suâ contra Obedientiam abuti: videlicet,

Peccati pro-
priet. gravi-
tas regula-
tur à
quantitate
materiæ.

Regul. c. 33.
Nec mini-
mum quid
propriicon-
ceditur à S.
P. Bened.
loco cit.

Peccata
contra ca-
stit. & pau-
pert. pari
passu am-
bulant.

R ;

nihil

S. Bern.

nihil omnino. Quid clarius? Num quis ergo jam audeat excipere aliquid, *ubi est tam frequens rogationis inculcatio.*

Species proprietatis.

Hefften.
disquis.
monast. tr.
7. disq. 2.
Trith. loc.
cit. Cassian.
l. 4 c. 16.
Regul. Isidor.
der.

Res Monasterii sordidè tractate, quale peccatum.

Trith. tr.
de 1. Regione claustralium
a. 6. n. 2.

VIII. Porrò nequissimi hujus vitii species aliæ quoque enumerantur, uti mentalis rei cujuscumque non necessariæ concupiscentia : importuna, & nimia rei alicujus à Superiore suo extorsio : effectus, atque possessio rerum superfluarum, quæ à cæteris Fratribus non habentur : extraordinaria, atque furtiva cibi, vel potûs sumptio : rei privatæ cujusdam **QUANTVLVSCVNQVE** amor : & si quis rem sibi collatam, seu permissam celaverit, aut Superiorem suum latere desiderat, proprietatis vitium in pectore clausum portat. Postremò quicumque res Monasterii ad victum vestitum, usum, sibi concessas pro lubitu suo sine cura, sine solitudine, & nitore, negligenter, sordidè, luridè tractat, deliberatè maculando, lacerando, frangendo, prodigendo, ac dissipando, (cùm omnia velut *altarum vasa sacra*, & res Deo dicatæ custodiri, & tractari debeant) *in Regulam sicut proprietarius, infidelis, falsarius, & sacrilegus peccare dignoscitur.*

IX. Nunc restat, ut proprietate expugnatâ, alterum paupertatis hostem aggrediamur, quæ est superfluitas. In qua

quâ materiâ nolim equidem tam rigidum censorem agere, ut omnia quandoque in recreationibus, in victu, & amictu à Superiorum discretionem concessa, indulta, vel, data, pensatis Religionis, ætatis, personæ, temporis, officii, laborumve circumstantiis, & secundum modum Congregationis, & positionem loci solatia, inter superflua, & amputanda referre intendam, sed illorum (sicubi reperirentur) planè in religiosam præsumptionem meritâ correptione perstringere, qui, cùm victum, & regumentum in claustris recipiunt, quæ nec in sæculo foris habere poterant, erigentes cervicem, unde solent in mundo divites contentari, inde ipsi murmurandi sumunt occasionem. Quibus sanè timendum, ne Sanctissimi Ordinis eorum Protoperiores omnis semper rerum omnium tenuitatis studiosissimi, si quem inter suos Religiosos deliciarum, vel superfluitatum sectatorem agnoverint, sub austero aliquando vultu & voce ita sint reprehensuri: Quid hoc audio, fili mi, quòd in domo paupertatis, in claustris pœnitentiæ ultra constitutam tibi à me sufficientem annonam, plus semper, cibi, potûs, vestitûs, somni, & recreationum appetas: delicatiora conquiras,

Solatia indulta Regularibus, Reg. c. 35.

Interpretatio Sancti Fundatoris contra ambientes superflua.

commodiora ambias ? Recordare fili; ad quid ad sacrum meum Ordinem venisti ? utique non eâ intentione , aut petitione, ut post sacram Professionem & emissum sanctæ paupertatis Votum paulatim incipias delicatulum agere, gulam exacuere, orexi tuorum appetituum inservire, quia hâc tuâ intentione perversâ & me, & capitulum, & confratres tuos pessimè decepisses.

Excusatio
palliatâ su-
perflua ap-
petentium.

MONOPH. Beatissime Pater, intentio & petitio & mea pura, simplex, & recta fuit, in hunc Ordinem per tuam specialem gratiam ingrediendi, ut in omnibus vilitate & tenuitate contentus sim, meosque sensuales & animales gustus mortificem. Veruntamen etiam sacræ Regulæ uberiora indulgent solatia, si Religiosi ipsi indiget infirmitas, ætas vel complexio, aut labores & defatigationes sive animi, sive corporis majores incumbant: quò naturæ vires maximè etiam in floridâ non atterantur, & laboribus redantur inhabiles.

X. THEOPH. Non improbo (respondet tuus Patriarcha) adductas rationes, non solatia, & quæcunque à Superioribus concessa, uti *No. precedente* dictum, sed is reprehensione meâ gravi dignus est, qui vel Ordinis mei leges in paupertate fundatis pervertendo, ingeniosa

niosa gulæ commenta, & ad inventiones necessitatis centone palliat, vel qui concessis & appositis non contentus in omnibus fluviis, agris, hortis, & promptuariis & cellariis inquirat, quæ gustui suo sapiant; ille animadversione dignus non vulgari, qui putans non Monachum, aut Religiosum, sed Salernitanæ scholæ professum & Medicum se esse, *de omni victus oppositi qualitate & ratione*, dijudicare, quodque intolerabile est, murmurare præsumit dicendo, *legumina ventosa, caseus aut macilentus, aut durus stomachum gravat, lac capiti nocet, potum aqua non sustinet pectus, caules nutriunt melancholiam, pisces de stagno, aut de lutosâ aqua mea non conveniunt complexioni?* Panis jam nimis niger, jam nimis est vetus, jam non satis pistus? Vinum nunc leve, acetosum, mutatum, permistum? pulmentaria fordida, insipida, insulsa; non pinguedine, butyro, pipere, aut eromatibus sufficienter condita? ô miseria! istane est tua, ô Fili mi, Monastica, vel medica professio? vel putas fortasse, te olim de complexione stomachi tui fore judicandum, non verò de professione? Mandari, *delicias non amplecti: jejunium amare: desideria carnis non perficere: non esse vinolentum non multum edacem; & si tibi præscripta v. g. vini mensura inve-*

Gula sub necessitate pallio,

S. Bern.
serm. 30.
in Cant.
Murmuratio de qualitatibus ciborum.

C. 4 instrum
12. 13 59.
35. 36.

R 5

niri

Regul. c.

4^o.Accusabit
S. Fundator
deliciosos.Sanctorum
victus aspe-
ritas.

niri non posset, sed *multò minus, aut ex toto nihil*, benedicas Dominum, & sine murmurationibus persistas. Et tu si in monasterio tanquam albæ gallinæ filius tractari præendas; an in morte de me sperabis, quin te coram tremendo Iudice tanquam proprietarium, superfluum, deliciosum, inabstemium, irrequietum, molestum, murmurosum, impatientem, & novellum paupertatis prævaricatorem accusem? Dum, quando omnibus mei instituti Ordinis (tanto in numero Sanctis vel olus, vel legumina fuere in cibaria, potumve lymphæ præbuit, humusque dura lectulum: dum tot delicatissimè in sæculo enutriti Imperatores, Reges, Principes (utriusque sexûs personæ) Religiones professi omni ciborum vilitate, & parsimoniâ; tot innumerabiles in exercitiis milites solis sæpissime radicibus, aliis, aut fumo; dum denique tot pauperum in Xenodochiis & trivlis millia solis vel juscullis, vel mucidi panis frustulis vitam pauperem & afflictam trahunt; tu his omnia meliora, & abundantiora habens, etiamnum malè contentus, plura inordinatè concupiscis? & æquè ad cælum, cœlique perennes delicias cum illis aspiras? O tua fatuitas! & mea justissima indignatio, nî ocyùs resipiscas. Hæc

& ca.

& talia Sanctissimus tuus, ô Religiose, Legifer.

XI. PHILOTH. Ecquid, mi *Theophobe*, de Ecclesiasticorum divitiis, aut bonis patrimonialibus? Quid de proventibus Ecclesiasticis, eorûmque dominiis proprietate & usu decernis, cùm prædicta omnia principaliter Regulares præcisè concernere videantur.

THEOPH. Sed neque hîc Scholasticum agere intendo, cùm suppetant Theologorum copiosi de hoc themate libri. Cæterùm petitioni tuæ hoc etiam in puncto maximi ponderis, & summè considerabili satisfacere volens, præmittendo, Ecclesiasticos suorum bonorum patrimonialium absolutos esse ad disponendum Dominos, & ex aliqua apparente probabilitate etiam bonorum Ecclesiasticorum, cum suis limitationibus, & secundùm quid duntaxat: nempe Dominos, quoad usum regulatum & conformem ad sacros Canones: & SS. PP. opiniones (uti mox videbitur.) Et certè quemadmodum Religiosus in proprietatis, & superfluitatis vitiis offendit, ita non minùs Sacerdos sive per avaritiam, sive prodigalitem, utrinque impingit. Ad quod notanda sunt duo fundamentalia Canonum documenta. Primum: quia *Clyros gracè, sors latinè*

Clerici sunt bonor. patrimonialium Domini.

Non verò redituum, Eccles.

Causa 12.
q. 1. C. Clericus.

Clericorum fors
 Deus est.

Ib. Cap. Duo.

Sunt solum
 administratores suor.
 reddituum.

tinè appellatur, propterea vocantur Clerici; vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus fors, id est, pars Clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, &c. si quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus. V. g. si aurum, si argentum, si supellectilem; cum istis partibus Dominus fieri pars ejus non dignatur. Secundum: Duo sunt genera Christianorum. Unum genus, quod mancipatum divino officio, ut sunt Clerici &c. hi victu & vestitu contenti, nullam inter se proprietatem habentes, debent habere omnia communia. Ecce conformem Ecclesiasticorum cum Religiosis regulam. Ex quibus, & plurimis aliis Canonum decretis inferunt SS. Patres, (eliguntque sententiam contra probabilitatem talis domini, omnes timorati Clerici tanquam securiorem) inferunt, dico, quòd beneficium Ecclesiasticum possidens, vel quasi, illius Dominus non sit, sed solummodò administrator, & usufructuarius, cum obligatione restituendi ex justitiâ malè expensa (à qua Dominus absolutus, immunis est) ideòque talis beneficiatus circa Ecclesiastica bona facillè vel in Scyllam, vel Charybdim, aut avaræ proprietatis, aut profusæ superfluitatis alidi, & naufragari queat.

XII. Avaritiam inprimis hâc lege
 B. Ca-

B. Carolus à Sacerdote jubet esse alienam: *In constit.*
Avaritia quoque notam tanquam statui *S. Caro. c.*
Ecclesiastico noxiam, & sordidam macu- *Regul. 8.*
lam inurentem, quantum possunt, fu- *Avaritia*
giant, nec lucri cupidi habeantur. *En,* *valdè inde-*
ipsam sordidam Sacerdotalis dignitatis ma- *cus Sacer-*
culam appellatam. Quid si graviori notetur *doti.*
ab alio censurâ? attende: Quidquid præ- *S. Bern. Ep.*
ter necessarium victum, & vestitum de *2. ad Ca-*
altari detinens, tuum non est, quia aliis *non. Lug-*
debitum; rapina est, Sacrilegium est. *dun.*
Quid si talis congerro per eam fur, & latro,
disperfor, mactator, & sanguinarius Domi-
nici Gregis excoriator efficiatur? Audi
Prophetam. Va Pastoribus, qui disperdunt, *Jerem. 23.*
& dilacerant gregem pascua mea, dicit *1. & 22.*
Dominus; quasi lupi, rapientes prædam *27.*
ad effundendum sanguinem, & ad per-
dendas animas, & avarè ad sectanda lu-
era. Et quid? si tandem ea propter tremen-
do illo Judicis fulmine percutiatur: Va, qui *Isa. 33. 1.*
pradaris, nonne & ipse pradaberis? cum
consummaveris depraedationem, depra-
daberis: pecunia tua tecum sit in perditio-
nem. Quare instanter te admoneo, Vene- *Act. Ap. 8.*
rande Domine, ut non plus pecunia, quàm *20. S. Greg.*
animabus studeas, quia Redemptor noster *Epi. ad*
è Sacerdotis officio non requireret aurum, *Marian.*
sed animas. *Episcop.*

XIII. Alter scopulus sive Charybdis tan- *Sic & pro-*
 to periculosior, quantò in eum longè plu- *digalitas.*
 res

S. Pona-
ventur.

S. Bern.

1. Cor. 9.
18.

S. Amb. in
Luc.

S. Bern. in
decl. super
Ecce nos
nos reli-
quimus.

res Ecclesiasticorum impingunt, est superfluous, nimius, & inutilis bonorum spiritualium abusus, effusio, & prodigalitas: Væ enim, Ah! *ve Domine Deus! quanti hodie infelices Sacerdotes ad sacros Ordines, & divina mysteria accedunt, non Christo servire mundo corde, & corpore, sed deliciarum, ditari, superbire, luxuriari de patrimonio Christi, ex eleemosynis populi quærentes; non vocati à Deo, sed impulsæ à diabolo. Pro beneficiis, & dignitatibus decertantes, ut Ecclesiarum redditus in superfluitati, & vanitatis usus impendant.*

PHILOTH. Avaritiam equidem, æquè ac luxum in Dei Sacerdote non approbo: verùm quis interdicit eum, qui altari inservit, de altari & vivere, concedente Doctore Gentium? & quidem non nihil splendidius, genialius, lautius? aut, *quid injustum est, si cum aliena non rapio, diligentius mea servem*, aut meæ, vel amicorum, & consanguineorum aliquando utilitate profutura?

XIV. THEOPH. Duo mellei Doctores suis aculeis objectiones tuas configant. *Quid tibi (inquit primus) insipiens delicia sapiunt? quid divitiæ illæ cæcos delætant oculos, quibus mercaris tam grave iudicium, tam dura temetipsum obligas rationi? Conceditur, ut, si altari deservis,*

de altari vivas; non autem, ut de altari luxurieris, inebrieris, pergræceris, & de altari superbias. Conceditur, ô Philothee, divitiarum possessio, sed non ab his possideri, ut eas possidendo, contemnere, & non sibi, sed aliis possidere. Conceditur divitiarum affluentia, sed ne cor apponatur. Porro cor prohibuit apponere, non manum; potestis itaque licite bona Ecclesie possidere, si tamen eorum vos non reputaveritis Dominos, sed Ministros: ut pauperum necessitatibus erogentur. Conceditur, concedente S. Ambrosio, si aliena non rapis, ut propria conserves, sed ô imprudens, vel impudens dictum! propria dicis? quæ? ex quibus reconditis in hunc mundum intulisti? aut quænam nuncupas tua, præter propria patrimonialia? Vota sunt fidelium, pretia peccatorum, patrimonialia pauperum (definit Urbanus Papa) & ideo obligationes vocantur, quia non debent in aliis usibus, quàm Ecclesiasticis, & Christianorum fratrum indigentium converti. Nunquid tua possides? (eloquitur Os Aureum) Res pauperum tibi sunt creditæ, ut in eleemosynam erogares, non in delicias absumeres. Omnia, quæ habet Sacerdos, sunt pauperum, (docet Augustinus) idcirco quod superest: pauperibus dare non differat. Clamant nudi, clamant famelici, (& pro ipsis Bernhardus) nostrum est,

De altari
vivendum
non gra-
candum.
Concil. Pa-
ris. 6. l. 1.
c. 18. Bib-
lioth. SS. P.
10. 3 ex
Consil. Tu-
ron.

S. Amb.
loc. cit. in
Luc.

Beneficio-
rum redi-
tus sunt bo-
na paupe-
rum.

Hom. 55.
ad pop.

S. Aug. in
Ps. 119.

S. Bern. Ep.
42.

est, quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditur, & quidquid accedit vestris vanitatibus. Denique nostrum est aurum, & argentum (clamant & exprobrant purgantes in piacularibus flammis animæ) quod in arcibus vestris reconditis, avari Sacerdotes, aut dissipatis prodigi, & eâ lege vobis datum est, ut peccata nostra, & debita redimatis: quare carnibus nostris saturamini?

Super Ecce nos.

Pauperibus non dare quasi Sacrilegium est.

XV. Ergo res pauperum, (concludit sæpe citatus Bernardus) non pauperibus dare, & quidquid sibi Ministri, & dispensatores, NON UTIQUE DOMINI, ultra victum, & vestitum accipiunt, par sacrilegii esse dignoscitur. Qua propter timeant, Clerici, & Ecclesiæ Ministri, superflua, quibus egeni sustentandi forent, vel sibi appropriare, & corrogare per avaritiam, vel in usus vanos, atque profanos dilapidare per prodigalitatem (ne dicam per hospitiorum scandalosas frequentationes, aliosque illicitos usus) duplici iniquitate se obstringentes, quod & aliena sibi corradant, & sacris & vanitates abutantur. De reliquo, ut mentem meam explicem de Ecclesiasticis bonis in consanguineos impensis, vel impendendis. Illud commune & gravissimum Ecclesiasticorum penè omnium onus est, & heu! plu-

rimis proximæ ruinæ causa, quod (uti est apud P. de Ponte)

„Cum Factor rerum privavit semine Clerum,

„Ad Sathanæ votum successit turba Nepotum.

Seu, quod Clerici propriâ sobole carentes, ex Dei instituto, ut suo Sathanas voto potiatur, iidem ordinariè nepotum catervâ prægraventur, aut aliorum propinquorum molestiis. Quo casu ex Concil.

Trid. sequens *Philothæis* porrigitur instructio: *Ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt,*

consanguineis donent: sed si pauperes sunt, iis ut pauperibus distribuant. Assentitur mellificus ille Mediolanensis Archi-

præsul: *Est & illa probanda liberalitas, ut proximos seminis tui non despicias, si illos*

EGERE cognoscas: quemadmodum è contra detestanda crudelitas, vel intra loculos

includere salutem inopum consanguineorum, & tanquam in tumultis sepelire

vitam pauperum suorum; vel hisce derelictis, in alienos omnia, & maximè

in divites, & potentes sæculi, ex splendidâ prodigalitate profundere, quod

non est nisi in Danaidum dolia aquam comportare. Experieris enim certo certius,

te in extrema aliquando necessitate cujusdam malignantis fortunæ, neque calicem aquæ frigidæ à similibus

S

spe-

Sess. 25.

1. de Re-

form.

Quomodo

liceat bona

Eccles. pro-

pinquis da-

re.

S. Amb. l.

1. offic. cap.

30.

sperare posse, imò non nisi vyperas in sinu fovisse.

S. Joan.
Damas. in
hist. Josaph
cap. 2.

Contemp-
tus divitiarum in san-
ctis Presby-
teris, Mar-
ciano, &
Felice No-
lano

Polland in
Vit. 10.
Jan. n. 8.

Idem ad
14. Janu.
n. 15.

S. Carol.
Borrom. di-
vitiar. con-
temptor.

XVI. Ad ultimum memento Ec-
clesiastice, memento Religiose dierum
antiquorum; cogita generationes sin-
gulas tuorum Antecessorum, & facile
cernes eorum vita cœlestis fastidium:
quoniam firmis mentis oculis rerum va-
nitatem, & voluptatum inconstantiam
rejecerunt, carnem suam fame, siti, ac
vigiliis confecerunt. Spectate Sacerdo-
tes Deraltissimi, ac discite à vestro con-
fite Marciano Presbytero utilem divi-
tiarum ac bonorum usum & impensam;
dum ille pro hæredibus, ac bonorum pa-
trimonialium cohæredibus egenos ado-
pravir. Discite à vestro confacerdote &
Martyre Felice Nolano pro illatis tem-
poralium damnis non contristari, pro
recuperandis non litigare: pro residuis
vestris, pauperes in societatem assumere,
velut ille pro fide omnibus suis bonis
spoliatus, cessante persecutione, nun-
quam ablata licet monitus, repetiit, sed
unico agello & hortulo contentus, eo-
rundem fructus cum egenis communes
habuit.

XVII. Imitemini denique, pro con-
ditione vestrà, & modico, magnum illam
& verè per omnia prodigiisissimum Anti-
stitem CAROLVM, qui rejectis duode-
cim

cim Abbatis, plurimisque nobilissimis titulis, & officiis (qualia fuere: summi Pœnitentiarum Romæ, Archi-Presbyteri S. MARIE MAIORIS, Ducis Auriacensis, Protectoris Portugalliæ, Germaniæ inferioris, diversorum Ordinum, & Congregationum Regularium &c.) Ecclesiasticos quoque redditus ad centies mille annuos coronatos generosissimo non solum contemptu dimisit, unice ad suos, & pauperum usus retentis laboriosissimi Archiepiscopatus Mediolanensis proventibus. Sed & quadraginta aureorum millia ex vendito Britanno Principatu persoluta, ne uno quidem die in ædibus asservare, vel retorto con- Largus in pauperes. tueri oculo dignatus est, quin omnia actutum pauperibus erogari præcepit: lautitias verò ac rerum superfluitates adeò exosus, ut singulare abstinentiæ prodigium nuncupari queat, illud vobis quàm maximè commendandum subjungens; abstinere se à cibo & potu; non tam temperantiæ virtutis intuitu, quàm ob assequendam, & integrè retinendam pastorallum functionum facilitatem.

XVIII. Non minùs adeste vos Carolus Villariensis, asper in visu. quoque Religiosissimi PP. & alterum Carolum Villariensem Monachum pro ex-

exemplo vobis statuite , quid de nobilissima Germanorum profapia oriundus cum sapius ab aliis interrogaretur , quomodo fabarum jam , atque pisorum , aliisque malè præparatis cibis vitam toleraret in Monasterio , prius omnibus deliciis assuetus in mundo ; respondit , tria piperis grana se omnibus cibis permiscere , quibus eos valde saporatus redderet. Primum esse laborem assiduum. Alterum longas vigiliis. Tertium , quòd recogitet , sapidiores cibos in familia paupertatis expectandos non esse. Hos imitari studere , observandissimi , pro aliis dispensatores frugales , & discreti , pro vobis verò modico contenti , aut discite , aut pergite , sacram auri , vel superfluitatum famem pià fraude tantisper obsonare in via , donec cœlestium deliciarum affluentis perfruamini in Patriâ.

MEDITATIO XVII.

*De Paupertate Spiritus , seu humilitate ac vili estimatione sui ipsius :
ejusque conditionibus.*

Text. Regul. Prologi.

Timentes Dominum , de bona observantia sua non se reddant elatos , sed ipsi

in se bona non à se posse, sed à Domino fieri existimantes, operantem in se Dominum magnificent. Malum verò semper à se factum sciant, & sibi reputent.

c. 4. Inferum. 43.

Præludium. Imaginare tibi miserabilem Lazari mendici, famelici, nudi, ulcerosi, & sanie fluentis ante januam divitiis jacentis speciem.

Luc. c. 16. v. 20.

Punct. I. Confid. Christum, illos pauperes, dixisse, esse beatos, qui tales sint SPIRITU, per voluntariam humilitatem, & vilem sui ipsius existimationem, mediante cognitione, 1. infinitatis absolutissimæ sui Creatoris in magnitudine,

Alia paupertas Spiritus, humilicas.

potentiâ, majestate, immensitate, sapientiâ, æternitate, & incommutabilitate &c. 2. Suæ è contra propriæ vilitatis, infirmitatis, ignorantix, corruptibilitatis, mortalitatis, & totalis nihilitatis. 3. Conditionis sui corporis, in quo nihil habet nisi cinerem, vermem, horrorem, foetorem, & finalem putredinem. 4. In omnium suorum sensuum organis nihil præter meras sordes, fæces, & plurimos defectus.

Inspiciendo defectus corporis.

Quid ergo superbis pulvis, & cinis, cujus conceptio culpa, nasci pœna, & gemitus, vivere miseria, mori angustia, post mortem vermis, & cibus vermium?

S. Bern. L. medit. cap. 3.

Punct. II. Confid. Quid homo sit

Et anima.

anima, ejusque potentiis. 1. In intellectu, nimirum insipiens, ignorans, fallibilis, cæcus, & erroneus. 2. In memoria labilis, vagus, immemor boni, & beneficiorum &c. 3. In voluntate proprius, appassionatus, impatiens, iracundus, superbus, contumax, rebellis spiritui, rationi contrarius, sensualis, & carnalis. 4. In anima verò peccatis, scædata miserabilior cæco, claudo, muto, furdo; leproso, dæmoniaco similis, deterior, & ingrator bestiis. 5. In ipsis etiam bonis suis operibus tardus, piger, negligens, distractus, inconstans, remissus, tepidus, inutilis. (Examinate in singulis.)

Genf. 1. 3.
9. 8.

O Deus meus! apparebo in conspectu tuo, & loquar ad te, cum sim pulvis & cinis? si me amplius reputa vero, ecce iustas contra me, & dicunt testimonium verum iniquitates mea, nec possum contradicere, quia in veritate nihil sum, nisi nihil, & merum peccatum.

Humilitas
cordis, oris,
operis.

Punct. III. *Consid.* Hanc Spiritus paupertatem requirere triplicem humilitatem. 1. Cordis: desiderando, & gaudendo vituperari, vilipendi, subijci, supprimi; humilem esse, & humilem nolle videri, in laudibus non extolli, in vituperiis non irasci, in correptionibus, vel adversitatibus non indignari, bona

bona , quæ in se viderit , Deo applicare , in illis non sibi complacere , mala verò sibi soli imputare. 2. Oris : in nullo gloriando , ostentando , alios contemnendo , judicando , carpendo , criminando , aut se excusando , sed semper , & ubique se potius accusando , aut humiliter tacendo. 3. Operis : in incessu , oculis , habitu , conversatione , & occasione quâcunque modestiam , morum compositionem , & submissionem præferendo , vel propter Deum subiciendo se Superioribus ; æqualibus amicabiliter conformando ; & inferioribus affabiliter condescendendo. (Super hæc examina te. &c.)

Mitis , & humilis JESU , utinam hæc omnia corde , ore , opere exequi posses , uti frequenter intendo : vide humilitatem meam , laborem meum , & adjuva , quæso , infirmitatem meam maximam &c.

Rursus igitur firmissimè propono , humilitatem toto mentis conatu amplecti , omnem de bonis actibus fugere elationem , stare in omni bonorum actuum observantiâ cum timore Dei , ipsius sanctissimo nomini omnem , & solam gloriam attribuere , Deumque , si quid boni in me , vel aliis mihi committis præstitero , per me , & in me in-

dignissimo operantem magnificare, in malis autem me solum confundere. Sic fiat: sic precor, & rogo &c.

CONSIDERATIO I. ANTE-MERIDIANA.

De Sanctorum perfecto contemptu rerum mundanarum.

Genf. l. 1. c. 48. n. 3. **S**ancti, & amici Christi omnibus divitiis, dignitatibus, honoribus, amicis, & cognatis renunciabant, nihil de mundo habere cupiebant; vix necessaria vita sumebant; corpori servire etiam in necessitate dolebant. Pauperes igitur erant rebus terrenis, sed valde divites in gratia, & virtutibus. Foris egebant, sed intus gratia, & consolatione reficiebantur. Mundo erant alieni, sed Deo proximi, & familiares amici.

CONSID. II.

De illorum victus asperitate.

Id. ib. n. 2. **O** Quam strictam, & abdicatam vitam SS. Patres peregerunt! prae magna dulcedine contemplationis etiam oblivioni tradebatur necessitas corporalis refectiois. Domino servierunt in fame, & siti, in frigore, & nuditate, in labore, &

& fatigatione, in vigiliis, & jejuniis,
in orationibus, & meditationibus san-
ctis.

DIGRESSIO XII.

De humilitate, & vitiis ipsi con-
trariis.

THEOPHOBUS.

(I.)

POST exactum paupertatis, & frugali-
tatis, quæ in temporalium rerum
omnimoda abdicatione, vel contemptu
saltem consistit, superest de altera ejus *S. Bern.*
parte, quæ paupertas spiritûs voca- *ferm. 2. in*
tur, differere; nam paupertas illa, quæ *Cæn. Dom.*
nec habet, nec habere quidquam desi-
derat, collateralem adjunctam sibi quærit
paupertatem, VIDELICET SU-
PERBIÆ LATENTIS CON-
TRITIONEM, ut, qui membrum
Dei est, pauper sit spiritu, id est humi-
lia, & abjecta de seipso sentiat, & ju-
dicet; non applaudat sibi, nec infletur
de quocunque dono, aut talento natu-
rali, vel supernaturali, spirituali seu tem-
porali, sive animæ sive corporis cœlitus
sibi concessio. Et certè si viam salutis

S 5

com-

Est certissima via salutis, compendiosissimam quæritis, vel intel-
 totæ viarum diversitates certissimam (in-
 quit Hipponensis Præsul) prima ex il-
 lis est humilitas, secunda humilitas,
 tertia humilitas, & quoties interroga-
 res, hoc dicerem, non quòd alia non
 sint præcepta, quæ observentur, sed ni-
 si humilitas omnia, quæ bene fiunt, &
 præcesserit, & comiteretur, & subsequatur,
 jam tibi de aliquo bono facto gaudenti
 totum extorquet de manu superbia. Vi-
 tia quippe cætera in peccatis, superbia
 etiam in rectè factis timenda est, ne il-
 la, quæ laudabiliter facta sunt, ipsius
 laudis cupiditate amittantur.

Consistit
 in cognitio-
 ne sui ip-
 sus.

II. Ut vero perfectè cognoscas, in
 quo humilitas consistat; noveris, pri-
 mam illius basin, ac fundamentum in
 intellectu collocatum esse, sive in per-
 fecta, & propria sui ipsius suarumque
 imperfectionum, atque defectuum tam
 spiritualium, quàm corporalium cog-
 nitione, quòdque aded nihil ex suis vi-
 ribus possit, ut non modò nec verbum:
 IESUS, testante Apostolo, proferre
 queat sine gratia Dei, & Spiritu San-
 cto, sed insuper omni momento absque
 divinæ influxu in nihilum cum anima,
 & corpore prolaberetur. Hæc præviã
 intellectus cognitione, incipit homo per
 actus, & affectus voluntatis sese vilem,
 & ni-

1. Cor. 6.
 22. v. 3.

& nihilum æstimare, omnibus Dei donis indignum, & non nisi pœnas, plagas, opprobria, vilipendia, tanquam mundi peripluma, pro merito: fitque, ut in bonis operibus se non extollat, minimè sibi in iis complaceat, divinæ voluntati perfectissimè conformare se studeat: ac *pro Dei amore omni obedientiâ se subdat majori, æquali, & infimo: in duris, & contrariis rebus, vel etiam quibuslibet irrogatis injurijs, tacitâ conscientiam patientiam amplectatur*, in omnibus non nisi operarium, malum, indignum, & reum se omni horâ de peccatis suis, jam se tremendo judicio Dei presentari existimet. Porrò humilitatis praxin sequentibus observationum punctis tibi demonstro.

III. *Primò.* Omni conatu humilem esse, ac semper; sed nunquam humilem velle videri, aut prædicari. *Secundò.* Omnibus, etiam inferioribus se indigniorem reputare, nullique profus præferre. *Tertiò.* Omnem contemptum, ignominiam, & vilem apud alios de se existimationem non modò hilariter & patienter sufferre, sed ultrò etiam appetere: nam, qui ægrè fert vilem de se hominum opinionem, talis, etiam si miracula faceret, non est perfectus. *Quartò.* Ab omnibus libenti animo

Acvili æstimatione,

Regul. c. 7.
gra. 3. & 4.

Ib. gr. 22.

Praxis & gradus humilitatis.

S. Bern

serm. 16. in Cantic.

S. Thomæ Aquin.

mo

mo velle discere, & doceri, quamvis sibi ipsi plus aliis, vel sufficienter sapere videatur; ita Divus Chrysofostomus non erubuit ab aniculâ objiciente sibi nimiam suorum conceptuum, & communitati inutilem sublimitatem, alium concionandi modum doceri. *Quinto.* Neminem judicare unquam, aut condemnare erroris, præterquam se solum continuè, magnum priorum defectuum catalogum suis oculis præferendo. *Sextò.* Nec in proprias suas laudes jactanter efferri, nec laudibus aliorum extolli, vel illas appetere, aut sibi complacere, quasi aliquid sciat, vel magnum in se, vel aliis fructus fecerit, nam quò erit doctior, vel in vita perfectior, tantò plurium, & longè plurimarum semper rerum ignorantia & multis primitivarum imperfectionum nævis se laborare comperiet. *Septimò.* In adversis, opprobriis, irrisionibus, illusionibus, vexationibus, aut contumeliis sibi illatis, non excandescere, non vindictam minari, vel meditari, non in jurgia erumpere, sed piâ taciturnitate & patientiâ sufferre. Nusquam igitur in flammis ferveat, nusquam fumum exhalat, cervicem erigat, aliis arroganter se præferat, nusquam vanè de suis talentis sibi complaceat; *illa enim reverà non*

*sua, sed Dei sunt, solum peccatum in se su-
um est.* Blos. in Reg.
spir.

IV. Quod utinam assidue cogitare studeret, quisquis in primis religionum recenter, & modicè à sæculi vanitate, & moribus conversus, sive ex proprio superbiæ spiritu, sive diaboli Stultitia
proprie
complacenta
in bonis
operib. ejusmodi ad meliorem frugem redacti insidiantis suggestione seductus, si quando insigne alicujus boni operis ovum peperit, mox illud gallinarum more decantat, & quasi philacteria sua dilatans, dicit: *Dives sum, & locupletatus*, devotus sum, diligens sum, perfectus, & jam penè sanctus sum &c. & nescit, quia *miser est, & miserabilis, & pauper, & cæcus & nudus*; imò ineptus in hoc, & puer, & infans. Vidisti quandoque, Apoc. c. 3. v.
17. M O P H. pueros pannosos propter unam exilem rubeam ligulam laceratæ manicæ affixam, sive novam laciniam veteri vestimento assutam, valde Illius pueri-
litas. se pulchros, & decoros existimare, circumquaque aspicere, sibi complacere, & ostentare, gloriari, & credere se ab omnibus eapropter conspici, placere, atque laudari. Quis nisi æquè infans infantilem gloriolam rideat, ne dicam, stultitiam? At certè vana gloria suos sequaces istis simillimos reddit, dum videntur sibi coram Deo magni devotione,

Idem serm. 6. de cognit. gratia spir. vit. ne, atque præcipui, perfecti, & satietuli, sensibilem in orationibus devotionem habentes, & lacrymantibus oculis jam Dei familiarissimos amicos se putantes, cum tamen in passionibus suis animalibus necdum sint mortificati: quid enim illæ devotiones externæ, nisi rubra ligula, seu nova lacinia veteri centoni, & homini vetusto, etiamnum mille defectuum centonibus confuto superinducta?

Illam ambientes sunt aliis peccatoribus miseriores.

S. Chryf. hom. 1. in Epist. ad Corinth.

V. Huic puerilitati accedit & altera vanæ gloriæ, & elationis miserrima stultitia, & stultissima miseria, quod, ubi sæculares per rapinas, usuras, gulas, luxurias, carnis voluptates, adeoque saltem per bonum utile, & delectabile seipso in perpetuas flammæ præcipitant, hæc ipsa suos quoscunque devotos, sed vanæ gloriæ cupidos per ipsissimum mundi contemptum, paupertatem, obedientiam, castitatem; per ipsas suas austeritates vigilias, flagellationes, inedia, jejunia; per longas orationes; & asperas mortificationes post mortem, tanquam è purgatorio claustrali eductos, æternis ignibus mancipet. Unde propriissime, *mater gehennæ est inanis gloria ignemque illum vehementer accendit; vermemque pestiferum consovet.* Verum nimis adhuc honorificè de vana gloria locutus

curus sum, siquidem illa furtum est, & rapina omnium simul & semel thesaurorum meritorumque gratiæ, & gloriæ. Vnde rectè sümè à Divo Bernardo vocatur proditor, occultus suffessor, negotium perambulans in tenebris, & sagitta leviter volans, leviter penetrans, sed non leve vulnus infligens: malum subtilissimum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, virtutum exinanitio, laborum dispersio, sudorum perditio, thesauri proditio, infidelitatis proles, & omnis tinea sanctitatis.

Quale malum sit vana gloria,
S. Bern.

Serm. 7.
Ps. qui habitat.

S. Cypr. l. de tent. & jejun.

VI. PHILOTH. Existimârim, illam etiam furtum idcirco esse appellatam, quia se immiscet bonis operibus, & non per ostium, sed furum, & latronum more, quasi aliunde, & clanculariò subintret in ovile humani cordis, ac rapiat, perdat, & macet omnem rectæ, puræque intentionis foetum. Ita enim mihi contingere solet, dum vel actum privatæ devotionis, vel publicæ erga Deum charitatis, aut officii mei perficio, radicem meæ intentionis inspiciendo, cognosco quidem me soli Deo placere voluisse, sed huic eidem intentioni, quâ Deo placere contendo; FVRTIM se, nescio quomodo, intentio humanæ laudis interlerit, quod cùm postea tardiùs

Furtivè subintrat in bona opera,

diùs discerno , invenio me aliter agere ,
quàm sciam, me inchoâsse. Fatendum est
igitur , quòd rectam intentionem , quæ
solum Dei beneplacitum quærit , non-
nunquam intentio minùs recta , quæ de
donis Dei hominibus placere cupit , infi-
diando comitetur. Si verò hanc ipsam
advertens miserentis Dei gratiâ propul-
so , ecce mox aliâ deteriore vexor , auri-
bus meis ita insufurrante : Euge : euge :
bene fecisti , quia gloriam vanam vicisti :
adeoque mihi continua est pugna , & uti-
nam non rara victoria !

Affidua
pugna cum
illâ,

VII. THEOPH. Optimè differis :
& gaudeo , te jam virtute exercitiorum
spiritualium eò processisse , ut à tenta-
tionibus diabolicis ad gravia peccata im-
munis , per Dei miserentis gratiam , de
bonis operibus impugneris , quæ non
tua solum , sed te longè quoque sanctio-
rum hominum pugna est : gaudet enim
desperationis spiritus , cùm videt multi-
plicari peccata , Cenodoxia verò gau-
det , cùm virtutem multiplicari videt.

S. Zosimas Beatissimus Zosimas Sacerdos , cùm
tentatus quinquaginta tres annos ter sanctè vitam
vanâ gloriâ. solitariam exegisset , ejusmodi vanæ
Polland. in glorix cogitationibus infestabatur : Pu-
Vit. S. Ma- tasne in terrâ est Monachus , qui
ria Egypt. possit me docere aliquod novum pie ex-
a. Apr. n. a. exerci-

ercitationis genus, quod necdum ipso opere expertus sum? Aut erit in eremo quispiam: qui me precedat bonis operibus & sanctitate: Ad hæc talis vox ad eum allapla est: Bene certasti Zosima, verum nemo est, qui se perfectum dicere possit, jussusque Monasterium quoddam apud Jordanem ingredi, longè majora sibi incognita perfectionis cœlestis exercitia fieri conspexit, & didicit. Sed & S. Gregorius Magnus ille Ordinis & Orbis splendor; eodem à te supra recensito modo hujus hostis insidias expertus est: & ita de se sanctissimus confessus est Bernardus; qui aliquando per suggestionem à dæmone laudatus, quàm insigniter, & fructuosè pro concione diceret, is autem ab hoc nihil ad superbiam moveretur, & idcirco quamprimum malignus spiritus tentationem mutans suggereret: *Cessa, cessa, nihil est, quod agis*: diabolus hisce verbis abegit: *Propter te non capi, propter te non finiam*. Quoties itaque vos malus Genius animi elatione impugnat, toties eundem, aut illo veteris quondam Anachoretæ responso dispellite: *Advertantur statim erubescences, qui dicunt mihi: Euge, euge*. Aut stultis extollentiæ cogitationibus arma humilitatis objicite, & frequentissime intra vosmetipsos replicate illud Apostoli: *Quid*

Sic etiam
 S. Gregorius
 Mag.

Et S. Bernardus,

Psal. 69: 4.

Modi resistendi vanitatis gloriæ.

T

li: Quid

2. Cor. 4. 7.

li: *Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Certè non movetur diabolus, ut abscedat, nisi unde torquetur; permittet vos vigilare, jejunare, & assidue orare, sed hæc omnia ipsi non sunt formidabilia, si vestram conversationem humilitas non commendet? at si consideraverit, vos magna facere, & de vobis humilia sentire: jam certè contra vos movetur, quoniam vestris virtutibus, & humilitate, quam ipse nec imitari potest, nec tolerare, ipsius superbia maximè torquetur. Hæc ad primum humilitatis hostem expugnandum sufficient.

S. Greg.
hom. 17 in
Luc.

Aliquor.
Clericor.
ambitio.

VIII. Alter est, elata quædam mentis arrogantia, humani respectus, & litigiosæ reputationis ambitio, & factus de quo illa gravissima Sancti Gregorii Magni lamentatio procedit: *Nullum majus præjudicium, quàm à Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit. Quando ipsi peccata compescere debuimus. Nulla animarum lucra quarimus &c. humanum vero gloriam intentâ mente captamus. Eo ipso quòd cæteris prælati sumus, ad qualibet agenda majorem licentiam sumimus, & susceptæ benedictionis ministe-*

rium vertimus ad *AMBITIONIS* argumentum. Et planè non leviter dolendum est, apud nonnullos præsertim juniores Sacerdotes invalescere, ut intrent in Sanctam Ecclesiam, per speciem regiminis gloriam affectantes honoris, videri Doctores appetant, transcendere cæteros concupiscant, primas salutationes in foro; primos recubitus in cœnis, primas in conventionibus cathedras concupiscant, sed tantò minùs susceptæ curæ pastoralis officium queant adimplere, quantò vel ad hujus humilitatis magisterium ex sola elatione, & aucupato hominum favore, non autem divinâ vocatione pervenerunt, vel in eodem non ministrare, sed ministrari, timeri, adorari, aut prædominari se extollendo, indignando, terrendo, minando, exoptulando, atque conviciando quærunt, velut ipsorum ministerium non humile, pacatum, placidum, mite, ac divinum, sed *tribunium quoddam, aut civicum munus imperium turgidum, & regnum inflatum pompis ac insolens* foret, regno Manliano, aut despotico similis, quàm pastorali, sive paterno. Meminerint, quæso tales, quòd forma Apostolica hæc est, ut dominatio interdicator, indicatur verò ministratio, ac sentiat qui-

Idem
hom. 27.
in Evang.

Isid. Pelus.
de grad.
humil. &c.

42.
Sacerdotes
quærant
magis ama-
ri, quam
merui.

S. Bern. l.
2 confid.
c. 9.

vis Sacerdos , impositum sibi esse ministerium , quo amari ; non datum imperium , quo metui debeat.

IX PHILOTH. Si pauca quærere licet. Quid , obsecro , censes de moderno quorundam Clericorum , aut etiam Sacerdotum exotico incessu , habitu , formâ , ac vestitu ? quo similiores mimis , & jocularibus , quàm Sacerdotibus , ab ipsa etiam plebe , nedum à quovis prudentiore , ipsorum , nescio , an dicam superbiam , an verò ridendam potius , & exhibilandam vanitatem traducente dijudicantur.

THEOPH. Dicam , quod censeo , quòdque teipsum valde prudenter censere , ex tuâ propositione adverto : dicam , quamvis idipsum quoque palàm dicere dubitem : quòd serpat hodie putida quædam tabes superbiæ per omne corpus Ecclesiæ , & quòd latiùs , eò desperatiùs ; Sacerdotes nimirum , & quosdam vix inter Levitarum numerum accensos , debitæ gravitatis , honestatis , decoris , ac majestatis oblitos , non vereri in publicum prodire , vel calamistratâ , & sive per artem , sive inspersos pulveres comptâ cæsarie nullâ apparente clericali tonsurâ : vel turgentibus , & prominentibus è subtiliori telâ adscitiis , & ad manus defluentibus manicis ;

non

S. Bern.
serm. 33. in
Cant.

Indecorus
aliqui Cleri-
cor. habitus.

non paucos adedè laxis, diffutis, & penè integro palmo ultra vestem Clericalem protensis laciniatis, ac fibulatis caligis, non præcingentes juxta Dei mandatum lumbos, sed incompositos, solutos, discinctos, ac ita verissimè dissolutos, ut jurares, illos in theatrum, aut histrionicam scenam procedere, comicum, aut ludionem aucturos. Alios etiam intueri licet, nimium exquisitè comptos, nitidos, circumamictos varietatibus, tanquam sponso procedentes de thalamo suo. Inde videas splendidas mensas, cibos, & scyphos; inde cytharas, & tibias & lyras; inde redundantia torcularia, & promptuaria plena eructantia ex hoc in illud. Sed unde illis (interrogat Bernardus *locit.*) exuberare existimas rerum affluentiam, vestium splendorem mensarum luxuriam, congeriem vasorum aureorum, & argenteorum, de bonis Sponsæ (scilicet Ecclesiæ) inde est, quòd illa pauper, inops, & nuda relinquitur facie miserandâ &c. Hæc ille.

X. Dixi, quod censeo: dicant SS. PP. dicant Canones, sive statuta, quid de istis censendum. Quid tibi de his videtur Ambrosi? Quòd sint insipientes, si credant, per hoc se inter alios esse altiores, si vestem induerint clariorem, verbi

*Idem serm.
1. Cant.*

Et serm. 33.

Clerici
splendidi;
Ecclesia
pauper.

Notabil.
sententiz.
SS. Patrum.
S. Ambr. de
dign. Sa-
cerd. c. 4.

Concil.
Const. sess
43.

S Hier. Ep
22. ad Eusto.
Contra va-
num vesti-
tum Cleri-
cor

Aug. l. 7. de
serm. D. in
mont. c. 1.

S. Bern in
Apol. ad
Guil

Graviores
censuræ S.
Bernardi.

S. Bern.
Ep. ad Henr
Senon.

Idem
serm. 2. in
Cant.

*gratiâ castorinam & sericam. Quid Con-
cil. Constantiense? Spretâ in vestibus for-
mâ Ecclesiastica honestatis, plurimi dele-
ctantur esse doformes: ergo deformes,
dum quærunt esse formosi? Quid placet de
his Hieronymo? Quibus omnis cura de
vestibus, si bene oleant & niteant, tales
cum videris, sponsos magis existimas,
quàm Clericos. Quid tu Augustine judicas?
Qui immoderato cultu corporis atq; ve-
stiu, vel ceterarum rerum nitore praful-
get, facile convincitur rebus ipsis, pompa-
rum seculi esse Sectator. Verùm quid de
his S. Bernardus? Vanum cor vanitatem
ingerit corpori, & exterior superfluitas
interioris vanitatis indicium est.*

XI. Sententiæ hæcenus utcunque le-
nes. Sed quid ultrà Bernarde? *Mollia indu-
menta animi molliem aperitè indicant:
non tantum curaretur corpus, nisi prius
neglecta fuisset mens inculta virtutibus.*
Hocne sufficit tuæ censuræ? minimè: plus
ultrà: *Cernitur in nonnullis Sacerdoti-
bus vestium cultus plurimus, virtutum
aut nullus, aut exiguus. Non Christi stig-
mata sunt hæc, muliebria potius esse nos-
cuntur insignia. Sint muliebria, quid tum,
si sic ornari, Clericis placet? Atqui sic eos
ornari, non est ornare sponsam (sive com-
missam Ecclesiam) sed spoliare, non est cu-
stodire sed perdere, non est restituere, sed
pro-*

prosternere. &c. mactare, & devorare.
 Sed nonne habitus nitidus Sacerdotis est
 ingens honestas, decor & statui illustri,
 nobili, omnibusque sæculi statibus emi-
 nentiori conveniens? Bernarde, ne nimis ri-
 gidè: Dixi & dico, replicat ille: Si quid in
 habitu, gestu, incessu à Sacerdote præfertur
 nisi grave, moderatum pietate, ac religione
 plenum, totum quod video, est *meretrici-
 us nitor, histrionicus habitus, & appara-
 tus.*

PHILOTH. Satis aculeata & amara
 videtur tam mellifluæ linguæ censura:
 sed quid circa hæc promanat ex illo au-
 reo sacræ eloquentiæ flumine?

THEOPH. Quid ex auri fluvio nisi
 aurea fluentia, quid ex ore aureo, nisi
 verba exspectas aurea? attende. *Talis
 cultura corporis cura, est meretriciis a-
 moribus implicatorum, ac perditorum
 scenariorum, mentisque deplorata homi-
 num.* Quos proinde si Sacerdos aliquis,
 Lux mundi & Sal terræ nuncupatus, sæcu-
 lari (quod absit) levitate ductus æmulari
 non abhorret, præterquam, quod *Sacer-
 dotii majestas atque dignitas passim a-
 pud plebem non aliam ob causam vileat,
 contemnat & propemodum concidat,
 quam propter multorum Ecclesiastico-
 rum levem, & minus probatam vitam,
 & Habitûs rationem: extimescat saltem*

S. Chrylo-
 stomi gra-
 vissima.

Constit.
 synod.
 Diœc.
 Const.

Bern. ferm.
33. in Cant.

terribilem illam sapedicti Bernardi censuram: *Qui honorati incedunt de bonis Domino honorem non deferunt*, at suismet vanitatibus vendicant, *hi Ministri Christi sunt sed serviunt Anti-Christo*,

Pœnz graves contra
tales Cleric.
Concil. Martiscon. can.
5. Anno
58.

XII. Metuant pariter illum Canonem: *Nullus Clericorum, sagum, aut vestimenta vel calceamenta secularia: nisi qua Religionem deceant, induere presumat: SECVS à Seniore ita coerceatur, ut triginta dierum inclusione detentus, aqua tantum & modico pane diebus singulis sustentetur.* Horreant demum id, quod ex SS. Canonum Decretis concludit S.

In summa.

Non portantes tonsuram & habitum decentem.

Raymundus, his verbis: *Nunquid Clerici seculares, qui non portant coronam, vel Tonsuram, vel Habitum congruentem &c. sunt in numero salvandorum? Ad hoc licet aliqui scandalizentur volentes, applaudere sibi in peccatis, & dicentes, omnia Fura, qua super hoc emanaverunt esse de consilio intelligenda; dico, quod non, cum enim pro tali apostasiâ pena gravis & multiplex imponatur, patet, quod non est consilium, sed præceptum.*

Apostatiæ accensentur.

Ecce apostasiam vocat, non portare coronæ tonsuram, aut habitum congruentem.

Qualis habitus decentis?

PHILOTH. Sed quis tandem censetur habitus iste congruens? Quænam vestimenta Ecclesiastica?

THEO.

THEOPH. Respondeat tibi breviter
 Bernardus : *Illā , in quibus nihil possit no-* S. Bern. de
vari novitatis , nihil superfluitatis , nihil Mod. bene.
vanitatis , nihil quod pertineat ad super- viv. serm. 9.
biam & vanam gloriam.

XIII. Tempus est , ut à calce ad
 caput revertamur , & quia Divinus sa-
 nè Bernardus per hanc totam dissertatio-
 nem potissimum Magisterii Cathedram
 tenuit , vanitatis ac superbiæ probra ,
 fastūs & arrogantiae dedecora , indecen-
 tis in Clerico vestitūs propudia , & vanæ
 gloriæ damna exponendo : eundem vo-
 bis pro absolutissimo perfectæ humili-
 tatis speculo propono , & quidem ta-
 cendo repudiatas ab eo complures Epi-
 scopatum dignitates : delatos ubivis ho-
 nores , applausus , encomia ; adeò in
 sui nihili abyssu absorptus fuit , ut quam-
 vis ob splendidissimos quaquaversum
 emicantes sanctitatis suæ radios , & patrata
 quotidie miracula totā passim Europā
 famosus impedire non posset , quin ve-
 stigis ejus acciderent , ea deoscularen-
 tur , certatim pilos vestium illius vellirent,
 soloque tanti viri visu, vel tactu sese
 beatos existimarent , in tanto tamen ap-
 plaudentium accursu nunquam aliud de
 se senserit , aut dixerit , quam se OPE-
 RARIUM INDIGNUM omnipo-
 tentis Dei esse. O summum humilis de

Humilitas
 S. Bernardi

Vana gloria fugienda.

se æstimationis prodigium ! Quis ergo vestrûm præsumat , nova , & alta de se sapere , iactare , ostentare ? Procul , procul , ô Sacerdotes pars Domini à piissimâ indole vestra ! procul , procul ô Religio- si ab instituto , à mentibus , ab ore , actibus vestris , omnis superbia , animositas , arrogantia , fastus , aut vestitus levitas . Insistite totis viribus , ut omnis humanæ gloriolæ vanitas , aut vanitatis cupiditas , omnium virtutum pestis , omnium meritorum rapina . & gloriæ Dei furtum sacrilegum , ab omnibus deinceps functionibus vestris remotissimè proscribatur .

MEDITATIO XVIII.

De utraque Paupertate amplectendâ ,
exemplo CHRISTI Do-
mini.

Textus Re-
gul. c. 7.
gra. 7.

SEPTIMUS Humilitatis gradus est: si quis omnibus inferiorem se, & vilio- rem non solum suâ linguâ pronunciet, sed etiam intimo cordis credat affectû, humilians se, & dicens cum Propheta: Ego autem sum vermis, & non homo.

Prælud. Imaginare tibi pauperem, nudum & despectum JESUM, live
è cu-

de cunis vagitu suo, seu de cruce tibi clamantem: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.*

Joan. c. 13.
v. 15.

Punct. I. Consid. Corporalem Domini JESU paupertatem, quam pro cœlo, throno, corona, sceptro, purpura, divitiis, & voluptatibus elegit. 1. In natiuitate extremam inopiam, stabulum, bestias, præsepe, stramen, laceros panniculos, famem, & frigus. 2. In vita summam austeritatem, eleemosynas, jejunia, vigiliis, labores, pernoctationes in oratione. 3. In morte extremam nuditatem, flagella, spinas, crucemque, ut non haberet, ubi caput reclinaret.

Extrema
Christi
paupertas.

Et non pudeat, sub Rege paupere, & nudo militem cupere mollibus vestiri, cubare, cibari, potari, abundare? non pudeat, sub capite spinoso membra esse delicata?

Punct. II. Consid. Ipsi quoque paupertatem spiritûs, infimam humilitatem, quâ, *cum in forma Dei esset*, voluit, 1. In natiuitate exinaniri in formam serui, infantis, peccatoris, fugitivi, discipuli, subditi. 2. In vita, vivere ut mendicus, fabri filius, reputari ut blasphemus, dæmoniacus, prosterni ad pedes discipulorum in genua, illos lavando, tergendo, deosculando, etiam erga suum

Summa
ejus humi-
litas.
Philip. 2. 6.

suum proditorem Judam. 3. In morte, capi, illudi, calcari, flagellari, condemnari, crucifigi, ut mancipium, vermis, malefactor, & latronum pessimus.

O prodigia humilitatis! O JESU humillime, qualia mihi dedisti exempla! Absit ergo à me, ut ego vermiculus me velim magnificare super terram, vel ambulare in magnis in spiritu meo, sed elegi mihi, abjectissimus esse in domo tua, & vilior me omnibus reputare.

Hæc virtutes sunt bases perfectionis.

Punct. III. Consid. Christum hanc duplicem paupertatem idcirco voluisse esse primam, & totius vitæ suæ sanctissimam basin. 1. Quia reverà omnis perfectionis est principium. 2. Ut hominum immoderatas cupiditates divitiarum, honorum, & voluptatum suo exemplo confunderet. 3. Ut omnes Religiosos, & pauperes animaret, omnia paupertatis incommoda, & contemptus patienter ferre, amplectique vilia, abjecta, & infima. 4. Ut suos dein Apostolos, eorumque in officio & gradu successores ad eandem virtutem institueret. Hinc illud: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* 5. Ut per Apostolos, Virosque Apostolicos, (quales sunt Sacerdotes) Ecclesiam suam in merâ humilitate

Matth. c.
44.

tate & paupertate Spiritûs fundaret, con-
servaret, omnesque fideles humilitatis
suorum ministrorum exemplo ædificaret.
Ah! dulcissimè Domine, qui clamas ad
nos, *discite à me* (non mundum fabri- Matth. 6.
11. v. 25.
care, non cæcos illuminare &c. sed) *quia*
mitis sum, & humilis corde: ecce de
abyssu nihilitatis meæ clamo ad abyssum
misericordiæ tuæ &c.

Da mihi hanc gratiam, quâ pro sta-
tu meo possim perfectam semper pauper-
tatem, & humilitatem amplecti, omni-
bus me inferiorem toto cordis affectu
tenere, credere, & pronunciare, omnem
arrogantiæ spiritum extinguere, omni
mundanæ vanitati & levitati renunciare,
inanem gloriam detestari, quia in verita-
te vilissimus vermis sum, & non homo;
humiliatus, & confusione omni dignissi-
mus.

CONSIDERATIO I. POME- RIDIANA.

*De vana elatione mentis ca-
venda.*

Non placeas tibi ipsi de habilitate, aut Genf. l. 1.
ingenio tuo: ne displiceas Deo, cuius c. 7. n. 2.
est totum, quidquid boni naturaliter ha-
bueris. Non te reputes aliis meliorem, n. 4.
ne

ne fortè coram Deo deterior habearis, qui scit, quid est in homine. Non superbias de operibus bonis, quia aliter sunt iudicia Dei, quàm hominum. Si aliquid boni habueris, crede de aliis meliora, ut humilitatem conserues.

CONSID. II.

De præstantia Humilitatis, cognitionis, & vilis æstimationis sui ipsius.

16. c. 2. 4. **H**Æc est altissima, & utilissima lectio, sui ipsius vera cognitio, & despectio. De se ipso nihil tenere, & de aliis semper bene, & altè sentire, magna sapientia est, & perfectio. Talem humilem Deus protegit, & liberat: diligit, & consolatur: humili homini se inclinat, humili largitur gratiam magnam, & post suam depressionem levat ad gloriam. Igitur non reputes, te aliquid profecisse, nisi omnibus inferiorem te esse sentias.

Id. l. 2. 2. 2.

CONSID. III.

De Exemplo humilitatis Sanctorum.


14. l. 1.
18. 4. **D**Eo proximi, & familiares amici sibi ipsis videbantur tanquam nihili, & huic mundo despecti; in vera humilitate stabant,

stabant, & ideo quotidie in spiritu proficiebant. Sic etiamnum hodie summi ^{L. 2. 10. 4.} Sancti apud Deum, minimi sunt apud se, & quanto gloriosiores, tanto in se humiliores. Et, qui totum Deo adscribunt, quidquid boni acceperunt, gloriam ab invicem non quarunt.

CONSID. IV.

*Humilis confessio suæ nihil-
tatis.*

Domine! hoc me coram te confundit, ^{Id. l. 3.} quia tam labilis sum. Ego vanitas, ^{20. 2.} & nihilum ante te, inconstans homo, & infirmus. Nihil sum, nihil boni ex me habeo, sed in omnibus deficio: & nisi à te fuero adjutus, totus efficior tepidus & dissolutus. Unde ergo possim gloriari, aut cur appetoreputari? Nunquid de nihilo? & hoc vanissimum est. Verè inanis gloria, mala pestis, vanitas maxima: quia à vera trahit gloria, & cælesti spoliat gratiâ.



Die

Die Septima.

De Voto Castitatis.

MEDITATIO XIX.

De incomparabili excellentiâ Castitatis.

Textus Re-
gul. in Pro-
log.



Uⁱ malignum spiritum aliqua suadentem sibi, cum ipsa suasionem suam à conspectibus cordis sui respiciens, deduxit ad nihilum, & parvulos cogitatus ejus tenuit, & allisit ad Christum; requiescet in monte sancto Dei.

Prælud. Imaginate tibi, videre Loth ab Angelo educi ab incendio Sodomæ, & Gomorrhæ, & supra montem salvari; sic homo eductus de sæculo in Religionem, sive abstractus de ineundo conjugio in sacerdotalem cœlibatum.

Gen. c. 19.
v. 17.

Cælibes
sunt quasi
corporis
expertes.

Punct. I. *Consid.* Cœlibem, sive Religiosum excellentiâ voti Castitatis 1. quasi restitui in statum originalis innocentie Adami ante peccatum, nimirum in gratiam priorem; innocentiam Baptismi, integritatem corporis, quasi corporis expertem. 2. Obtinere specialia Dei

Dei auxilia , ad domandos carnis stimulos ; erui ex infinitis malis occasionibus , & confortiis ; immunem fieri ab omnibus gravaminibus , & tribulationibus conjugii ; allici meritis , conscientiam tranquilla frui , & minimè tot jactari concupiscentiæ fluctibus , quot sæculares soluti , & conjugati.

S. Chryf.
hom. 36. in
Matth.

O felix , & beata generatio quærentium Dominum ! ô singularissimam hujus virtutis , ac voti prærogativam ! quis non aspiret ? quis non , cum potest capere , capiat ? & quod accepit , intemeratè custodiat ?

Punct. II. Consid. Cœlibatum servantes 1. Angelos reputari , non quidem ex infimo quovis ordine , sed certè illustrissimos , & nobilissimos. 2. Illos quoque ipsorum Angelorum statui quoad hoc præcellere , nam illi sunt puri ex natura , felicitate creationis , loco habitationis ; pugnae , & meriti expertes. 3. Cœlibes è contra sunt casti ex virtute , quâ voluptates damnant : ex lucta , quâ concupiscentiis resistunt : ex fortitudine , quâ diaboli tentationes vincunt : ex temperantia , quâ corpus variè mortificant : & ex amore divino , quo Angelorum Domino copulantur.

S. Basil.
Angelis pa-
res.

Quid ergo Castitate decorius , quæ corpus , mundum de immundo concep-
tum

tum semine, de hoste domesticum, Angelum de homine facit? quàm verò miser, qui per momentaneas voluptates se mundi, diaboli, & carnis mancipia reddunt?

Punct. III. Confid. Duas quoque alias ejusdem excellentias. 1. Quòd elevet mortale corpus ad similitudinem corporum Beatorum post resurrectionem, quando vera quidem habebunt corpora, sed *neque nubet, neque nubentur.* 2. Quòd hominem proximè transformet in Deum, qui merus & purissimus spiritus; unde illud: *Virginitas hominem incorruptibili Deo simillimum facit.*

Mattq.

22 30.

Et Deiformes.

Idem S. Basil.

*Sap. c. 5.
v. 10.*

Amplectere talem, ô anima! pretiosissimam margaritam, amplectere sanctimoniam vitæ, quæ te efficit Sanctorum similem, & domesticam Dei; dicente Scripturâ: *Incorruptio facit esse proximum Deo.*

Quidquid autem contra hanc Angelicam virtutem malignus spiritus suggesserit, totum à penetralibus cordis tuæ respue, & ad nihilum deducere satage; atque ut sis Angelus in carne, ut sis beata, mea anima, ut Deo incorruptibilis simillima, parvulos cogitatus immunus sine ulla mora ad JESVM CHRISTVM allide, & expugna.

DIGRESSIO XIII.

De præstantiâ, & mediis Castitatis,
qua sunt memoria Omnipresentiæ Dei,
resistentia velox, fuga otii, & con-
versationis mulierum.

THEOPHOBVS.

(I.)

TAmetsi in commendationem An-
gelicæ virtutis Castitatis iam præcla-
ra meditati estis, facturum me tamen
operæ pretium confido, si adhuc non-
nulla de ejus excellentiâ, & è contra
de turpitudine vitii luxuriæ producam,
atque ad hanc detestandam, illam verò
illibatim conservandam per remedia è
pluribus efficaciora & commodiora
æquè Religiosum hodie ac Sacerdotem
cohorter. Ac in primis de ejusdem Casti-
tatis ineffabili præstantiâ ita differit ex-
clamando S. Ephrem. *O Castitas mater*
dilectionis, & Angelicæ vitæ ratio! *O*
Castitas, qua Angelis similes reddis ho-
mines! *O Castitas, qua cor possidentis te*
sanctificas, animaque ad cælestia alas sub-
ministras! *O Castitas, qua passiones mi-*
nuis & animum à perturbationibus libe-
ras! *O Castitas, qua rosa instar in me-*
dio anima corporis flores, universamque
domum odoris fragrantiam replet! *O cæle-*

S. Ephr.
sermo. de
castit.

Castitatis
elogia.

*Ex Ven.
Beda &
Menol. Be-
med. 25.
Maij.
S. Aldhel-
mus l. de
lau. Vir-
gin.*

*Compara-
tio ex S.
Aldhelmo
Virginita-
tis cum
cœlibatu,
& conju-
gio.*

*Alia ex S.
Martino de
virginit.
conjugio
& luxuriâ.*

His castitas quid de tua dicam dulcedine?
quid de tua incomparabili pulchritudine?
ecquid de inæstimabili pretio? Ille
sub octavum sæculum ferventissimus vir-
ginitatis cultor, & divinarum Scripturarum
eruditione mirandus Aldhelmus
familix Benedictinæ, è regio sanguine,
Occidentalium Saxonum Episcopus, ita
de laudibus Virginitatis, Castitatisque
scriptum reliquit: Cùm tres sint status
in Ecclesia, Virginitas, Cœlibatus, &
Conjugium, ex Angelica revelatio-
ne didicimus, si meritorum ratio ha-
benda est, has inter virtutes statuen-
dum esse ordinem, ut sit virginitas au-
rum, cœlibatus argentum, conjugium
æraementum: virginitas pax, cœlibatus
redemptio, conjugium captivitas: vir-
ginitas divitiæ, cœlibatus mediocritas,
conjugium paupertas: virginitas sol,
cœlibatus lucerna, conjugium tenebræ:
virginitas Regina, cœlibatus Domina,
conjugium Ancilla.

II. Sed & Divus Martinus Turonen-
sis aliquando videns pratium, cujus unam
partem boves depaverant, secundam
porci suffoderant, tertiam illæsam,
quæ diversis floribus vernabat, in Ca-
stitatis elogium dixit: prima pars spe-
ciem gerit conjugii, quæ à pecore de-
pasta, etsi non penitus gratiam amisit
her-

herbarum, nullam tamen florum retinet dignitatem. Secunda, quam porci suffoderunt, fornicationis fœdam imaginem repræsentat. Tertia, quæ nullam sensit injuriam, gloriam virginitatis ostendit. Est autem in duplicis statûs hominibus, etiam in duplici differentia hæc cœlica castitas. Altera quidem in abscondito, & altera in publico; una sub tectò & una sub dio; prima quasi lux sub modio, secunda quasi supra candelabrum, seu dicas, unam esse litium horti conclusi, alteram florem campi. Illa est castitas Religiosorum in claustro; hæc Sacerdotum in sæculo custoditu difficillor, eò quòd pateat & proster plurium oculis ad intuendum; plurium naribus ad odorandum, plurium digitis ad tangendum, & obvia manibus ad decerpendum. At neque Religiosus per hoc nimium sibi fidat, nec diffidat Sacerdos; quia & Princeps hujus mundi potest ejici foras; & callidus hostis etiam fortis armati domum occupare, & diripere spolia.

Comparatio castitatis claustralis cum seculari.

III. Econtra verò de luxuriæ fœditate in genere, & quàm maximè in particulari personas Deo sacras inficiente satis excogitari, vel dici nunquam potest. Etenim non est fel, aut absynthium

Luxuriæ
turpitudō,

Propter
eam ex ad-
ultis pauci
salvantur.
Apud Cor-
nel. à Lap.
in c. 7. Ec-
cli.

thium amarius, non aconitum cerber
virulentius, non toxicum penetrabilius,
non pestis incurabilius, non cancri mor-
bus edacior, non impetigo putridior!
non mordacior scabies, non ulcus cor-
ruptius; non est foetentior cloaca, non
porcus sordidior, non hircus maleolen-
tior, non venenosior basiliscus, draco
nullus formidabilior; non violentior
ignis, non malum in orbe latius, nec
insatiabilior infernus, quàm luxuriæ ta-
bes per incuriam irrepens, per negligē-
tiam succrescens, per moram prævale-
scens, per actus frequentatos roborata,
per consuetudinem membris inolita,
carni infermentata, incorporata visce-
ribus, & imis ossium medullis intrinse-
cata: omnia tam in Micro- quàm in
Megalo-Cosmo contaminans, polluens,
consumens, depascens, exterminans &
condemnans. Vnde S. Remigius Rhe-

menſis Archiepiſcopus non dubitavit il-
lam formidabilem proferre ſententiam:
*Demptis parvulis, ex adultis propter
carnis vitium pauci ſalvantur.*

IV. Quàm ergò in consecratis coe-
lo personis infinite turpius, gravius, scan-
dalosius atque detestabilius erit hoc vi-
tium? Si sanctum, ac in paradyſo à
rerum Conditore institutum, & à Jesu
Salvatore sanctificatum conjugium ipsa
in

interdictum est : si licitus alioquin illius usus, in templo tamen veritus, si feminis, aut sanguinis in Ecclesiis facta effusio, illas profanat & polluit, quid faciet hæc abominatio desolationis reperta in loco sancto, videlicet in corde Religiosi, vel Sacerdotis vivo templo Spiritus Sancti ? qui per elevationem sacrum Christi Corpus & Sanguinem attollit in Missâ, ut adorentur ab aliis, ille verò per actus luxuriæ ea projicit ad pedes, ut conculcet : qui de manè reficitur ad mensam Angelorum, & de nocte luxuriando cœnat ad mensam dæmoniorum. An ergò mirum, si exemplis terribilibus constet, Sacerdoti carnali ad sacrum Altare celebraturo, ex erumpente subito igne de ipso Altari, manus usque ad cubitos ambustas esse ; altari verò Missam facienti, illicò os, nasum, mentum, & linguam computruisse.

V. Sed jam ad expugnanda & restringenda lasciviæ fomenta, & castitatem juratam illibatè servandam remedia investigemus. *Primum* est timor Dei, respectusque suæ omnipræsentiæ, de qua S. Pater Benedictus monet : *In omni loco Deum se respicere pro certo scire : estimare, se de cælis à Deo semper respici omni horâ, & facta sua in omni*

Horrendum scelus luxuriæ in personis Sacris.

Cœlestis vindicta contra tales.

Magn. spec. Exempl. verb. Missæ.

Castitatis tuendæ remedia,

Viva imaginatio præsentis Dei. Regul. c. 4. inst. 49.

6. 7. gra. 1. loco ab aspectu divinitatis videri, & ab Angelis omni horâ renunciari: in desideriis carnis Deum sibi credere semper esse presentem. Unde hortatur: Actus vitæ

In Prolog.
Reg.

suæ omni horâ custodire. Communi planè SS. Patres calculo, viva omnipræsentia Dei imaginatio fortissimum concupiscentiæ carnalis frænum est. Dic enim, obsecro, quis vel solis cogitationibus veneris (ut de gravioribus illicitis actibus taceam) inhærerere, non erubesceret, ne dum iisdem vel delectari, vel consentire, si vel unicum virum honoratum, Religiosum, & gravem talis cogitationis inspectorem haberet, aut suæ impudicitia testem. Quantò igitur magis oportet Religiosum, aut Clericum voto Castitatis obstrictum ab omni voluntario corporis inquinamento se continere in oculis omnipræsentis Dei, qui non solum, ut testis oculatus, & scrutans corda, sed etiam ut districtus Judex omnibus cogitatis, & factis est intimè præsens, ac intra omnia, extra omnia, supra omnia, & infra omnia manet; sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interiùs penetrans?

Dan. c. 13.
v. 23.

V I. Potuit ergò illa castissima Susanna eligere, citiùs probrosissimam mortem oppetere, quàm peccare, remotis licèt arbitris, IN CONSPECTU DO-

DOMINI ; potuit illa profligatissimæ vi- Illius ima-
 tæ mulier Thais Alexandrina ab impudico ginat. effi-
 opere per S. Paphnutium ; & altera pro- cacia ex-
 stituti pudoris fœmina per B. Ephrem à emplis
 flagranti facinoris desiderio arceri, & ostenditur,
 converti ad frugem, ex solo hoc pronunciato:
 DEUS OMNIA VIDET , à Sanctis
 illis istarum auribus inculcato ; quis du-
 bitet, personam Deo fabram, atque dili-
 gentem posse *custodire se omni horâ pec-* Regul. c. 7.
catis, & vitiis cogitationum, oculorum, gr. 1.
ac manuum? posse *Castitatem amare* : &
immunda carnis desideria non perficere,
 si iisdem pulsata, sibi dicat : ô cave ; c. 4. instr.
 DEUS OMNIA VIDET ; videt pu- 64. & 50.
 rissima, & immaculatissima Dei Mater ;
 videt Angelus Custos ; videt purissimo-
 rum spirituum, & Sanctorum cohors ?
 Ergò, ergò, *desideria carnis amputare* Cap. 7.
 FESTINA. Gra. 1.

VII. Hoc porrò efficacissimum in-
 violatæ Castitatis præsidium juvabitur
 ab altero : nimirum *ut sollicitus sit circa* loc. cit.
cogitationes suas perversas semper utilis
Frater, & Clericus, respuendo, quod im-
mundum, & suscipiendo, quod castum
 est, atque sanctum. Sicut enim mo-
 lendina nullatenus cessare possunt ab ope-
 re suo aquarum impulsibus circumacta ;
 in ejus autem situm est potestate,
 qui præest, an triticum malit, aut hor-
 deum

Expulsio su-
 bita primæ
 cogitat. in-
 honestæ.

Regul. loc.
cit.

Damna in-
valescentis
talis primæ
cogitat.

deum, loliūmque comminui, ita mens humana undique ingruentibus tentationum torrentibus acta, vacua quidem cogitationum æstibus esse non potest, quales verò admittere, quales rejicere debeat, sollicitâ providebit industriâ. Nam quia *mors secus introitum delectationis est posita*, idcirco propulsanda est sine mora omnis, vel minima oblectæna cogitatio, & mens sanctioribus imbueda; quod aliud non est, quàm parvulos cogitatus allidere ad petram, quæ est Christus. Memineritis, quæ *superius in Digressione octavâ* circa neglectum minimorum dicta sunt de sanguinariâ strage innumerabilium hominum per solas & unicas acuum veneno tinctarum infixas membris & corporibus puncturas. Quid acu minus? quid puncturâ levius? Ita dico, quid subtilissimâ aliquâ cogitatione castitati contrariâ vel incauto fœmineæ venustatis aspectu tenuius? Attamen & iste, & illa, quantumvis minimæ aciculæ, velut mortifero veneno illitæ, à mente serpunt in venas, & membra, memoriam rerum visarum, seu delectabilium occupant, movent phantasiâ, motiones causant, & ardores, inferiorem animi portionem ad appetitum apparentis boni

ni delectabilis inflammant, superiorem dein tacitâ violentiâ trahunt in periculum, fortissimæque tandem alliciunt, atque impellunt voluntatem ad consensum, & actus illicitos, quibus inficitur, & contaminatur corpus; anima verò in momento ex Dei sponsa fit teterrimum diaboli prostibulum. Quamobrem beatus est miles Christi spiritualis, qui semper in timore Domini vigilat, & omnes inordinatos motus carnis statim à principio refrænât. *Veram enim castitatem illesam custodire non sufficit, quisquis cum immundis cogitationibus quasi deliberans ludit.*

*Trib. de
vera ca-
stit. hom.
21.*

VIII. Subsequitur tertium Castitatis adjumentum; Otii nimirum fuga, & ex eo consequentis otiosæ, & nimix circumvagationis, atque ad trivialia plebeorum consortia frequentationis. Commune laicorum proverbium est; vitam Sacerdotum jucundissimam esse, quòd amplos beneficii sui redditus merè cantando, vel deambulando, otiandòque lucrentur. O insensatæ linguæ! quid dicitis? Ô inconsideratum, & longè miseriorem Ecclesiasticum! qui hæc credit, atque credendo, & sequendo in æternæ perditionis barathrum sese præcipitat. **AUSCULTA VIR DEI:** nōne propter officium datum est tibi be-
nefi-

Parochi ri-
culi & offi-
cia.

Gravis cul-
pa negle-
ctus.

neficiū ? Quodnam verò est Sacerdotis (maxime Curatoris animarum) officium ? Nonne Regis Regum esse Vicarium , divinæ Majestatis Ministrum , cum potestate Legati à latere Nuncium , legis ipsius promulgatorem , arcanorum S. Scripturæ interpretem , rerum in terris gerendarum plenipotentiarium , mediatorem , & sequestrum Deum inter & homines , mysteriorum ipsius dispensatorem , rectorem immortalium animarum , Dominici gregis pastorem , Ecclesiæ sanctæ custodem , speculatorem domûs Israël , & vineæ Domini Sabaoth cultorem ? Quàm igitur inexpiabilis culpæ , quantæ in supremum suum Principem injuriæ , quàmque damnablem negligentiam , in gravissimis hisce commissis negotiis deesse à debitâ curâ , sollicitudine , studio , vigilantiam , labore ; verbum divinum assidue prædicandi ; tribulatos , ac viduas consolandi , pauperes sublevandi : visitandi infirmos , ministrandi sacramenta , reducendi errantes , arguendi , obsecrandi , & increpandi peccatores , & quovis alio possibili modo innumeras Deo animas lucrandi , illiusque promovendi honorem & gloriam ? Hoc nempe est Sacerdotis officium , hoc illius esse deberet quotidianum exercitium : non otium ;
vel

vel (uti in superioribus jam monui , & nunc iterum omnes præsertim Curam animarum habentes , per æternam animæ salutem precor) ne velint totis penè diebus & mediis noctibus , artificum , aut mercatorum officinas , tabernas , atria , compita , vias , domos suspectas , pontes , vineas , diversoria , vel hospitia vagari , deambulare , discurrere , rempus terere , colludere , commessari , seu computare , (quod utinam nullorum , vel paucissimorum duntaxat Sacerdotum , vel Parochorum esset.)

Et otiosa
vagationis.

IX. Expendant (per viscera Christi eos rogo) *quàm innumera Gregis ipsorum gratiâ Dominus fecerit. Annon potestremò sanguinem pro eo suderit , ipsi verò requiem quarant , & otium ?* Dicant amabo , si stillantem è latere Christi sanguinem collegissent , illumque in vitreo vase repositum circumportare in periculosis locis , & tempestatum procellis oporteret , eâ quidem severissimâ cautione , & lege , ut si per incuriam suam illius divini liquoris vel unica gutta periret , æternæ maledictionis rei esse deberent ; quid animi habituri essent in tanto discrimine ? num talem thesaurum circumferre , ac custodire pro ludibrio , vacatione , vel otio reputarent ? annon
anxii

S Chryf.
hom. 29. in
Epist. ad
Rom.

Sanguis
Christi in
ampullâ vi-
treâ quâ cu-
rà portan-
dus.

Sic animæ
curandæ.

In Matth.
hom 43.

3. Reg. 20.
39.

Pro quibus
reddenda
ratio.

Gen. 4. 9.

Greg. hom.
27.

anxii omni die, loco, periculo, solertissimam adhiberent cautelam, custodiam, ac vigilantiam? Atqui seiant, in tutelam se id accepisse servandum, & quidem in vasis fictilibus, pro quo Unigenitus Dei, non tantummodò sanguinem suum semel profudit; (animas nempe immortales) sed etiamnum paratus esset pro earum singulis rursus triginta trium annorum labores, sudores & algores (si opus foret) cum crudelissimâ morte subire. Et isti improvidi Pastores requiem affectent? otia quærant? aut, quod dicitur, in utramque aurem dormitent? Dolendum esse, ait Auctor Oper. imperf. *Multos esse Sacerdotes, & paucos Sacerdotes: multos nomine, paucos opere; multos stipendiarios; paucos operarios, multum dictum esse: Custodi virum istum (gregem commissum) quòd si lapsus fuerit, erit anima tuâ pro anima illius: multos autem, à suomet grege pastos, nihilominus illud Caini replicare, si non verbis, suo saltem torpore, otio & negligentia: Nunquid custos fratris mei sum ego?* Deplorat id ipsum Divus Gregorius his verbis: *Mensis quidem multa, operarij verò pauci. Ecce mundus Sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus invenitur operator; quia officium quidem Sacerdotale suscipimus, sed opus officii non implemus.*

X. PHI.

X. PHILOTH. Dic, age THEOPHOBĒ. Quid Sacerdoti Curato, vel non Curato post omnia divina ritè explorata, ne otiosus sit, toto reliquo diei & longarum noctium tempore agendum: nunquid aucupio, vel venationi se dedat? Nunquid assidue simul deambulando colloquantur? an non liceat, ad hominum confortia domo exire & exesse recreationis, fallendique temporis gratiâ?

THEOPH. Neque honestæ, & Clericum condecetes prohibentur occupationes, neque animi relaxationes. At aucupia, vel venationes sectari, Sac. Concil. Aquileiense primum Clericis inhibuit: *Indignum existimans clericali modestiâ, qui paulò ante Breviarium manibus tractabat, publicè accipitrem deferre (vel Sclopetum) quique cum Angelis laudes Deo persolvebat, eum inter canum latratus versari. Esau venator erat, quoniam peccator erat. Et penitus non invenimus in scripturis sanctis sanctum aliquem Venatorem*, inquit Purpuratus Eccl. Doct. Piscatores quidem sanctos novimus, at Salvator noster potius voluit, eos esse hominum, quam piscium piscatores.

Venationum genera Clericis prohibita.

Concil. 1. Aquil. de Tit. honesta Cleric.

S. Hieron. in Psal. 90.

XI. Illud verò penitus improbat melleus Archiepiscopus, Sacerdotes nimium suam dignitatem, authoritatem & Maje-

3. Ambr.
Epist. 6. ad
Ireni.

Valde in-
decens, Sa-
cerdotem
plebeis
commisce-
ri.

De hoc ip-
so redargui-
tur à senex
juvenis Mo-
nachus.

Ex Prato
spirit. Sophr
e. 194.

Majestatem prostituere per plebeorum,
rusticorum, aut aliorum laicorum ni-
mias conversationes. *Quomodo enim, ait,
potest observari à populo, qui nihil habet
secretum à populo, nihil dispar à mul-
titudine? Quid enim in te miretur, si
sua in te recognoscat; si nihil in te aspi-
ciat, quod ultra se inveniat; si que in
se erubescit, in te etiam offendit? Et quia
sobriam à turbis gravitatem (pergit ille)
seriam vitam singulare pondus dignita-
tis sibi vindicat dignitas Sacerdotalis;
ô quàm inconueniens, lapides Sanctuarii
dispersos esse in capite omnium platea-
rum? quàm indecorum, quàm periculo-
sum, Angelicæ, Apostolicæ, atque divine
eminentiæ virum, inter scurras, lixas, rabu-
las, (velut inter cacabos & ollas) ut pluri-
mum procaces, obscænos, & turpes dis-
cursus, medium confidentem, & ridentem
inveniri? Qua de causa justissimâ repre-
hensione corripuit olim senex Anachoreta
juvenem Monachum publicam Alexandriæ
tabernam ingressum, his verbis, cuius quo-
que Sacerdoti notandis: *Nescis Frater,
quòd Angelicum gestes habitum? Interim
tu tabernas ingredi audes, ubi multa
audis, quæ nec decet audire: multa cer-
nis, quæ nec cernere licet? sedesq; ibi in-
ter viros ac mulieres. Obsecro te in Chri-
sto, mi Frater, desine his in locis commo-
rari.**

ri. &c. cùm verò juvenis indignanter respondisset: *Vade senex viam tuam, Deus non querit, nisi cor mundum, & purum:* subjunxit: *Domine Deus! tibi laus, & gloria; ecce quinquaginta annis in solitudine dego, & cor mundum non habeo; hic verò juvenis in locis dissolutis frequenter agens cor purum. & mundum illibate conservat.* En oppidò benè perstrictam incauti juvenis præsumptionem. Quòd si dein occupationis Clerico competentis, & utilissimi impendii temporis modum desideras, accipe congruentissimum à duobus sacris Doctoribus traditum. *Eccur non, dicit prius, illa tempora, quibus ab Ecclesia vacas lectioni impendas? cur non Christum revisas? Christum alloquaris? Illum alloquimur, cùm oramus; illum audimus, cùm divina legimus oracula: Quid nobis cum alienis domibus? Alter: Divinas Scripturas sapius lege, imò nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur; disce, quod doceas, ut possis exhortari in doctrina sana.* His tempus falle, ne cum irreparabili damno salutis fallaris à tempore.

XII. Ultimum mali caput, est Hydræ: *Mulier videlicet laqueus comptus, & splendida facie, collo excelsò oculis annuens genis arridens, linguâ dulciter canens, voce decipiens, sermone pelliciens, veste trabens, pedibus ludens, formâ placens, cor-*

S. Ambr.
l. 1. Offic. c.
20.

Occupationes Sacerdotum sunt Sacre lectiones.

S. Hieron.
ep. 2. ad Nepotian.

S. Ephr.
contra improb. mulier.
Procacis mulieris malitia.

Cypr. lib.
de singular.
Cleric.

A. SS. pro-
pulsata.

*pore ad fornicationem illiciens, facti-
occidens* heu! incautos Sacerdotes. O mul-
lier magnum malum! & quidem pro do-
mûs administratione Sacerdotibus neces-
sarium; quis malitiam tuam sufficienter de-
ploret: sive describat? quale sis malum,
dum tuâ contubernalitate tibi assumis
libertatis audaciam, & audaciæ liber-
tatem: dum sub famulandi prætextu
nunc lacertos denudas, nunc æstuantia
detegis colla, nunc blanditias exhibes,
nunc cum vestimentis, Sacerdotali quo-
que verecundia herum tuum exuis;
nunc in conclave nocturnum vel irrepis,
vel admitteris, etiam ad madentis fortas-
se vino Sacerdotis lectum appropinqua-
re non erubescens. O Carole, Carole!
cur non redivivus tale prostibulum
diaboli ad labefactandam Sacerdotis pu-
ritatem ingressum expellis, uti quon-
dam in juventute tua generosè fecisti?
O Bernarde! non denuo clamabis, LA-
TRONES, LATRONES? O An-
gelice Doctor! ecurr stygiam istam Me-
gæram, hoc noctium phantasma, hæc
spectra, has furias nocturnas, reaccen-
so titione expellis, Sacerdotis lumbos
tuo candido puritatis balteo præcingis,
atque præmunis à negotio perambu-
lante in tenebris?

XIII. PHILOTH. Ignosce, quòd interrumpam. Ego, inquiet aliquis Dei Minister, non nisi mulierum consanguinearum, aut alioquin sobriarum, honestarum, pudicarum, & spiritualium concubernio, famulatu, seu familiaritate utor, proinde periculum nullum est; sum extra teli Cupidinei jactum, & extra occasionem proximam, etsi autem talis familiaritatis videretur esse occasio quædam remota, tantò magis habeo, quòd certem, quòd vincam, hostemque captivando triumphem; sum enim per Dei gratiam obarmatus, præmunitus, & fortis; *Sufficit mihi conscientia mea, habeo Deum Judicem, qui vita mea testis est.* Potuit olim Simplicius Episcopus cum conjuge suâ iidem in ædibus, eodémque in cubiculo cohabitans, velut cum sorore intemeratam servare castitatem, prunis ardentibus ab utroque in manibus illasè, toto spectante populo, per horam gestatis & retentis comprobata, cur non possim & ego, cum amica, vel famulâ conclavi & mensâ à me sejuncta longè remotiorem illasè pede transire callem?

S. Hier.
Ep. 47.

S. Simplicii
Ep. cum
conjuge co-
habitantis
castitas.

MONOPH. Non ita semper proximus ardet Vcalegon, etiamsi quis familiaritate utatur cum sceminâ, præsertim si sciat ipsam benè moratam, modestam,

S. Vincent.
Ferrer. so-
licitatus à
fœmina,
sed illæsus.

verecundam, & totam devotioni seu spiritualitati addictam, siquidem ille Ordinis Prædicatorum splendor Vincentius Ferrerius potuit etiam *in igne positus non comburi*: nam cum Valentia in Hispania quædam nobilitate magis ac venustate, quam honestate insignis fœmina morbo simulato ipsum quasi pro confessione ad se accitum & præsentem, impudentissimè denudata ad detestabile facinus sollicitasset, calumniam ipsi attentatæ oppressionis structura, ni consentiret, illo fugâ elapso, nefarius dæmon impudicam illicò dirissimè exagitavit à nemine expellendus, nisi à Sancto prænominato *qui*, uti ipse contestabatur infernalis hospes, *in igne positus comburi non potuit*. Unde adstipulor dictis PHILOTHEI, castitati periculum non subesse apud pudicam, & spiritualement fœminam, si abfuit apud prostituti pudoris lenam.

Famula im-
proba, sum-
mum Sacer-
dotis infor-
tunium.

XIV. THEOPH. Quemadmodum eximis animi medullis compatior cui-
cunque Sacerdoti, cui fors iniqua ma-
lam, superbam, clamoriam, prodigam,
bibulam, & ebriosam (quodque infal-
libiliter semper conjunctum est) inve-
recundam, audacem, effrontem, &
impudicam, servam (imò magis Domi-
nam) in ædes conduxit, ita ex toto
cor-

cordis effectu illi congratulor, qui vel spectatæ frugalitatis, sobrietatis, pudicitæ, atque integritatis (raram avem in terris) Oeconomam nactus est; vel tantam etiam in proximâ malâ occasione securitatem affecutus, quantam nec Divus Hieronymus in sylvis & antris, ex deformibus horrido sacco membris, in squalida cute, in exsucco corpore, & præmortua carne obtinuisse fatetur, quin *etiamnum illicitis mens desiderii astuaret, atque libidinum ebullirent incendia*: Verum tamen attende; quàm *lubrica spes est illa, quæ inter peccati foemta salvari se sperat: impossibilis est liberatio, flammis circumdari, & non ardere*. Nunquid enim, si illam pudicam, & te fortem, imò ferrum, ac ferreum esse periculosè præsumis, illa magnes non est, ut attrahat? Tu stupa non es, & fœmina flamma, ut accendat? tu sal non es, & mulier aqua, ut dissolvaris, si ferro magnes, flamma stupæ, & sal aquæ jungantur? *Quantos (Cypriano teste) Leones domuit una muliebris infirmitas delicata? que, licet sit vilis & misera, de magnis efficit prædam. Certe nec sanctior Davide, nec Samsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior*: hi tamen Cedri libani, & plures altissimæ contemplationis homines ex fœminarum consortio corruere.

S. Hieron.
in asperâ
solitud.
tentatus.

Idem in
in reg. mon.
S. Cyprian.
loc. cit.

S. Cypri. de
singular.
Cleric.

Exempla
ruinar, ex
consortio
mulierum,

Sancti eti-
am proxi-
mas con-
sanguineas
vitant.

Saltem ob
periculum
boni nomi-
nis.

Concil. Ca-
merac. e. de
Vit. & bo-
nest. Cleric
S. Hieron.
ep. ad Occ-
an. apud
concil. A-
quis gran.

XV. ESTO PHILOTHEE, sint illæ
fœminæ propinquæ, sint sanguine jun-
ctæ, nunquid propterea inferetis, omne
abesse periculum? aut illam Ecclesiæ
columnam Augustinum, five etiam il-
lud æquè candidissimum ac fragrantissi-
mum Societatis Jesu lilium Aloysium
Gonzagam trepidâsse timore, ubi non
erat timor? dum ille etiam propriæ
sororis, & fratris sui filiæ contubernium
vitavit; iste verò multo tẽmpore in au-
lâ Regis Hispaniæ conversatus, in quoti-
dianis Reginam videndi occasionibus
nunquam in facie conspexit; imò nec
cum propriâ suâ matre solus ac sine ar-
bitro stare, colloqui, aut versari susti-
nuit, *mulierum* idcirco *inimicus* passim
appellatus. Sit præterea, ut intuli-
sti, sit conscientia tua tibi sufficiens, non
ignorabis tamen illud Concilij, quod,
licet *castitas ut ut servari queat in mu-
liebri consortio, rarò tamen bonum no-
men retineri potest.* Non illud Hieronymi:
*fœminarum sexus reprehensibiles exhibet
Clericos: te cuncti in publico, te in agro
rustici, arateres ac vinitores quotidie
graviter lacerabunt, si contra depositum
fidei cum fœminis familiariter habi-
tare contendis.* Demus etiam tibi Mo-
nophile, quòd sint illæ fœminæ spiri-
tuales, devotissæ & sanctulæ; *nec tamen*

quia

quia tales sunt, ideo minus cavenda: quò
 enim fuerint sanctiores, inquit Angeli-
 cus, eo magis (ad sui amorem trahunt) &
 alliciunt, & sub prætenu blandi sermo-
 nis immiscet se viscus impiissima libidinis:
 & dat rationem; nam quamvis principi-
 um eorum videatur esse purum frequens
 tamen familiaritas domesticum est peri-
 culum delectabile detrimentum, & ma-
 lum occultū bono colore depictum. Quam-
 obrem expedit magis in hac lubricā ma-
 teriā plūs benè timere, quàm vel sibi, vel
 aliis multum periculose & malè fidere. In
 hoc genere pugnæ non est securior palma,
 quàm morte Parthorum apprehendere su-
 gam, si vis obtinere victoriam. Quòd si
 quis è Clero hoc malo necessario pro fami-
 liæ ministerio carere non potest, illius sal-
 tem approximationem, blanditias, infinu-
 ationes, tanquam Syrenum cantus refugiat,
 & tale se prabeat castitatis exemplum, ut
 & ipse & familia ejus semper ab omni
 permaneat suspitione libera.

S. Tho. O-
 p. sc. de
 mod. con-
 fit. & pur-
 consc. art.

12.
 Idem ibid.
 (onversa-
 tio etiam
 cum devo-
 tis scem.
 periculosa
 est.

S. August.
 Castitatis
 præsidium
 fuga.

Ex constit.
 S. Carol. c.
 2. Reg. 7-

MEDITATIO XX.

De conditionibus, & gradibus conse-
 crata Deo Castitatis.

Cavendum est malum desiderium quia
 mors secus introitum delectationis po-
 sita

Textus Re-
 gul. c. 7. gr.
 2.

sita est: (quapropter) sollicitus circa cogitationes suas perversas dicat semper utilis Frater: tunc immaculatus ero, si observavero me ab iniquitate mea.

Prælud. Imaginare, te cum magno periculo, & solitudine per vias difficiles peregrinantem, quasi in manibus gestare tersissimum, & nitidissimum speculum, è crystallino tamen vitro compositum, fragile, & levissimo afflatu maculosum. *Speculum sine macula*, est Castitas Deo consecrata.

Sap. c. 7.

Speculum
crystalli-
num casti-
tatis sym-
bolum

Ex discis

B. Aegidii

scilicet S.

Franc.

Punct. I. Confid. Castitatis voto obstrictum, esse similem tali speculo purissimo. 1. Quia similitudinem Dei in se, velut in speculo mundissimo, in morem suavissimi radii ab ipso Deo cum gratiis suis influentem suscipit. 2. Sicut speculum est pulchritudinis, vel deformitatis humanæ certissimus index, ita accuratam observantiam, vel negligentiam castitatis, quoad cogitationes, verba, & opera esse indicem statûs animæ in persona Deo dicata. 3. Quemadmodum speculum lapsu frangitur; attactu rei alienæ atteritur; afflatu maculatur, ita se totum habere cum castitate, per lapsum, malum consortium, vel afflatum scurrilis sermonis, aut diabolicæ suggestio- nis.

O utinam! anima mea considerâs-
ses,

ses, vel adhuc sæpius considerares, quàm pretiosum thesaurum portes in vasis fragilibus tuorum sensuum, & carnis; planè cautioresses ubique, & semper.

Punct. II. Consid. Sicut templum materiale consecratur Deo quinque modis, sic animam castitatem voventis dedicari in templum vivum, & sanctum Spiritûs Sancti. 1. Aspersione: hyssopi pœnitentiæ, & lacrymarum. 2. Inscriptione: scilicet suæ professionis, vel characteris impressione in ordinatis. 3. Unctione: olei gratiæ divinæ generalis, & specialis. 4. Illuminatione: instructionum, inspirationum, admonitionum & exemplorum, 5. Benedictione tum divinâ, tum Episcopi, Abbatis; aut Superioris.

Cæremoniae consecrationis templi castitati accommodæ.
S. Bern.
serm. 1. de ded.

Væ ergò insensatæ animæ, quæ nesciens, quia templum Dei est, & spiritus Dei habitat in illo, templum Spiritûs Sancti violat, quoniam disperdet eam Dominus.

1. Cor. 3.
17.

Punct. III. Consid. Septem assignari gradus castitatis. 1. Nullâ minùs honestâ cogitatione, vel sensualitate vinci. 2. Nec minimam moram in tale neçtere. 3. Visâ quâdam externa specie non alterari in mente. 4. Constanter cum timore Dei, & confusione propriâ resistere motibus sensualitatis. 5. Memoria ejicere omnes rerum auditarum.

Cassian.
collat. 12.
Abb. Cæremonis.
Castitatis septem gradus.

*Blos. in
regul. brev.
Tyro. spirit.*

vel lectarum, vel antiquarum species, mentem subito ad alia divertendo. 6. Diabolicis illusionibus non inquietari, aut non immorari cogitando: tales enim melius vinctes contemnendo, quàm attendendo, & cum eis quasi altercando. 7. Nec vigilantem, nec dormientem ullos amplius motus inordinatos sentire. Circa hos septem gradus examen institue, in quoto consistas &c.

Rom. 6.

O infelix ego homo! quàm longè absum à tanta puritatis perfectione: verè non est sanitas in carne mea. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus.*

Saltem ego sciens, mortem esse secus introitum delectationis positam, omnia desideria carnis amputare festinabo, semperque Dei gratià comitante, sollicitus ero circa cogitationes, ut maneam immaculatus ab omni inquinamento carnis, & spiritûs &c.

CONSIDERATIO I. ANTE-MERIDIANA.

*De resistentia primarum cogitationum
contra Castitatem.*

*Genf. l. 1.
13. 5.*

*Vigilandum est præcipuè circa initium
tentationis, quia tunc faciliùs hostis
vincitur, si ostium mentis nullatenus in-
trare sinitur; sed extra limen statim, ut
pub-*

pulsaverit, illi obviatur. Nam primò Resistentia ad primam malam cogitatio.
*simplex cogitatio, deinde fortis imagina-
 tio, postea delectatio, & motus pravus,
 & assensio. Sicque paulatim ingreditur
 malignus hostis ex toto, dum illi non resi-
 stitur in principio. Et quantò diutiùs ad
 resistendum quis torpuerit, tantò in se de-
 bilior sit, & hostis contra eum potentior.*

CONSID. II.

De otio pestilenti vitando.

Non est homo securus à tentatione to- Ib. n. 3.
*taliter, quamdiù vixerit: quia in
 nobis est, unde tentamur, ex quo in con-
 cupiscentiâ nati sumus. Quare, accinge
 te sicut vir, contra diabolicas nequitas.
 Nunquam sis ex toto otiosus, sed aut le-
 gens, aut scribens, aut orans, aut me-
 ditans; aut aliquid utilitatis pro com-
 muni laborans.* Fuga otii,
 Ib. c. 15. 4.

CONSID. III.

*De cavenda extraneorum, & maximè
 mulierum familiaritate.*

Charitas habenda est ad omnes, sed fa- Et familia-
 ritatis mu-
 lierum.
 Ib. c. 8. 2.
 n. 1.
*miliaritas non expedit. Non sis fami-
 liaris alicui mulieri, sed in comuni omnes
 bonas mulieres Deo commenda. Puta-
 mus*

mus aliquando aliis placere ex conjunctione nostra : & incipimus magis displicere , ex morum improbitate , in nobis considerata.

DIGRESSIO XIV.

De reliquis Castitatis præsidis : nempe studio Orationis ; Puritatis conscientia ; Sobrietatis ; & discreta mortificationis corporis.

THEOPHOBUS

(1.)

PRæter recensita Castitatis præsidia supersunt alia , iis , quibuscum loquor , accommoda , in præsentis Digressionis discutienda ; videlicet Orationis ; puritatis conscientia ; sobrietatis ; & corporalis mortificationis studia , quia enim castitatis hostes alii interni sunt , atque domestici , alii verò extranei , & adventitii ; idcirco contra eos committitur , & eminens assidue pugnandum est. Nonnunquam enim à naturali carnis complexionem profiliunt , frequenter à cibi , potusque superfluitate , non raro à negligentia , ac debita puritatis incuria ; plerumque verò à maligni spiritus suggestionem : quod postremum facile abinde

Castitatis
hostes.

inde dignoscitur, quando tentationes insurgunt sine ullu respectu, vel sacro in loco, vel orationis tempore; aut cum quis omnium minimè vellet. Id verò his verbis ipsemet Christus suæ lectissimæ Sponsæ Virgini Senensi manifestavit dicens. *Frequenter diabolus orationis tempore animam variis imaginationibus, & phantasmatibus magis infestare conatur, quàm extratempus orationis.*

Blos. in monil. spir. c. 2.

At mox ita subjunxit præsentissimum Orationis antidotum docens: ORATIO, quæ in vilitatis propriæ, & bonitatis meæ cognitione peragitur, est *armatura fortissima* adversus omnes inimicos; armatura, dico, impenetrabilis, flagellum dæmonis, certum perugium, securus portus, tutissimum asylon. Hæc una mala omnia tollit, pravas concupiscentias extinguit, effrænatas animi passiones domat, hostes prostermit, tentationes superat, cogitationum muscas expellit, phantasias corrigit, & carnis desideria profligat.

Orationis antidotum contra eas.

Idem in canone vit. spir. 17.

II. Quòd si stygius molossus pro more suo impuris latratibus vos orantes infestet, quantocyùs signum S. Crucis efformate, & Angelicâ salutatione purissimæ Virginis opem implorate, certo certius victores evasuri, majoraque gratiæ, castitatis & meritorum perceptu.

Blos. in farrag. utiliss. instit.

Diabolum
 puer m-
 proparan-
 do.
Blos. in can.
vit. spir.
c. 2. Trith.
in cap. 7 re-
gular. 6. &
Rodriq.
part. 3. tr.
4. c. 8.

cepturi incrementa. Deinde juvabit plurimum contra periculum oborituræ delectationis diabolum instigantem, quasi præsentem corporaliter, conspuere in faciem suam, & illudere verbis sublannativis dicendo: apage cruenta bestia, deformis, immunda, & fœtens. Obmutesce canis impudens; non te audio: nihil mihi tecum, ô infelix. Tu nefande apostata, ex purissimo Angelo propter tuam rebellionem in turpissimum, & abominabile monstrum conversus es, dejectus es, maledictus es, damnatus es, & ecce velles quoque animam meam pretiosissimo JESU Christi sanguine dealbatam, tuis immunditiis inquinare, & tui similem facere. Abi scelereste: abi sus lutulente, & grunniens; multiplicentur tibi pœnæ tuæ quinquagesies centies, pro tam abominanda tentatione mihi immissa &c. Hisce, vel similibus objectis, cum impudicitæ spiritus inveterato superbæ typho inflatus tumeat, illicò omnis confusionis, exprobrationis, ac vilipendii impatientissimus, ringendo, & crepando, quasi fulmine ictus evanescet. Quòd si verò etiamnum impudenter redux eadem, vel aliâ vice vos persequetur, aut suis sordibus spiritum vestrum affli-

Blos. loc.
cit.

get,

get, quamvis fortè per nonnullos prioris vitæ actus (uti cæteroquin evenire potest) occasionem eorum, quæ nunc patimini, dedissetis, ne cadatis animo, neque enim vobis Deum reddet offensum, quidquid præter voluntatem vestram sustinetis, si, quod sordidum est, ejiciatis; & anteaactæ vitæ sarcinam deposueritis. Quare voluntates vestras solummodò à consensu servate liberas, & finite deinceps diabolus & carnem furere: quod magis pro juniorum informatione, aut solatio scrupulorum, quàm ad vos, hîc dixerò.

III. Orationis præsidium firmabit conscientiæ nitor, candor, & puritas, Confessio frequens. illiusque diligens studium per Sacræ Confessionis lavacrum. Qua in re duos Sacerdotum errores præterire non possum. Prior illorum est, qui quidem nullâ mortalis peccati lue Sacris peragendis indignos se reddunt; cæterùm cum in sæculo, tanquam Cimmerijs tenebris obvolutâ Ægypto, vel quasi in putidissimâ Sodomæi incendij fornace, versentur; vix adeò immaculato calle (quantâvis etiam diligentia adhiberâ) transire possunt illæsi: quin vel tenebris illius nonnihil obfuscentur, vel Incuria nitoris conscientiæ. istius quaversum exhalantibus scintillis, aut fumo attingantur; veniales tamen macu-

Hom. 87.
super
Matth.

Venialia
magis vi-
sanda, quam
gravia.

Poland. in
Vit. 20.
Mart. n. 24.

maculas flocci habentes , rarissimâ exomologesi conscientiaë suæ latebras scrutari , sordesq̄ue contractas expiare student. Ejusmodi inprimis illa superiorum Digressionum contenta de talium noxarum gravitate & curâ minimorum replico. dein illud Divi Chrysostomi pronuntiatum inculco: *Mirabile quiddam , & inauditum dicere audeo. Solet mihi nonnunquam videri , non tanto studio magna esse peccata vitanda, quanto parva, & vilia. Illa enim ut aversemur , ipsa peccati natura efficit: ad hac autem qui a parva sunt, desides sumus , & dum contemnuntur , non potest ad expulsionem eorum animus generosus insurgere.*

VI. Unde ob talem venialium peccatorum quandoque etiam sat gravium , & de mortali gravitate dubiorum neglectum , & confessionis dilationem , nimis pronâ facilitate in expressè mortalia prolabantur : & nisi insuperabilis Dei miseratio parceret , cum tot ulceribus infecta animâ (etsi non penitus mortuâ) celebrantibus , vel alia gravis , vel illa salutem cœlestis vindicta frequentius contingeret , quæ refertur in vitâ S. Cuthberti Episcopi cuidam Presbytero accidisse , qui de nocte cum mulierculâ parum honesto usus commercio , cûm de

de mane, ad aliquorum nobilium instantiam, Missam sive sub dubio, sive sub conscio mortalis impedimenti reatu, non præviâ confessione, celebraret, in sacra communione Corporis Dominici vidit particulam hostiæ calici immissam in teter-
rimampicis formam, sanguinem verò sensit in amarissimum fellis potum esse mutatum.

Vindicta in
celebrationem sine
prævia
confess.

V. Alter error, imò non error, sed sacrilegium immane, atrox, & nefandum Judæ scelus eorum est, (ah faxit Deus! ut nulli similes toto orbe reperiantur) qui, quod horreo dicere, non horrent, nec contremiscunt, cum gravatâ certo mortali crimine conscientiam necquidquam murmurante, rodente, reclamante (aut, quod desperatissimi mali foret, callo jam obductâ) sine prævio impurati animi, & corporis lavacro SANCTA SANCTORUM introire.

Ad vos, ô Sacerdotes! dicit Dominus exercituum, qui despicitis nomen meum, & dixistis: In quo despeximus nomen tuum? Offertis super altare meum panem pollutum, & dicitis: In quo polluimus te? At quâ, dico, ratione panis ille polluitur, aut pollutus offertur, qui nullâ potest contagione labefactari? Imo (quod horribile dictu) (quomodo Dominus ipse, quomodo immaculatissimus Dei, & Virginis

Malach. 1.
7. & 7.

Sacramentum polluitur ab indignè celebrantibus.

Filius pollui dicitur, nisi quando Sacerdotes foedissimo libidinis putore os, linguam, labia, manus, cor, corpus, & animam contaminati, atque corrupti, præsumunt panem illum, & carnem illam, quæ omnigenæ puritatis fons est, illoti contrectare, offerre, dividere, sumere, ac populo indignissimè administrare?

S. August.
serm. 152.
de temp.

Abstinen-
dum ab in-
digna cele-
bratione.

S. Hier.

Cyldas Sa-
piens. tom.
5. Biblioth.
SS. PP.

VI. Quòd si Africanus Præsul affir-
mat, *Si quis agnoscens reatum suum, ipse
se humiliter ab altari Ecclesiæ pro emen-
datione vitæ removeere voluerit, ab æter-
no illo, & cælesti convivio excommuni-
cari penitus non timebit*: Ergò è con-
tra, quicumque agnoscens suum mortali-
s sceleris reatum, ab Altari divino se non
subtraxerit, eundem ab illo cælesti con-
vivio excommunicari penitus continget.
Unde, væ tibi (invehitur Purpuratus Ec-
clesiæ Doctor) *Væ tibi Sacerdos!* qui
*eodem ore oscularis filiam Veneris, quo
paulo ante sumpsisti filium Virginis. O
impie Juda! osculo Filium hominis tra-
dis?* Tales multò dignius, multoque
*rectius ad carcerem, vel catastam pæna-
lem, quàm ad Sacerdotium protracti
fuissent.* Quapropter ô Sacerdotes,
ô Religiosi ad tantum dignitatis fastigium
evecti; ô populus acquisitionis divinæ!
recogitate, (per salutem vestram) reco-
gitate, quia *membra Christi, templum
estis*

estis Spiritus Sancti, nolite ergo facere *S. Chrys. in*
 membra meretricis. Non enim corpori *1. Cor. 3.*
 vestro injuriam facitis; quia non est ve- *hom. 18.*
 strum corpus, sed Christi. Et ideo Fra- *S. Aug. loc.*
 tres charissimi, unusquisque consideret *cit.*
 conscientiam suam, & quando si aliquo
 crimine vulneratum esse cognoverit,
 prius confessionis lavacro, orationibus, *Confessio*
 jejuniis, & eleemosynis studeat emunda- *celebratio-*
 re conscientiam suam, & sic Eucharistiam *ni præmic-*
 presumat accipere. *teada,*

VII. Ad tertium, & quartum Ca-
 stitatis munimentum contra tentationes
 ex ipsamet hominis carne provenientes
 digrediamur, quod est sobrietatis; &
 corporalis afflictionis seu discretæ morti-
 ficationis, siquidem enim à planta pe-
 dis usque ad verticem capitis non est in
 homine sanitas, quam non inficiat con-
 cupiscentiâ, & lex peccati adedò regnet
 in omnibus membris, ut unusquisque *Care cor-*
 suum circumferat laqueum, carnem sci- *ruptelæ il-*
 licet totius nequitix fomitem; de pec- *lecebra.*
 cato natam, ipsâ origine suâ corruptam,
 peccatis innutritam, illecebris infe-
 ctam, libertate effrænem, & quando-
 que pravâ consuetudine vitiatam, pla-
 nè sine continuo, & diligenti morti-
 ficationis studio, quocumque se verterit
 homo, proficere non poterit. Ipsa enim
 est hostis internecinus sine pace, intus

perniciosissimè blandiens , foris periculossimè sæviens : cui si plus, quàm oportet , tribuas , inimicum nutris ; è contra si necessitati ejus plus, quàm deberes, subtrahas , civem necas ; unde quidquid agas , illam cum spiritu in amicitiam conciliare non potes , semper enim hi duo conjunctissimi fratres , unus quidem liber , rationis compos, & prudens , alter verò totaliter infatuatus , stultus , ac servus inter se dissident , dicente quasi altero ad alterum , *non possum tecum vivere , nec sine te.* Quid ergo in tam ancipiti

Abstinē-
tiis morti-
ficanda.

Eccli. c. 33.
v. 25.

contentione agendum ? si Scripturam sacram consulis ; ecce tibi oraculum : *Cibaria , & virga , & onus asino ; panis , & disciplina , & opus servo.* De onere & opere contra otium (pulvinar diaboli) dictum superiùs : de cibariis & pane , de virga , & disciplina restat agendum.

VIII. Nôsti, duobus modis ardetes flammæ restingui : materiæ videlicet, ac fomenti subtractione ; & vel affusione aquarum, vel quâvis violentâ suppressione. De primo ita Mag. Gregorius ; in durissimis omnium Castitatis præliis *nul- lus palmam spiritualis certaminis apprehendit , qui in semetipso priùs per afflictam ventris concupiscentiam carnis iucentiva non devicerit.* Lamentari quis solet

S. Greg. 30.
mor. c. 26.

Solet de innumeris mundi illecebris, de infinitis occasionibus malorum, de prava societate, de diaboli astutia, de carnis infirmitate, de humanæ naturæ fragilitate, dicendo: castus esse vellem, sed nequeo; irritat mundus, instigat dæmon, occasio suadet, societas impellit, natura provocat, fragilitas deficit resistendo: miserum me, & infelicem; *quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Sed agis incassum, quisquis es, cui *Deus est venter, pulmo templum, aqualiculus altare, Sacerdos equus, Spiritus Sanctus nidor, condimenta charismata, & ructus Propheta;* incassum; ubi Fides in culinis calet, Spes fervet in cacabis, Charitas æstuat in cadis, & poculis, devotio flagrat in potu, extatici excessus fiunt in ebrietate, patientia, & abstinencia exercentur in distenti ventris nausea. Tu ipse excessibus tuis carnis fragilitatem confortas ad vitia, tu roboras, *tu armas, tu facis potentem, cum eam carnibus satiam vino nimis inundas, omni mollitie palpas, & ad illecebras nutris.*

Castitas uen-
dique im-
pugnata.

Rom. 7. 24.
Tertul. l.
de jejuniis.

Gula libidi-
nis fomen-
tum.

Origen.
hom. 9. in
Leu.

IX. Volve, mi chare Philothee, vitam Bedæ junioris, Sacerdotis primò secularis, dein Regularis, qui in aulâ Caroli Magni, inter mundanas delicias, occasionum illecebras, aliorumque societates, pro castitate inviolatè servanda

Polland. in
Vit. Apr.
n. 23.
Beda jun.
Sacerdos in
aulica vita
temperans,

omnia hæcenus recensita remedia æque fructuosè ac studiosè executus, suo exemplo docuit, etiam regales aulas (vitiatorum domicilia) posse fieri castimonie, aliarumque virtutum sanctuaria. Is enim in eleemosynis largus, in victu parcus, in sobrietate exercitatus, in jejuniis assiduus, in vigiliis pernox, à cultu corporis alienissimus, à sceminarum consortio profugus, orationibus adèd indefessè deditus erat, ut durissimo brachia & genua callo fuerint obducta. Ecce in Sacerdote terrefactissimam puritatis crystallum. Simile tibi ob oculos pono **MONOPHILE**, ex innumeris Religiosis, unicum hinc B. Dodonem, uti Ordinis Præmonstratensis, ita & corporalis mortificationis pro castitatis tutela speculum: præterquam enim quòd singulis diebus & noctibus quingentas profundas fecerit genuflexiones; corpus suum medium septem circulis ferreis, & brachia duobus circumcinxit, induto desuper cilicio, superinductâ etiam ferreâ loricâ, cum duabus tunicis lanelis pro interulâ & extimâ veste prædicta cooperiente: non nisi mattâ pro strato, & pro cervicali, ligno concavo ad dormiendum usus. Vnde, quia concupiscentias carnis vivus sic crucifixit, meruit,

ut

*Poll. in
Vit. 30.
Mart. n. 3.
S. Dodo
mortifica-
tionis spe-
culum.*

ut etiam in mortui corpore sacra vuln-
rum Christi stigmata apparerent.

X. Sed si vobis hæc admiranda po-
tius, quàm imitanda videantur exempla,
en MONOPHILE imitabilia quoad
abstinentiam ex SS. Hilarione & Hie-
ronymo, qui carni suæ, & corpori, tan-
quam jumento insipienti frequenter in-
geminârunt: *Ego aselle, faciam, ut non
calcitres; non te, hordeo pascam, sed pa-
leis, fame te conficiam, & siti, gravi
onerabo pondere, ut cibum potius, quàm
lasciviam cogites.* Ita saltem ordinata

tuæ Religionis jejunia cole, vigiliis ama,
quandoquidem sicut *somnus somnum
adescat, ita vigilia vigiliis pariunt*; in-
ordinatos superfluitatis in cibo potuque
appetitus coërce, famem duntaxat in
mensa communibus non gulam delica-
tioribus ferculis obsonare assuesce, & fa-
cilè obtemperantem tuum senties asel-
lum. Tuque PHILOTHEE prudentissi-
mum sobrietatis frugalitatis, & absten-
tiæ modum pro castitate conservanda di-
sce à Purpurato Antistite Carolo, qui
primò unius per hebdomadem diei jeju-
nium inchoans, successivè adjiciendo se-
cundum, dein tertium hebdomadatim
diem, & quartum, abinde gradatim pro-
gressus ad neglectum carniùm, quando-
que ad vini, & melioris ferculi carentiam,

Facilis mo-
dus mortifi-
cationis
Religiosæ.

Abstinen-
tia S. Ca-
roli grada-
tim,

ita sese ad perfectæ abstinentiæ rigorem assuefecit, ut deinceps non nisi semel in die, & plerumque solo pane, & aquâ contentus, nullâ interim pastoralium functionum parte intermissâ, reficeret. Nempe non ignorabant hi sancti, *quòd de abstinenti procedunt casta cogitationes, bona voluntates, salubria consilia, ac per voluntaria afflictiones; caro concupiscentijs moritur, & virtutibus spiritus innovatur.* Hec quoad remedium subtractionis fomenti, ad restringendum ignem.

X. Superest, ut de affusione aquæ in voracissimam Veneris flammam (præter insinuata priore N. VIII.) aliquid adijciamus, quæ est afflictatio corporis per vigiliis, humi cubationes, algores, æstus, urticas, flagella, cilicia, loricas, aliaque similia; quibus in rimis supra memoratus Sacerdos, & Pontifex severissimè castigavit corpus suum, & non solum asseribus nudis, aut paleis indormiendo, somnique tempus nocturnum ad quatuor duntaxat horas restringendo, sed etiam sævissimis flagellis dorsi sui purpuram proprii quoque sanguinis ostro tingendo, in servitutem redegit. Alijs stupendis mortificationibus usi Sacratissimi Religionum Antesignani, Benedictus impudicâ tentatione vexatum juvenile corpusculum in vepres; Sera-

S. Leo
serm. 2. de
jejun.

Illus alio-
rumque SS.
mortificat.
corporal.
exempla,

Seraphicus P. Franciscus in nives ; S. Ignatius Lojola non proprii , sed alieni incendii causâ in stagnantes , geluque rigentes fluvios , prodigiosissimus Paduen-
 sis Antonius in ardentibus prunas titillata corporis membra conjicientes , per ignem , aquam , & effusum largissimè cruorem eduxere in castitatis refrigerium. Quibus denique Thavmaturgus ille Dominicus accensendus , qui non modò ter singulis noctibus flagellando , sed per quadragesimam ad prolixissimas preces quadragesies quinquies mille ictibus in innocentes suos artus delæviit. Quid tu ad ista PHILOTHEE ? Ecquid tu MONOPHILE ?

XII. PHILOTH. Sit verbo venia , dicam , quod censeo , videntur hujusmodi Sancti nimis atroces , ac prorsus inhumani carnis suæ tam teneræ , tam amicæ , tam inseparabilis , & individui comitis osores fuisse , penè dixerim , tyranni ? neque enim caro humana (*caro anea est.*) Unde existimem , illos debitæ discretionis terminos excessisse. Job. c. 6.
v. 12.

MONOPH. Quamvis istos proceros Sanctitatis Gigantes , aliosque plurimos vitam multum rigidam duxisse agnoscamus (nam illi à Spiritu Sancto plenius illustrati sciebant , Deo placere

Blos. 1. in-
fit. spirit.
c. 2.

Rom. 12. 1.

Mortifica-
tionis di-
cretio.

Carnes sa-
le resper-
gendi usus,

ceré, ut ita viverent) docet tamen pi-
simus Blosius, inusitatam vitæ auste-
ritatem non esse temerè amplexandam,
cum enim *rationabile obsequium no-
strum* esse debeat, multi autem fervo-
rem, quem in initio suæ ad Religionem
conversionis secuei, naturam ultra mo-
dum in hac parte gravârint, seque ad va-
eandum Deo, & proximorum saluti per
publicas functiones, ineptos reddiderint,
ideo censeo, in omnibus discretionem
virtutum matrem esse observandam.

XII. THEOPH. Ut pauca ad opinio-
nes vestras replicem; cur, (putatis)
recentissimæ etiam animalium carnes
sale conspergi solent?

MONOPH. Arbitror, ne propter
humorum abundantiam fœteant, & pu-
treferant.

THEOPH. Rectissimè judicâsti.
Sed eodem prorsus modo, nisi huma-
na caro flagellis atteratur, ciliciis fri-
cetur, heroicis actibus exerceatur, mor-
tificationum sale conspergatur, absti-
nentiis, jejuniis, inediis siccetur, sta-
tim in mollitiem, & fœtorem luxuriæ,
peccati que putredinem diffluit: & cum
tanta sit carnis, & animæ propinquitas,
imò conjunctio, necesse est, alterius
vitiis alteram quoque infici, vigenté-
quo

que , ac florescente juvenili carne indomitâ , spiritum quoque incaffari , dilatari , & recalitrare : ideóque prædicti , & alij Sancti , & Sanctæ corpora sua tam dirè coërcebant. Sed neque cogites , velim , me adduxisse prædicta exempla , ut tibi per ea quidquam extraordinariæ , ac similis austeritatis consulere velim , ad discretionis terminos excedendos ; verùm æqui , bonique consule , quæ dicam : optarem , ut te examinares , an non fortassis tuæ cuti plus æquo timeas , quæcunque minima , corpus , carnemve morsicantia , non jam dico , cilicia , aut thoraces cilicinos , catenas , urticas , aut flagra , sed levissimum quemque dentium , capitivè dolorem , sive (ut ita loquar) pulicis morsum abhorrendo , veluti continuo fatalem tibi morbum , aut mortem , allatura essent immeritam , vel immaturam. Valde vereor , ne aliquorum Religiosorum , quam sic vocant , **INUSITATA** vitæ austeritas , vel **USITATA** potius laxitas hæc sit , desiderare , cibo , somno , otio , jocis , recreationibus , aliisque corporis commoditatibus ad plenam satietatem posse indulgere ; & è contra studium , laborem , cellæ solitudinem , silentium , & si quæ sunt carnis libertati adversantia , abhorrere.

Sancti cur
sibi tam ri-
gidi?

Faciles mo-
di pro Cle-
ricis se mor-
tificandi,

XIV. Et te, PHILOTHEE, cupiam sanctiora de sanctissimis viris acciter in corpus suum savientibus sentire, quàm ut discretionis modum excefferint, cum alij pro obstinatorum peccatorum conversione, alij pro animarum purgatorij refrigerio innocentis sui sanguinis rivulos elicuerint, multi in memoriam cruentissimæ passionis Christi, omnes autem ex internâ divini Spiritûs motione, & ad imitabile, promodulo saltem cujusque, exemplum id fecerint. De reliquo absolverem lubens quemcunque de Clero Ecclesiastico, ab omni crimine excessûs, aut imaginariæ indiscretionis erga seipsum, etiamsi verbi gratia, pro excutiendo nimii somni tempore maturius manè corpus è plumis erigeret, quàm sol matutinus per fenestras ad interiora cubiculi illuxisset, aut si de nobili Canonorum numero est, citius ad divina Chori officia festina-
ret, quàm tantam temporis moram in otiosis negotiis traheret, donec ultimum signi minutum elapsum sit: aut non ita delicatè aqualiculo curando intenderet, quin saltem feriâ sextâ & Sabbato in Jesu Christi pro se crucifixi, ejusque sanctissimæ Matris Advocatæ suæ honorem, hebdomedario jeju-

nio gulam defraudaret , ac præteritorum fortè excessuum noxas expiaret. Vel ad utilissimum temporis impendium quotidie unâ ad minimum sacratissimi Rosarii parte , vel supererogatorio B. Mariæ Virginis officio , ac piâ quâdam meditatiunculâ , exactoque suæ conscientiæ examine faciendis & persolvendis ô quàm sanctè ! ô quàm fructuosè & suaviter se assuefaceret , uti multos è Sacerdotibus illius longæ æternitatis memores , agere nullus dubito. Imò neque ulli foret pertimescendum , quòd casum reservatum committeret , si semel , aut bis in septimanâ pro utilissimo , & fortè etiam necessario castitatis remedio , aut lumbos suos cilicio fricaret , aut robustum & juvenile dorsum flagello exercens , bullientes carnis pruritus compesceret. S. ^{mum} Antistitem Udalicum , maximè ingruente carnis tentatione , imitando , qui à puero omnes fœminas fugit , appropinquantem Cupidinem cilicio absterruit , Veneris flammam immisso in accensum lumen digito , extinxit. Quid , quæso , inusitate rigoris in similibus facillimis , sanctissimisque exercitiis subesset ? Et tamen per hæc exigua respectivè , ingentia sibi virtutum , perfectionis & gloriæ merita compararent Sacerdotes ; certamque suam

Pia Sacerdotum exercitia.

S. Udalicus veneris domitor.

Moderate carnis mortificationes.

am facerent prædestinationem. Nolite ergo Dilectissimi (ut concludam) intemeratum castitatis lilium quærere vel in mollibus plumis & pulvinaribus , vel in tricongiis & ferventibus ollis , quam præfati Sancti non nisi in aquis , in spinis , in ciliciis & flagris invenerunt.

MEDITATIO XXI.

De aliis mediis , & adjumentis Castitatis , à doctrina , & exemplis Christi , & Sanctorum.

*Text. Reg.
c. 4. instr. 2.
35. 36. 37.
6. 64. 13.
1. 57.*

Delicias non amplecti : Non esse violentum : non multum edacem : non somnolentum ; non concupiscere : amare castitatem : amare jejunium : corpus castigare : orationi frequenter incumbere.

Prælud. Imaginare , qualiter Christus suis Discipulis conquerentibus , se non potuisse ex obfesso juvene , frequenter in ignes , & aquam præcipitato diabolum eijcere , responderit , *hoc genus demoniorum non eijcitur , nisi per orationem , & jejunium.* Scilicet Asmodæus , luxuriæ spiritus.

*Matth. 17.
20.*

*Modi extinguendi
veneris ignem.*

Punct. I. Consid. I. Sicut ignis duobus modis extinguitur ; subtractione materiæ , & superfusione aquæ , ita Veneris

neris flammam restingui 1. per fugam
 occasionum, conversationis, familiarita-
 tis, aspectuum, tactuum. 2. Per sub-
 tractionem alimenti, gulæ superfluita-
 tis, crapulæ, otii, somni, tepiditatis,
 & negligentia rerum divinarum. 3. Per
 vigiliis, cilicia, disciplinas, jejunia,
 duriores cubationes, aliaque corpus
 molestantia.

Ah, Deus! agnosco jam causam,
 cur mihi quandoque accrescat tam dif-
 ficilis pro castitate lucta, quia corpus
 meum, hostem domesticum nimis tene-
 re foveo, & curo; sed aliter imposte-
 rum tractabo illud, ceu asinum, pascen-
 do non hordeo, sed mortificationibus
 castigando, ut in servitutem redigam.

Punct. II. Confid. Altero modo ig-
 nem extingui, scilicet aquâ infusâ, sic li-
 bidinis flammam oratione ad Deum.
 Hæc autem debet 1. esse humilis, uti
 Publicani. 2. Frequens, sicut Apost. Pau-
 li dicentis: *Datus est mihi stimulus carnis*
&c. propter quod ter rogavi Dominum
&c. 3. Fervens, & pœnitens, sicut Mariæ
 Magdalenz. 4. Perseverans, sicut Cana-
 nez. His enim quatuor qualitatibus in-
 structa oratio, omnia tela nequissimi
 ignea retundet.

Verè fateor meam hîc orandi negli-
 gentiam. Fuit David sanctissimus, Sa-
 lomon

Per oratio-
 nem cum
 suis qualita-
 tibus.
Luc. 18. 13.
2. Cor. 12. 7.
Luc. 7.
Matth. cap.
15.

Iomon sapientissimus, Samson fortissimus, & tamen lapsi sunt: & ego non timeam? Christus dicit: *Non eicitur hoc genus &c. nisi in oratione &c.* Et ego ad illam torpescam?

Christi &
B. Virginis
mortifica-
tiones cor-
porales.

Punct. III. Confid. Christi Domini exemplum. 1. In mortificatione sui innocentissimi corporis, in nativitate, circumcissione, fugâ, exilio; in jejuniis quadragesimali, laboribus, defatigationibus &c. 2. Quando integras noctes duxit insomnes in oratione. 3. Aspice quoque immaculatæ MARIÆ Virginis exemplum, jejunia, abstinentias, vigiliis, solitudinem, oculorum continentiam, modestiam, orationis frequentiam, cui quotidie tertiam diei partem impendit. 4. Respice Sanctos omnes supra memoratos, in spinis, aquis, igne, & flagellationibus castitatem curantes & conservantes.

Erubescere mea anima, si sub talibus spinis, & Ducibus cuperes membrum esse delicatum. Ecce Christum JESUM in cunis, in caula, in ligno, in Cruce; ecce Sanctos istos castitatem querere in vepribus, in igne, aquis, & rigoribus, & tu mera peccati sentina putes, illam securam fore in plumis in otio, ingluvie, & pleno ventre? Quid hoc est

est aliud, quam ignem velle extingue-
re, & ligna, vel oleum apponere?

Vade igitur, & sanctè in corpus tuum
excandescens, dilce lectionem S. P. BE-
NEDICTI in initio præscriptam, & ut ab
illicitis præserveris, etiam licita nonnun-
quam tibi præscinde.

CONSIDERATIO I. POMÈ- RIDIANA.

*De Orationis præsidio contra tentatio-
nes Diaboli.*

Quamdiu in hoc mundo vivimus, sine *Ex Ger. 1.*
tentatione esse non possumus: ideo u- *1. e. 13. 1.*
nusquisque sollicitus esse deberet circa ten-
tationes suas, & vigilare in orationibus;
ne diabolus inveniatur locum decipiendi,
qui nunquam dormitat. Verùm ideo non
debemus desperare, cum tentamur, sed eò
ferventius Deum exorare, quatenus dig-
netur nos adjuvare.

CONSID. II.

*De refrenandis carnalibus Con-
cupiscentiis.*

Quam breves, quàm falsa, quam in- *1. ad 3. 12.*
ordinata, & turpes sunt omnes *n. 3. 15.*
delectationes carnis! Ex eadem re,
unde

unde homines saculi sibi delectationem concipiunt; inde doloris pœnam frequenter recipiunt. Verumtamen præ ebrietate & cœcitate non intelligunt, sed velut muta animalia propter modicum corruptibilis vite delectamentum mortem animæ incurrunt. Tu ergo Fili, post concupiscentias tuas non eas. Si remurmurabit caro, fervore spiritûs frenabitur. Si instigabit & exacerbabit te serpens antiquus, oratione fugabitur.

Die Octavâ.

De Voto Obedientiæ.

MEDITATIO XXII.

De eminentissima præcellentia virtutis Obedientiæ.

Textus Reg.
in initio
Prolog.



Usculta, ô Fili! præcepta Magistri, & inclina aurem cordis tui, & admonitionem patris libenter excipe, & efficaciter comple: ut ad eum per Obedientiæ laborem redeas, à quo per Inobedientiæ desidiâ recesseras.

Præludium. Imaginare Regem Saulem Dei mandatis inobedientem, sed & contra multas ipsi victimas offerentem, redargutum fuisse à Samuele Propheta his ver-

Verbis: *Melior est OBEDIENTIA, quam
victima*: regnoque eapropter privatum
excidisse.

Punct. I. Confid. Meliorem esse O-

bedientiam omnibus victimis, & sacri-
ficiis. 1. Quia victimæ sunt oblatio
spontanea, Obedientia verò est neces-
saria de præcepto. 2. In victimis offe-
rebatur sacrificium mortuum, & caro
bestiarum, per Obedientiam sacrifici-
um fit vivum voluntatis rationalis, ac
propriæ. 3. Esse quoque meliorem ip-
sâ Paupertatis, & Castitatis virtute
nam per paupertatem offerimus quasi
flores arboris, scilicet bona tempora-
lia; per castitatem fructus arboris,
per Obedientiam verò arborem totam
cum radice, & fundo. 4. Illic relin-
quuntur bona externa fortunæ, hæc bo-
na delectabilia corporis; per Obedien-
tiam verò bona intima intellectûs, judi-
cii, & voluntatis. 5. Per illam supera-
tur mundus, per istam caro, per hanc
homo ipse à seipso.

O holocaustum medullatum Domi-
no in odorem suavitatis! dicam Deo
meo: *Sacrificium, & oblationem noluit,*
aures autem (ad obediendum) perfecisti
mibi: tunc dixi, ecce venio, & in auditu
auris obedio.

Punct. II. Confid. Obedientiæ inesse

Præstantia
obedientia
super om-
nes victi-
mas.

Et super
virtutes
paupert. &
castitas.

Psalm. 39

Obedien-
tix poten-
tia.

Josu. 18.

Genf l. 1.

9. 3.

Item l. 3.

13. 2.

Illius meri-
cum ingens.

1. miraculosam potentiam in omnes
fermè creaturas, patet in exemplo S.
Mauri aquis inambulantis, & in alijs
proximè in Digressione adducendis.
2. Aliquam insuper quasi omnipotentiam
contra ipsum Omnipotentem De-
um, patet in Josue, qui non prateriens de
*universis mandatis Dei, ne unum quidem
verbum, solis cursum stitit, obediante Deo
voci hominis obedientis.* 3. Magnam quo-
que securitatem: obediens enim omnem
solicitudinem, curam, & onera in suos Su-
periores rejicit.

Agnosco sanè hanc esse ipsissimam veri-
tatem: *Audivi etiam saepe; securius esse
audire, & accipere consilium quàm dare:
sed quia nimis adhuc inordinatè me dili-
go, idco me plenè aliorum voluntati resig-
nare trepido,*

Punct. III. *Consid.* Obedientiæ me-
ritum esse etiam incomparabile. Nam
1. superat omnia spontanea opera, ci-
tra tamen obedientiam facta. 2. Eti-
am reliquas virtutes, ipsumque marty-
rium nullius pretii esse, nisi referantur
in ordine ad exequendam Dei volun-
tatem. Econtra minima, & indiffe-
rentia opera, uti sunt comedere, dor-
mire, ambulare, per obedientiam fie-
ri maximoperè meritoria. 4. Sine il-
la ingrata esse Deo omnia alia opera,
quam

quamvis ardua, in quibus invenitur voluntas propria.

Quin igitur ex hac hora intentionem meam, & votum meum renovo, & rursus, ô Domine Deus! omnem meam voluntatem, & possessionem illius tibi soli, ac propter te Superioribus meis sacrifico?

Ita faciam: & hæc addat mihi Deus, ut semper cogitando, me non venisse, ut facerem voluntatem meam, sed tuam Domine, qui fecisti me, & Superiorum meorum, qui susceperunt me, revertar per obedientiæ laborem, fructum, & meritum, unde per inobedienciæ desidiam recessi.

DIGRESSIO XV.

De eadem præstantia, merito, & perfectione Obedientiæ.

THEOPHOBUS.

(I.)

Quod olim Israelitarum Dux Moyses Pharaoni suggessit dicens: *Deus Hebræorum vocavit nos, ut eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro.* Hoc ipsum vo-

Exod. c. 5.

Z 3

bis

Sacrifican-
da propria
voluntas.

bis ex Ægyptiacâ mundi, & peccati ser-
vitate egressis statuendum, iter nempe
viæ Illuminativæ trium dierum spatio
conficiendum, ut acceptabile Deo sacri-
ficium offeratis. Emensi estis hæcenus
bidui viam; sacrificâstis Domino tem-
porales substantias sive per paupertatem,
sive per rerum mundanarum contem-
ptum, consecrâstis carnem per castita-
tem: restat, ut ipsum quoque propriâ
judicii, & voluntatis caput in victimam
offeratis per obedientiam in præceptis,
ac per patientiam in adversis. Hoc e-
nim solo nullum Omnipotenti gratius,
æquè ac dignius sacrificium est. Vultis
nôsse, quàm dignum, quàm gratum, &
supereminens? attendite diligenter ad
sequentia puncta.

Blos. in
spec. spirit.
c. 2. Et ta-
bella spi-
rit.
Meritum
obediencie
ex minimis
actibus.

Primum ita se habet: Parati sitis sem-
per ad obediendum, melius enim est,
ex simplici obedientia quisquilias col-
ligere, urticas, & zizania extirpare,
quàm ex propria voluntate, sublimi
rerum cœlestium contemplationi ope-
ram dare; & plus divini favoris obti-
ner, qui ex pura obedientia sobriè,
continenterque ad laudem Dei man-
ducat, quàm qui rigidissimam absti-
nentiam ex propria voluntate ample-
ctitur.

Secun-

Secundum : Possēt aliquis sub uno momento tam humiliter , ac purè propter Deum obedire , propriamque exire , & abnegare voluntatem , ut amplius veriùsque in Deum sine medio duceretur , quàm si toto decennio in proprijs conceptibus , atque institutis magnacum devotione vixisset.

Taulerus
apud Blof.
in Apolog.
c. 6.

Tertium : Si quis Dei munere ad tam altum dignitatis gradum pervenisset , ut Deum re ipsa semper visibiliter præsentem , secumque habitantem haberet , is , si ad ali- quod opus obedientiæ evocaretur , humiliter Domino dicere deberet : Eja suavissime Deus ; permittite me , obsecro , hanc obedientiam tui amore perficere . Certe humilis ista propriæ voluntatis abnegatio in illo homine multò gratior , jucundiorque Deo esset , quàm si ille idem tunc cum omnibus beatis Spiritibus cælum penetraret.

Idem loc.
cit.

MONOPH. Sublimia hæc , & planè meo cordi altissimè inscribenda sunt Obedientiæ elogia . Verùm circa hanc virtutem duas enodari cupio obscuritates ; prima est , cur B. P. Benedictus obedientiam appellet *Arma fortissima* . Secunda , cur itidem *Arma præclara* ?

PHILOTH. Cupio & ego non minus informari , quomodo Obedientiæ præclarissima virtus etiam Sacerdotali

An obedi-
entia solis
Regulari-
bus com-
petat?

statui congruat? hæc enim omnia, quæ
in illius encomium attulisti, solos Reli-
giosos attingere videntur. Facile au-
tem, quis dixerit, Sacerdotes, præ-
cipuè Præpositos, Decanos, Cano-
nicos, & animarum Curatores potius
dominari, quam subesse, & regere, quàm
regi; unde & Rectores passim vocan-
tur.

Omnes cre-
aturæ ha-
bent subje-
ctionem.

THEOPH. Satisfactorius vestris qua-
sitis, ante omnia scire vos volo, Obe-
dientiæ virtutem omnibus omnino sta-
tibus mundi, nullo prorsus excepto,
competere, siquidem perfectissima re-
rum creatarum hierarchia ita à supremo
Moderatore constituta est, ut omnes, à mi-
nimâ quâvis, altera semper alteri per subje-
ctionem quandam, seu inferioritatem sub-
ordinentur, usque ad absolutissimum solius
Dei dominium.

Subditi de-
bent Supe-
riori amo-
rem,

III. Debet itaque (ut Philotheo pri-
us respondeam) debet quilibet inferi-
or, respectivè subditus Sacerdos (vi-
delicet Capellanus in ordine ad suum
Parochum, Canonicus ad Præpositum,
animarum Pastor ad Decanum) suo Su-
periori imprimis *Amorem*, & obsequia,
non secus, ac brachia, & manus om-
nium functionum capitis coadjutrices
ipsi cooperantur, ac deferunt: & ca-
put è contra provide manus, & brachia

tractat, fovet, atque conservat, non tanquam aliena, sive mancipia, sed necessaria sibi commembra. *Amorem* comite-
 tur *Reverentia*, honor, respectus, ac bona existimatio; cum enim justitia virtus sit, quod suum est, unicuique tribuens, *tribue ergo tribus, qua sua sunt: Redde Superiori, redde inferiori, redde aequali cuicunque, quod debes. Redde reverentiam Pralato & obedientiam*; quorum altera cordis, altera corporis est; nec enim sufficit exterius obtemperare Superioribus, nisi ex intimo cordis affectu sublimiter sentiamus de illis. *Reverentiam* compleat *Obedientia* in exequendis prom-
 ptâ, ac facili voluntate ordinationibus sui Superioris: de quo ita Basilus Mag. Si Paulus Apostolus Christianos, & Dei Filios jubet subditos esse etiam infidelibus, & impiis, qui humanâ lege imperandi potestatem acceperunt, qualis obedientia ei debetur, qui à Deo ipso constitutus Præses, à legibus divinis potestatem accepit? Vides ergo nec Sacerdotes ab immenso supra adducto *Obedientiæ* merito excludi, quando ordinata sibi, *Amoris, Reverentia & Obedientia* intuitu exequentur, quorum tenentur obligatione.

Ac Reverentiam.

S. Bern. serm. 3. de Adv.

Et obedientiam.

S. Basil. Constit. Mor. c. 23.

IV. Ad primam MONOPHILI
 propositionem dico, eâ de causâ di-
 Z 5 VUM

Obedientia
actus eius
dicantur
arma for-
tissima?

Participat
de omnipo-
tencia Dei

Obedientia
miracula
grandia
Ex Menol.
23. Aug.

Ex cod.
18. Janu.

vum Legislatorem Obedientiam vocare *Arma fortissima*, vel quia diabolus nihil plus odit, & magis in subdito quovis impugnat, quam obedientiam veram, tanquam validissimam contra se armaturam: vel quia magnis conatibus impossibilia quævis aggreditur, obstacula omnia pertrumpit, nihil sibi invium putat, elementa transcendit, creaturis omnibus imperat: vel dicas, Obedientia arma esse fortissima, quia ipsa, nescio, quid de omnipotentia divina participat, ipsum invincibilem Deum vincendo, & ligando Omnipotentem. *Si enim*, inquit Gregorius Mag. *Obedientes eritis Præpositis vestris, obediet Deus orationibus, ac voluntatibus vestris.* Quod si hæc tibi supererogatorie probari cupis; ecce tibi pauca è millibus Omnipotentis obedientia exempla. Chagnoaldus Benedictinus ex Abbatis jussu solitudinem vastissimam ingressus, ferocissimam beluam sibi occurrentem adortus, cicurem reddidit, & quasi rationis capacem solo, quod voluit, nutu circumduxit. S. Maurus Placidum aquarum impetu raptum à Divo BENEDICTO de lacu, & interitu jussus extrahere, sine mora succurrit, & ecce unda præceps simplici obedientia, quasi firmissimum pontem,

tem, se solidam præbuit, atque calcabilem.

Paulus (postea Virodunensis Episcopus) *Ex eod. 8.*
ne deficiente ad cœnam pro Fratribus pa- *Febr.*

ne, in pinsendo moram faceret, ejecto
raptim igne clibanum æstu ferventissimum
ingressus, pro scopis eundem cucullo il-
læso, & illæsus repurgavit, panes aptè
composuit, & curavit, in ipso furno
existens. Quid dicam de beatissimo illo

S. Galli Discipulo, ac socio re, & nomi-
ne, præcipuè autem Obedientiæ virtute

MAGNO, qui vino ex dolio hauriendo,
detentus, cum Abbate vocantem *ex oc-*
cupatis manibus, & quod agebat (dolio
nondum occluso) *imperfectum relin-*
quens, vicino obedientiæ pede jubentis
vocem sequeretur, ipso stupente, & at-
tonito quasi ad tantæ promptitudinis mi-
raculum vino, redux, nec guttulam in
terram fluxisse invenit. Hæc sunt ergo
fortissima illa Obedientiæ arma quibus
bestiæ, ignis, aqua, & cuncta elementa
triumphantur.

V. Quid dico de elementis, &
bestiis, si vel ipsis mortuis omnipotens
imperat obedientia, & morem gerunt.
Præcepit civi Glaronensi in Helvetia Ur-
so nuncupato, dudum mortuo, S. Frido-
linus Abbas, ut ad dandum sibi de cer-
tis bonis Monasterio legatis coram ju-
dice testimonium è tumulo surgeret

Ih. 6. Sept.

Ex Reg. c. 5.

S. Fridoli-
nus virtute
obedientiæ
morem
suscitat.

obe.

obediit mortuus, prodiit, ad distantem pagum cum Sancto processit, dixitque contra proprium suum fratrem ea bona denegantem, testimonium, & suam iterum repetiit tumbam. Evocavit è tumulo B. Stanislaus Cracoviæ in Poloniâ Episcopus Petrum quendam triennio ante sepultum, ad perhibendam coram Boleslai Regis tribunali fidem, de agro à se vendito & pretio ritè sibi ab Episcopo per solito. Obtemperavit triennalis mortuus, & redivivus exurgens, Antistitem sanctum ad Regium sequitur tribunal, datæque desuper publicâ fide, rursus in pace quievit.

PHILOTH. Si licet & meam conferre symbolam. Vidi aliquot abhinc annis Bononiæ in Italia sacrum Corpus Beatæ Catharinæ dictæ Bononiensis (de quâ jam supra mentio facta est) per ferrea clatra mihi ostensum in ornatissimâ sede collocatum, adhuc penitus incorruptum, quod, tametsi semper flexibilibus membris esset, cum in novum sedile quatuor infra rotulis sustentum, ut quasi in currili rhedâ facilius huc vel illuc transvehi posset, reponi deberet, totum quantum obrigit, nullo flexibilitatis membrorum relicto indicio. At cum Superiorissa illi mandasset, ut sub Obedientiâ se in dictam sedem

Sic S. Stanislaus Ep. triennalem mortuum.

Corpus mortuum obediit justificationi Superioris.

sedem locaret, mox Corpus erectum, & rigescens de se molle & flexile red-
ditum ultra subdidit, & se aptissimè in
dictum sedile accommodavit. Ita li-
bellus de ejus vitâ, cum particulis tu-
nicæ, & veli capitis istius Beatæ mihi ab
illis Sanctimonialibus dono datus per-
hibet. Ideo lubens veneror absolu-
tum & potens S.æ Obedientiæ in o-
mnia creata viventia & mortua domi-
nium.

VI. THEOPH. Optime ad rem
interlocutus es. Sed quid foret, Ec-
clesiasticum, seu Regularem Christi mi-
litem obedientiæ merito de feris, de bel-
luis, de cælo, vel terrâ, de vivis & mor-
tuis præclaras reportare victorias, nisi
eundem hæc præstantissima virtus jam
omni panopliâ instructum, & obarma-
tum doceret, semetipsum generosè vin-
cendo, motus omnes sub rationis im-
perium fortissimè subjugando, adver-
sitates quascunque invictissimo Marte su-
stinendo longè præstantiùs, quàm de ipsis
elementis triumphare? Sanè

Obedientia
docet
seipsum
vincere.

*Fortior est, qui se, quàm qui fortissima
vincit Mænia:*

Docet ergo Obedientia Magistra Re-
ligiosis immanem mundanorum in se
affectuum catervam prostrernere, atque
indo-

Quid doceat Regulares? quid Sacerdotes.

Eph. 22.

indomita propriae voluntatis, & iudicii (ceu Hydrae) capita amputare. Docet Sacerdotes bonitatis, & disciplinae militiam prius in se ipsis exercitare, ut per scientiam, & praxin calleant curae commissos ad spirituales pugnas instruere. Docet Religiosos *veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, deponere*. Sacerdotes verò tunc animarum regimen acceptare docet, atque *Ecclesia Dei diligentiam* adhibere, quando, subactis in se tentationum bellis, intimam tranquillitate securi domus *suae praesse* didicerunt. Docet, dico, Religiosos in nulla ad se non spectantia officia, vel negotia saecularia immiscere; Clericos verò non affectare, ut praesint, sed virtutibus pollere, ut profint, & ad animarum curas assumendas non nisi vocatos à Deo, adscitos à gratiâ, Impulsos à Spiritu Sancto, & velut invitos venire.

Regul. c.
4. instr.
61.
c. 5.
Obedien.
Religiosæ
capita.
c. 7. gr. 4
c. 68,

VII. Docet, ac jubet Religiosum. *praeceptis Abbatis IN OMNIBVS OBEDIRE, & quidem, SINE MORA: moram nescire, & quod jubetur, non tardè, non tepidè, non cum murmure in ore, vel corde, non cum malo animo facere: in ipsa obedientia duris, & contrariis rebus patientiam amplecti, non lacescere, vel discedere: & si cui aliqua fortè gravia.*

ant

aut impossibilia injunguntur, suscipere cum omni mansuetudine, & obedientia jubentis imperium, non resistendo, non contradicendo: Neque solum Abbati, & Superioribus se promptum, velocem, & hilarem exhibere, sed etiam sibi invicem certatim pro Dei amore OMNI OBEDIENTIA se subdere, scilicet non uni solum, non duobus, aut pluribus, non ista solum vice, non hac tantum in re, sed OMNI excogitabili, sine lege, sine termino, sine fine, sine mensura, ita ut non sit alius Obedientiae limes, quam terminus vitae, juxta Unigeniti Filii Dei exemplum, qui factus est Patri obediens usque ad mortem.

c. 71. § 721

c. 7. gr. 3.

VIII. Postremò docet Sacerdotes Superiores suos (quos Divos Carolus Borromæus Congregationum Præfectos, intellige Capitulorum Præpositos, & Rectores; appellat) *observare, quasi locum Dei gerentes: illis obedire promptè, & interno animi affectu mentem suam conformare, ita ut non sint proprii judicij, & voluntatis sectatores: murmurationes, quibus eorum auctoritas laedi, vel susurrations, quibus mutua charitas refrigerari posset, non aliter, quam pestem Congregationis, & omnis disciplina fugere: grato animo suscipere, si ea, quæ in ipsis notantur, Superiori manifestentur.*

Obedien-

tiae Clericor-

um unctio-

Ex ejusd.

constit. c.

3. reg. 1. 3.

4. 5.

iur:

tur: etiam animo grato suscipere, si corrigantur & reprehendantur, & quantum in se est, etiam juvare aliorum correctionem: temeraria de confratribus iudicia summè cavere, omnemque simultatem malevolentiam, amaritudinem, atq; invidiam. O insignia talis Magistræ documenta!

Zelosi Sacerdotes
persecutionibus obnoxii.

2. Tim. 4. 5.

Ezech. 23.
& seq.
Sint animo fortes.

2. Cor. 4. 6.

IX. Et quoniam strenui in militiâ Domini operatores, ac populi duces plurimorum censuris, calumniis, obrectationibus, imò & persecutionibus expositi sunt, maximè eorum, qui vel Ecclesiæ jura, sive immunitatem, aut bona sacrilegè invadunt, vel à veritate auditum avertentes, sanamque non sustinentes doctrinam, ad sua libentiùs desideria coacervarent sibi Magistròs prurientes auribus; idcirco hujus eximix virtutis *Arma fortissima* eodem ita validè muniunt, ut constanti, invictoque mentis, ac spiritûs robore non vereantur etiam inter *gentes apostatrices, durâ facie, indomabili corde, irritatores, subversores, incredulos, domum exasperantem, ac scorpiones*, instando opportunè, importunè; arguendo, obsecrando, & increpando se murum æneum, atque civitatem munitam pro domo Dei opponere, & exhibere in omnibus sicut imperterritos Dei Ministros **IN MULTA PATIENTIA, & tribulationibus, in necessitatibus**

tibus, in angustiis, in plagis, in carceribus; in laboribus, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in verbo veritatis, in virtute Dei? qui si mundo placere studuissent, si blandiri nobilibus, si adulari vitiosis & scandalosis, Deo non placuissent, si non placuissent, non placissent; Christi servi, Mediatores Dei non fuissent, multo minùs Vicarij, speculatores, animarumque Pastores; sed mercenarij fugitivi, declinantes ad avaritiam suam, speculatores cæci, canes muti, non valentes latrare, dormientes, & amantes somnia.

Isai 56.

X. Es his jam sole meridiano clariùs elucet, quàm præacta Obedientiæ arma non modò *fortia* nuncupata sint, sed æquè *præclara*. *Præclara* nempe, ac præclarissima; quandoquidem Obedientia omnis justitiæ, & perfectionis origo vocatur, virtutum dux & magistra, mater charitatis fraternæ, concordiæ genitrix, tranquillitatis portus, securæ mentis iuge convivium; recta ad cælum via, Spiritûs Sancti domicilium, castitatis umbraculum, innocentæ ornamentum, omnium bonorum operum fidelissima custodia, Christianæ perfectionis consummatio, Monachorum gloria, veri Religiosi tessera, unicum Ecclesiasticæ & Monasticæ disciplinæ firmamentum, ve-

Obedientiæ insignia præconia.
S. Aug. 1. 4. de civ. c. 10.
S. Hier. 6. Tritem. loc. cit. 6. hom. 20. de vera Obed.

A a

ri Chri-

Est incruentum Martyrium.

*Trithe.
loc. cit.*

*Æternæ
gloriæ ref-
sera.*

*Ex Menol.
s. Mart.*

ri Christiani signaculum, Apostolici Salvatoris discipuli character, certa sanæ mentis securitas, & æternæ salutis arbor. Omnium salus fidelium, omnium parens virtutum, omnium cibus Sanctorum, per quam Martyres ad palmam martyrii pervenerunt. Quodque rei caput est, Obedientia maximè Religiosa verum est sine sanguinis effusione martyrium, nam quia arduum valde opus, laboriosum nimis certamen, & ingens carnis tormentum est, liberum hominem seipsum despiciere; ad perpetuam se Religionis Obedientiam obligare, se totum, & voluntatem omnem suam sub imperio, ac potestate alterius perpetuò resignare; hinc coronam, quam Sanctis martyrium pro Christo quondam contulit, hodie veris Christi amatoribus Obedientia parat, *ita ut sine pavore moriatur securus, & ab omni reddenda rationis timore liber, qui sub imperio Senioris sui fideliter militavit.* In quam rem B. Bernardi discipulus Gerardus sub mortem tridui spatio in extasi jacens, ac tandem in se reversus dixit: *Ad tribunal Christi ductus fui, ipsumque facie ad faciem Angelorum Regem conspexi dicentem mihi: Ecce locus tuus inter Fratres tuos.* Et mox circumpallentibus
Mona-

Monachis, ultimis verbis exclamans :
BONA EST OBEDIENTIA, ad illius au-
 reolam capescendam evolavit.

XI. Quid illum (si Religiosorum exem-
 pla desideratis) inter illustrissima sui
 temporis sidera, *solem purissimum luci-
 dissimè ac mirificè exsplendescentem, &
 insolentissimo fulgore orbem terrarum
 percellentem, simulque illustrantem uni-*

Ex Menol.
 21. Apr.

versum, Sanctum Anselmum tam ce-
 lebrem, tantoque nomine dignum effe-
 cit, ut *Obedientia Martyr* vocetur, nisi
 quòd (triumphatis Romæ per publicam
 disputationem Schismaticis Græcis, ideo-
 que ab Urbano II. tali applausu exceptus:

S. Ansel-
 mus Obe-
 dientia
 Martyr
 appellatus,
 & cur.

*Benedictum sit cor tuum, spiritus tuus ;
 os & sermo oris tui benedictus :*) in Ang-
 liam reversurus Pontificem accesserit, la-
 mentabiliter conquerendo, se fuisse è
 cœnobio extractum ad Archiepiscopa-
 tûs dignitatem, in quâ Obedientiæ fru-
 ctibus & merito privatus esse debeat :
 neque rogare destiterit, ut aliquem sibi
 viæ comitem assignaret, cujus jussis hu-
 milliter obtemperaret, donec obtinuerit
 Edinerum Monachum, cujus (licet servi
 sui) voluntati, ac nutui aded se subjecit
 tantus Archipræsul, ut jussus aliquan-
 do ob nimiam ab itinere defatigationem
 in lecto quiescere, ac remanere, ne la-
 tus quidem unquam ad commodiorem

quietem invertere aliter attentârit, nisi in sanctæ Obedientiæ virtute iustus. Ultrâ quòd pro Ecclesiæ legibus & immunitate contra impia Regum Angliæ decreta ceu murum æneum opponens bis Sede & regno expulsus, quot persecutiones, tot incruenta passus sit martyria. Sed nec desunt cruenta.

Ex Menol.
2. May
Conradi
Engelber-
genſis Mo-
nach,

Ex menol.
11. Jul.
Placidi Di-
festinenſis.

XII. Quid enim B. Conradum Engelbergenſem nobiliſſimâ martyrij palmâ decoravit, nisi Obedientia? Quâ à suo Abbate missus ad tuendam contra sacrilegos invasores rem domesticam, adacto in utrumque latus perfido mucrone, & seipsum purpuravit, & locum frequentibus miraculis illustravit. Quid denique Placidum Disertinensis Cœnobij structorem, tam stupendum, tamque reddidit prodigiosum, ut abscissum sibi à Rhætia Comitis satellitibus caput, utràque manu sustollens, veloque involutum tanquam nobilissimum justitiæ, & Obedientiæ trophæum, applaudentibus suâ sponte campanis, Abbati suo derulerit, & præsentârit, nisi eadem præclara Obedientiæ arma? quibus contranefarium Comitem, Monasterii bona, & jura tueri iustus, sacrum verticem prius subjecit per humilem Obedientiam Abbatis imperio, quam parricidarum ferro.

XIII.

XIII. Sed num Regale Sacerdotium ab Obedientiæ martyrio , à martyrij laureola , vel cœlestis laureæ coronâ exfors maneat , dum plures veritatis Doctores & Prædicatores , invictissimi Christi pugiles , imperterriti animarum Pastores in arenam descenderint pro Ecclesia , pro justitia , pro Religione & fi-
 de contra lupos , Reges , Imperatores , Tyrannos , quam olim ex equo Trojano prodierint milites. En Athanasium pro Dei Filio toto penè orbe factum extorrem , quia totum penè orbem in Arrianismum collabentem unicus quasi Athlas sustinuit. En Chryso-
 stomum contra nobiliorum hominum vivi-
 vendi licentiam , ipsamque Imperatricem Eudoxiam insuperabiliter decertantem , & incredibiles in exilio sustinentem æ-
 rumnas. Ecce Thomam Cantuariensem pro Dei Ecclesia contra sacrilegas Hen-
 ricæ II. Angliæ Regis sanctiones : Sta-
 nislaum Polonum (de quo supra) con-
 tra illius alterius Herodis Boleslai no-
 tam libidinem : & S. Desiderium con-
 tra illam Galliæ Jezabelem : omnes hos
 summos Pastores & Archi - Præsules po-
 tentissimis lupis usque ad animæ suæ
 positionem heroicâ constantiâ resisten-
 tes : Ecce demum de communi Sancto-
 rum Sacerdotum numero Aquilinum

Episcopi
 Veritatis &
 Obedien-
 tiæ Christi-
 anæ marty-
 res.

Sacerdotes
pro Religio-
ne, obedi-
entia & ve-
ritate Mar-
tyres,
Obedientia
est Marty-
rum tessera
Actor. s. 20.

Mediolani, Hippolytum Antiochiæ, Eu-
stachium Nicomediæ, Theodorum Cæ-
sareæ in Cappadociâ, Crescentium in
Africâ, Eulogium Cordubæ, Tran-
quillinum Romæ lapidatum, Valenti-
num ibidem decollatum, Nithardum in
Sveciâ propter prædicandi ardorem
confossum; qui omnes enarrati sæcula-
res Presbyteri, præclaris hisce & for-
tissimis Obedientiæ armis muniti, sub
illa Principis Apostolorum tessera mili-
tari: *Obedire oportet Deo magis, quam
hominibus*; animosè provocati, generosè
contra impietatem dimicantès, glorio-
sè vincentes, Martyrii, & Doctoratûs,
perfectæque Obedientiæ laureolas sunt
consecuti.

Ex prolog.
Reg. S. Be-
ned.
Clerici in
Ordinatio-
nib. promit-
tunt Episc.
obedien-
tiam.

XIV. Quapropter MONOPHILE
finaliter ad te jam meus sermo dirigitur
qui abrenunciâns propria voluntati Do-
mino Christo vero Regi militaturus,
Obedientiæ Religiosæ fortissima atque
præclara arma assumpsisti; nec non ad
te PHILOTHEE, qui non solùm in susce-
ptis SS. Ordinibus Episcopo interrogan-
ti: *Promittis mihi & successoribus meis
Reverentiam & Obedientiam*; respon-
disti: *Promitto*; sed etiam sanctæ Ecclē-
siæ Canonibus & Decretis, tuam perso-
nam, officia, & functiones concernenti-
bus

bus obedire teneris; quatenus consideretis uterque statum, quem assumpsistis, dignitatem atque felicitatem, quas affecti estis, vocationis gratiam, quâ Vos Deus ter Opt. dignatus est, pactum, quod spondidistis, fœdus, quod pepigistis, conditionem, quam elegistis, & Obedientiae characterem, quo estis signati, & discite propter Deum Superioribus vestris subesse; quando omnipotens & altissimus, qui cuncta creavit ex nihilo, se homini propter vos humiliter subiecit. Hortatio ad illam. Genf. l. 3. c. 13. n. 1. S. Clemens Epist. 1.

Aliâ Inobedientium damnatio in iudicio Dei ignis aterni tormenta sustinebit, qui Ecclesiastica decreta, sive sua Religiosa statuta neglexerit.

MEDITATIO XXIII.

De Gradibus, Motivis: & Conditionibus virtutis Obedientia.

Primus humilitatis gradus est, Obedientia sine mora. Hac convenit his, quia &c. mox, ut aliquid à majore imperatum fuerit, ac si divinitus imperetur, moram pati nesciunt in faciendo. Regul. c. 5.

Prælud. Imaginare tibi Abraham, Gen. 22. gravissimo Dei mandato immolandi proprium filium, unicum, & charissimum de nocte, sine mora, discussio-

ne, excufatione, aut contradictione obtemperantem.

Obedientiz gradus,

Punct. I. Confid. Obedientiam diversos habere gradus. 1. Facere imperata externo opere. 2. Cum interno voluntatis consensu. 3. Cum captivatione proprii intellectus, iudicii, & voluntatis. 4. Perficere non solum iussiones, sed etiam ipsa consilia, imò & nutus voluntatis Majorum. 5. Etiam minima, atque levissima, æquè ac maxima, difficilia, & inclinatione propriae adversa. 6. Obedire Superioribus actu reverentiæ, & iustitiæ; æqualibus ex charitate; inferioribus ex humilitatis virtute.

Insignes planè gradus: utinam ab istis tam longè non abessem, & non adèò frequenter mecum tergiversarer, disputarem, discuterem, excusarem, vel occultè contradicerem!

Reg. loc. cit.
Ejus conditiones,

Punct. II. Confid. Assignatas à S. Patre Benedicto veræ Obedientiæ conditiones esse: Ut quis *sine mora ex occupatis manibus imperfectum relinquendo: vicino Obedientiæ pede jubentis vocem factis sequatur.* 2. NON TREPIDE, sed fortiter, vincendo contrarios naturæ exsurgentes motus, 3. NON TARDE, sed, *ut uno veluti momento prædicta Magistri jussio & perfecta discipuli opera in velocitate*

tate

tate convenient. 4. NON TEPIDE, aut pigrè, ac obiter, sed ferventer, & strenuè. 5. NECCUMMURMURE, vel responsione nolentis, quoniam peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, non acquiescere. 6. Sit etiam ipsa simplex, & cæca, ambulando alieno iudicio, & imperio. Fiatque bono animo; quia hilarem datorem diligit Deus.

Vellem quidem libentissimè, ut omnes semper istas condiciones explevissem, sed grave est, assueta dimittere, gravius est, contra voluntatem propriam ire.

Verùm tamem, vim mihi inferre studebo, nam certè regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

Punct. III. *Consid.* Plurima ad talem Obedientiæ perfectionem motiva, uti sunt. 1. expressa Dei voluntas, & præceptum. 2. Obligatio ex voto, regulis vel Ecclesiasticis, & Episcopalibus statutis. 3. Exempla Sanctorum in præfata Digressionem adductorum, & aliorum. 4. Multiplex utilitas; conscientiæ quies, securitas, & immunitas a deceptionibus diaboli. 5. Meritorum copia, quia plumbea, & ferrea opera, nempe indifferentia in aurea, & meritoria vi Obedientiæ vertuntur. 6. Gloria æterna, dicente Deo ad Abraham: *Quia obedisti*

Gen. 22. 18. &c. 15. voci mea &c. ego protector tuus ero, & merces tua magna nimis.

O Deus meus! Ecce paratum cor meum; quid me vis facere? ego aliud nihil magis desidero, quàm totum me subiectum exhibere, *ut omnes ambulare super me possint: quid ego miser peccator conqueri, vel indignari possem, si id fieret?*

2. Cor. 9. Conabor strenuè non ex tristitia, aut necessitate, sed ex amore Dei obedientissimus esse, ac si omnia divinitus forent imperata. Et quia *Obedientia, quam majoribus prabetur, verissimè Deo ipsi exhibetur*, habebit illa in me oculos promptos, pedes veloces, manus paratas, serenitatem vultûs, dulcedinem in sermonibus. Ita fiat per gratiam tuam, ô Deus meus! & Dominus meus!

CONSIDERATIO I. ANTE-MERIDIANA.

De bonis Obedientiæ spontaneæ, & promptæ.

Genf. l. 1. c. 6. n. 1. Ib. c. 17. 3. **V**alde magnum est, in Obedientia stare, sub Pralato vivere, & sui juris non esse. Sed multò tutius est, stare in subjectione, quàm in Pralatura. Igitur cogita, quòd ad serviendum venisti, non ad regendum; ad patiendum scias te vocatum

tum, & ad laborandum, non ad otian-
dum, vel fabulandum. Hic ergo nemo
potest stare, nisi ex toto corde se voluerit
propter Deum humiliare, & obedire.

CONSID. II.

De malis Inobedientia, seu Obe-
dientia coacta.

Fili, qui se subtrahere nititur ab Obe-
dientia, ipse subtrahit à gratiâ, qui
non libenter, & sponte sua Superiori se
subdit signum est, quòd caro sua necdum
perfectè sibi obedit, se saepe recalcitrat, re-
murmurat. Disce ergo celeriter Supe-
riori tuo te submittere: atque ad veram
subjectionem, & humilitatem te jugiter
dare, patienterque proprium contem-
ptum ferre.

Id. 1. 3. e.
13. & 3.

DIGRESSIO XVI.

De pessimis vitiis Propria Voluntatis;
nec non pertinacia proprii Judicii: ac
zeli indiscreti; murmurationis,
& refractaria Inobedien-
tia.

THEOPHOBUS.

(I.)

EJa agite, quotquot estis sacrae mili-
tiæ Tyrones, Candidati, Triarii &
Eme-

Emeriti : adeste armati ad ingentis momenti expeditionem : siquidem hodie *infernus* cum suâ cohorte expugnandus & destruendus , nempe *Propria Voluntas* , cum omni suâ stygiâ vitiorum cohærentium phalange : de quâ illud pii ac eruditi Blosii : *Si non esset propria voluntas , infernus quoque non esset* : id ipsum confirmante lactifluo Doctore : *Cesset voluntas propria , & infernus non erit*. Voluntatem autem propriam dico , quæ non est communis cum Deo , & hominibus , sed particularis tantum , quando aliquis ea , quæ vult , propter semetipsum facit , non intendens placere Deo , & prodesse proximo , sed satisfacere propriis motibus animi. Porrò hæc Voluntas non Dei , non aliorum , sed sua quærens vivere arbitrata , est superba , immorigera , pertinax , & contentiosa in omnibus aversio à Deo , & totius malitiæ fundus : in cœlum pertingere non potest , in terris pacem non habet , in inferno sepelitur , ejusque spiritus , invisa recalcitratio , & spiritus contradictionis est. Hinc ex ea velut omnium malorum radice , & scelerum sentina profluit in Religioso , ac Sacerdote tarditas progrediendi in spiritu , fovetur tepiditas , spiritus discrecioni extinguitur , rationis oculus clauditur , cor sub-

Voluntas
propria vocatur
Infernus.

Blos. in tabella spirit.
corollario.

S. Bern. serm. 3. de
resurrect.

Dom.

Quæ dicitur
voluntas
propria?

Blos. loc. cit.

Quot malorum
sit causa?

vertitur, audacia obfirmatur, mens induratur, contentiones miscentur, rixæ propagantur, minæ intentantur, vindictæ cupiditates coquuntur, oriuntur odia, generantur scandala, gignitur desperatio, creatur apostasia, damnatur anima, spoliatur cœlum, & infernus repletur. Etenim quid odit, aut punit Deus præter propriam voluntatem? Aut *in quem ignis ille desævit, nisi in propriam voluntatem?*

Est fomentum ignis inferni.
S. Bern. loc. cit.

II. Sed quo furore hæc eadem Dominum Majestatis impugnet, audiant, & timeant omnes propriæ voluntatis sectatores. Nam *primò* dum talis voluntas eorum refractaria est imperio, quorum tanquam divinæ subdita est potestati, seipsam divinæ subtrahit obedientiæ cujus vice funguntur, & imperant Superiores. Sed utinam, ait S. Bernardus, non majores ipsi irrogaret injurias, nam in ipsum quoque, cui inservire debuerat, suum desævit Auctorem, dum efficitur sua, & propria ista *crudelis bestia, fera pessima, rapacissima lupa, & struclentissima leana*. *Secundò*, propriæ voluntatis amatores communitati Fratrum, aut publicis conventibus, collegiis, capitulis, vel conversationibus sunt omnium perniciosissimi, quia dum zelum justitiæ, veritatis præseferunt, sed

S. Bern.
loc. cit.
Injuriola in Deum.

Idem ib.

Perniciosa communitati.

non

Amatores
illius pessimi
sunt.

non secundum scientiam; sequuntur suæ tantum pertinaciter opinionis ductum errores defendunt, obstinatè monitionibus, seu melioribus informationibus reluctantur, omnibus ordinationibus contradicunt, Obedientiæ jugum excutiunt, dissolvunt concordiam, fraternam quietem perturbant, unitatis divisores, inimici pacis, charitatis expertes, vanitate tumentes, superbiam typho inflati, placentes sibi, & magni in oculis suis, aliorum facta criminantes, famam traducunt, ignorantem Dei justitiam, pro incorruptam divinam justitiam suam corruptam perversitatem obstinatissimè manutenere contendentes.

Merita suorum bonorum operum perdunt.
S. Bern.
serm. 71.
in Cant.

III. *Tertio*. Qui omnibus aliis malus, quomodo sibi bonus erit? Idcirco tales sibi metipsis, uti flagitiosissimi, ita sunt damnosissimi; in primis quidem ratione lucri cessantis sive omnium bonorum operum jacturæ, quod S. Bernardus ita declarat. *Si in die jejunii mei invenitur voluntas mea, non tale jejunium elegit sponsus, nec sapit illi jejunium meum quod non lilium Obedientia sed vitium propriæ voluntatis sapit.* Id ipsum verò non de jejunio solum, sed & de silentio, de vigiliis, de oratione, mortificationibus, omniq; observatione Religiosi, in qua est voluntas sua, & non obedientia Magistri

gistri sui, est sentiendum. Vnde observan-
 tias tales, & in se bonas, inter virtutes
 tamen minimè censuerim deputandas.
 Sic grande malum propria voluntas,
 quæ fit, ut bona tua tibi bona non sint,
 quia nihil omnino, quod propria inqui-
 natum sit voluntate gustabit is, qui pa-
 scitur inter lilia. Hæc ille, de cujus ca-
 lamo nil nisi mel, & lac effluxit.

IV. Ultrà quod voluntatis suæ proprie-
 tarius manifesti sacrilegii & scedifragii
 reus esse convincitur, quemadmodum
 enim Religiosus pecuniarum proprieta-
 rius usurpator contra suum Votum scedifragus & perjurus, contra Religionem
 & Monasterii communitatem fur, raptor,
 sacrilegus & Judæ similis esse dignosci-
 tur, quia sibi appropriat, quæ non sua
 sunt, sed Monasterii, quæque solemnè Vo-
 to à se perpetuò abdicavit, ita suæ vo-
 luntatis propriarius Regularis omni-
 bus præactis sceleribus eò fortius inno-
 datur, quia rem sui corporis & animi inti-
 mam, ingenitam, connaturalem, omni
 auro, argentoque millies pretiosorem,
 suæ scilicet voluntatis libertatem spontè
 Deo, Religioni, ac Superioribus donatam,
 resignatam, Voto consecratam, scripto
 proprio firmatam, & subsignatam, ju-
 risque Dei æternaliter factam sibi ap-
 propriat, rapit, furatur, prædatur, &

Sunt scedi-
 fragi per-
 juri.

Proprieta-
 rii prædo-
 nes rei alie-
 naz,

ex

ex merâ superbiâ ac obstinatione ad suum arbitrium abutitur, in Dei ter Max. contemptum, Religionis contumeliam, & suorum injuriam Superiorum, quibus adeò totum suum velle & nolle plenâ & absolutâ traditione consignavit, ut sibi jam suisque internis animi potentiis, non vivat, sed immortuus sit ac sepultus.

Wading.
ad annum.
1221 n. 27.

Obedientia
Regularis
sic mortuo
similis.

V. Unde incarnatus ille Seraphinus suos docuit, obedientiam Religiosi oportere esse sicut corporis mortui; jacet illud sine proprio motu, movetur, sed ab alio duntaxat: os habet, sed tacet; oculos tenet apertos, sed cum iis veluti fasciâ ligatis nil respicit; laudatur, sed non extollitur; opprobriis excipitur, non excandescit; calumniis oneratur, aut vituperiis, non respondet; volvitur ad dextrum latus; sustinet; truditur ad sinistram, tolerat; pronè aut supinè collocatur, non obgannit; pedibus conculcatur, & neque murmurat, neque reclamatur: quia omnibus potentiis ac sensibus crucifixum, mortuum atque privatum est: omni proprio velle & nolle, moveri & sentire, videre, loqui, disponere, & præcipere destitutum. Et hoc est perfectæ Obedientiæ exemplar, sicut è contra velle agere, aut nolle pro suâ duntaxat volun-

voluntatis & proprii iudicii pruritu, dam-
nabilis est superbiæ, fastûs, & arrogan-
tiæ Luciferianæ.

VI. Prædictæ Medusæ sororem di-
xeris alteram Megæram, scilicet proprii
sui iudicii pertinaciam, ac pertinacem
immanfionem; quæ quidem multorum
prolium fæcunda mater, uti suspitionis,
iudicii temerarii, zeli indiscreti, impruden-
tiæ, iracundiæ, præcipitantæ & pessimæ
murmurationis &c. hîc in præsentî pri-
mò consideratur, quatenus subditus non
præceptum, nec in illo Deum præcipien-
tem, sed personæ duntaxat præcipientis
discernit qualitatem; item quando man-
dati materiam; levitatem, seu gravita-
tem, utilitatem, sive necessitatem,
possibilitatemque examinat; arriden-
tia ambabus manibus amplectitur,
displicentia verò explodere, reijce-
re, aut frivole excusare præsumit. Ne-
que his contentus etiam mandantis in-
tentionem penetrare, mandati causas,
& rationes exposcere, inquirere, ac dis-
cutere præsumit, quæ omnia veræ Obe-
dientiæ perfectionem elidunt, quam
simplicem & cœcam, non sciolam, curio-
sam, ac temerariam, esse oportet: *Nescit e-
nim judicare, quisquis perfectè dicit obe-
dire.* Hinc præclare Angelicus Doctor
illud Regulæ c. 5. explanans: *Mox ut ali-*

Proprii ju-
dicii perti-
nacia.

Mater vi-
tiorum.

In quo con-
sistat illius
malitia.

Obedientia
cæca &
simplex.
S. Greg. l.
14. c. 40. in
1. Regul. 1. 2.
q. 13. a. 5. ad
3.

B b

quid

Obediens
sicut alius.

*quid imperatum fuerit : idèd , inquit , nihilominus tentandum esse , si Prælatus aliquid impossibile præceperit , quia , an aliquid sit impossibile , subditus non debet suo iudicio definire , sed in unoquoque Superioris stare iudicio . In quam rem Abbas Nestero Religionem ingressus ita secum statuerat : *Posthac ego & asinus unum sumus , ergo debeo esse sicut ille . Quidquid ei imponitur , hoc portat , non petens , à quo vel quare , aut ad quem finem .* En utile de stupido jumento didagma .*

Rom 7.
Pauli simp-
plicis obe-
dientia à S.
Antonio
variè pro-
bata.

Holland.in
Vit. S. An-
to. 17. lan-
à n. 52.

VII. MONOPH. Altè adhuc animo sedet , quod de B. Pauli Simplicis cœcâ , ut ajunt , at in spiritu illuminatissimâ obedientiâ me legisse memini , & id ipsum *velle* , & imitari multoties *mibi adjacet , perficere autem non invenio* , Hic in disciplinam Monasticam Magni illius Antonii se traditurus , jussus est funem quindecim unarum longum texere : finitam texturam Antonius , ceu malè , & dissolutè nimis factam cum vituperio præcepit resolvi ; & abs obediente Paulo resoluta est . Indixit ei septem dierum arctissimum jejunium , jejunavit Paulus ; & elapso septimo die , pane in mensâ appposito se reficire jussus , dum protensâ manu eundem sumere vellet , famemque septi-
dua-

duanam obsonare , novo Abbatis Antonii de mandato , panem duntaxat aspicere , non verò atrectare , multò minus degustare Christianus hîc Tantalus compulsus est. Sed neque hîc vel Senioris jussio , vel discipuli quievit obedientia ; etenim de novo jussus urnam seu vas mellis frangere & conterere , aquam toto die haurire , haustamque effundere , consuere vestem , & rursus omnes consutas dissuere commissuras , in omnibus & per omnia , sine discussione , sine murmure , aut contradictione obtemperavit.

Perfecta
discipuli in
omnibus
obedientias

VIII. THEOPH. Valde congruens nostro proposito , aut hisce temporibus nostris exemplum. Quis enim alius tyronum , aut discipulorum sancti illius Anachoretæ , non imaginatus sibi fuisset , aut non pronunciasset , senem hunc delirio , seu stolidâ cerebri vertigine laborare , tam exotica , tam inepta , tamque inutilia , & contraria cum tali mentis instabilitate præcipiendo ? Aut quis discipulorum , nisi fuisset alter Paulus simplex , non illius scholæ valedixit cum indignatione , in quâ & alumni pro stultis haberentur , fame conficerentur , & non nisi inutilissima temporis dispendia fierent ? Sic nempe stulta mundi sapientia præcipientis ar-

Judicia
mundi per-
versa in reb.
spiritual.

Cœleſtis
philoso-
phiæ doctri-
na munda-
na contra-
ria.

Quomodo
doceat obe-
dientia per-
fectam for-
mam.

Hæc ſola
facit Reli-
gioſum.
Polland.
ibid.

Diverſa à
diebus An-
tonii noſtra
tempora.

gueret fatuitatem, & obedientis deride-
ret ſimplicitatem. At divina Religioſo-
rum Philoſophia longè aliis terminis
utitur, docetque ad faciendum ex mun-
dano & terreno novum cœleſte compo-
ſitum in ſacræ Obedientiæ peripatæo,
docet, inquam, per qualitates è diame-
tro ſenſui & humanæ rationi penitùs
contrarias, omnes phyſicas, metaphyſi-
cas, ſeu etiam meteoricas proprii cere-
bri qualitates expellere, inde materiam
ſuâ veteri formâ ſpoliare, ſicque infor-
mem, nudam, cœcâque redditam, etiam
omni ſibi ingenito & connaturali ap-
petitu privare, & tum demum, ſic in-
formi, ſpoliatæ & privatæ, per cauſas ſe-
cundas (Superiorum ſcilicet imperia)
novas diſpoſitiones, & diſpoſitionibus
jam inductis, novas incorruptibiles, at-
que cœleſtes ſuperinduere formas. Ec-
ce irrefragibilem dictiorum probatio-
nem ex ipſomet illuminatiſſimo Aſce-
ſeos Magiſtro Antonio, ita loquente ad
præactum Paulum, ſic tentatum, proba-
tum, & omnia ad amuſſim executum: *In
nomine Jeſu*, ecce jam factus es Mona-
chus, *mane deinceps in cellâ.*

IX. Neceſſe eſt, hîc ingemiſcendo
exclamare cum illis poſteriorum ſæcu-
lorum Eremitis: *ô quàm longè abſumus à
diebus Antonii*; dum hiſce temporibus
mul-

multorum fortè Superiorum (iis maxime in locis , ubi disciplina Regularis parum viget) præcipua sollicitudo esse debet , ne vel novellis Religionum candidatis ob modernos delicatos geniorum mores , aspera seu dura prænunci-entur ; vel ne Novitii solidioribus mortificationum cibus , sed lacte duntaxat , propter spiritûs infirmitatem enutrian-tur ; ne professorum quorundam hispida enascens lanugo vitiorum , novacu-lâ radatur , propter menti , mentisque tene-ritudinem , sed sapone duntaxat illita priùs , spongiâ deinceps molli abstergetur ; ne finaliter aliquorum Veteranorum ærugo asperiori limâ radatur , ut non fran-gatur vas. O Superiorum talium crucia-tus & labor ! Qui omnia sua iussa priùs ad libellum & unciam humoris alieni truti-nare , quàm plurima oculo connivente præ-terire , omnes quascunque justissimas cor-reptiones ad gustum palatûs suorum sub-ditorum melle & saccharo condire debent , ne delicatos nimis nonnullorum stoma-chos irritent , exacerbent , vel tantâ amari-tudine repleant , ut ad insulas contra se eruçtationes erumpant ; ac ipsimet Su-periores minore cedere consultius judi-cent.

Moribus
irrelogiosis
coguntur
nunc con-
nivere ali-
qui Super-
iores.

X. Sic longè absumus à diebus Anto-nii : at multò magis dolendum , quòd

tam longè absumus à diebus Pauli Simplicis : (non jam ad te , tuosque socios **MONOPHILE** chare , meus sermo vergit , quos , non dubito , à sequentibus vitiis esse alienos ; sed sparsim lateque diffunditur ad emendandos reos , sicubi reperiantur) dum eò miseriarum (utinam non multorum) Religiosorum res prolapsæ esse videntur , ut hinc nefando proprii judicii crimini vel addicti , vel assueti , lynceo oculo omnia suorum Superiorum acta scrutari ; consilia discutere , sensus exenterare , anatomizare mandata , quo fine , intentione , modo emanârint : & nunc approbare pauca , nunc plura sugillare , jam ista prudentiùs , jam hæc meliùs , alia utiliùs , aut pulchriùs , & commodiùs alia potuisse disponi & ordinari : chimærnizare non dubitent. Quòdque pejus est , etiam discretè , prudenter & salubriter acta , vel omissa , vel jussa , intempestivæ præcipitantiæ , passionis & partialitatis , nimii rigoris , aut indulgentiæ sugillare , insimulare , & sequiùs interpretari. Omnium verò pessimum , & à Religioso subdito , prò ! horrendè absonum , contra Superiores , Dei personam immediate agentes , audacter insurgere , verbis refractariis eos lacerare , adhæ-

ren-

Proprii judicii est , omnia Superiorum acta discutere.

Malè interpretati.

Murmurare , detrachere.

rentias aliorum sibi vel procurare, vel provocare, linguam in murmurationes, cavillationes, detractiones ve exercere &c. Tales, ô Deus immortalis! non modò toto cœlo distant à simplici, cœcâ, murâ, & promptâ Pauli prædicti obedientiâ, imò juxta superiorem S. Antonii conclusiōnem à vero statu Monachi, vel Religiosi, ideoque è numero, & albo, & cellis excludendi, sed insuper convincuntur esse tumultuosi, rebelles, votifragi, & secundùm Divum Gregorium Deum negantes, quem propria obedientia crucifixit, seu juxta Trithemium perjuri, impii, mendaces, transgressores, & falsissimi Apostata; imò monachi sine obedientia, mera monstra diaboli.

XI. Quanti autem piaculi quantæ vindictæ cœlitus sine obnoxia hæc crimina unicum sequens exemplum reos, & noxios absterrendo innoxios autem præservando & præcavendo sufficiens erit. Cùm B. Bernardus nonæ Congregationis Benedictinæ Tironiensis vocatæ Fundator in Galliâ, ingenti perfectionis zelo inflammatus reformationi magno studio insisteret, inter odoratissimos pullulantium rosarum flores, reperit quoque pungentium spinarum aculeos, linguas nempe obloquentium quorundam, qui sanctas & salubres optimi Abbatis in-

Murmuratores & refractarii sunt monstra diaboli.

Trith. hom. 20. de verâ obed. Monach.

Poll. 12.
Vit. 14.
Apr. n. 1. 9
Bernardus Tironiensis Reformatior.

Patitur ob-
locutiones.

Mora hor-
renda ino-
bedientis &
refractarii.

Digr. 15.
n. 5.

tentiones , variè pro suo quisque genio discutientes , temerè judicantes , sinistrè interpretantes , nunc clandestina tractare consilia , nunc palàm improbare ejusdem actiones , nunc , verò clàm obmurmurare , traducere , & tandem audaciorum quendam è suis animare , ut Abbati in faciem exprobraret istas novitates introductas . Is cum sui impotens , omnisque reverentialis obedientiæ immemor præcipitantiùs in Superiorem invecus (quod vir Sanctissimus summâ cum patientiâ supportans Deo soli commiserat) postea ad reliquos conspirantes acta referret , applaudentibus aliis , & nonnullis de re bene gesta arridentibus , ecce risum in gravem luctum conversum , dum Coriphæus factionis illicò cum horrendo nuntiata suæ damnationis ejulatu corruit exanimis : cæteris deinceps proprias suas voluntates & judicia facilè abjurantibus , & divina providè pertimiscantibus . Hæc ad noxiorum terrorem & emendationem .

XII. PHILOTH. In superiore Digressione mentionem feci de donato mihi libello vitæ beatissimæ Catharinæ Bononiensis , in quo , si hîc proferre & interloqui concessum est , signanter ponuntur ejusdem Beatæ Virginis documenta circa prænotatam materiam de

de non iudicando & traducendo acta Superiorum, suis Religiosis à vivente tradita similibus verbis : Væ illi animæ, quæ non reverenter ac piè sentit de suis prælatis : non expectet à Deo ullam consolationem, aut gratiam, sed potiùs gravem vindictam, licèt enim viderentur officium suum non præstare, nunquam tamen eos dijudicare, vel taxare oportet, sed iudicium Deo relinqui. *Non sit ergo (replebat illa aliàs) in vobis deliberata mala voluntas, nec prodeat ex ore vestro verbum contra vestros Prælatos: possunt incidere nobis cogitationes vel invitis, quia cogitationes non sunt in nostra potestate, oportet tamen, continere voluntatem, & suppressere suum iudicium, ne consentiat voluntas, ne iudicium temerè affirmet, & linguam, ne perperàm mala loquatur.* Quæ quidem, etsi directè & propriè Regulares duntaxat personas concernere videantur, mihi tamen, & aliis meis collegis etiam respectivè ad nostros Superiores, imò & Laicis in ordine ad suos Magistratus, aut proximos, documento esse possunt.

Monita Catharinæ Bonon. de non fugilandis Superioribus.

Polland. ad 9. Mar. n. 123.

XII. Valde appositè, mentem meam, narrata à te, ad tuum, & etiam sæcularium statum applicando præocupasti; verùm duo supersunt dicenda:

Bb 5

Unum,

Rom. 10.
v. 20.

Zelus in-
discretus
Superiorum
Ecclesiast.
perniciosis.

Unum, quòd sive Ecclesiarum Cathedralium, aut Collegiatarum, sive Parochialium Rectores Ecclesiarum etiam non modicè in propriæ voluntatis vitium impingere queant, quando *emulationem Dei habentes, sed non secundum scientiam*, ordinant, agunt, decernunt, præcipiunt, invehuntur, sive castigant inconsultò suos vel Collegas, vel sibi commissos pro lubitu, aut sicut voluntatis propriæ, ac præcipitantis (accidentibus maximè iracundiæ motibus) dictamen suadet, vel impetus; zelum putando, quod passio mera, vel iræ motus, aut indiscretionis excessus est. Unde duo mala resultant: *Primum* in alteros, quando videlicet ex tali immoderato zelo, aut publicè in personas magis, quàm vitia detonando, (ac sæpe non satis exploratâ rerum veritate) vel corripiendo privatim, elatis, tumidis, despoticis, falsisque multâ acrimoniâ verbis ulcus exasperant, quod sanare debebant. *Alterum* abinde malum redundat in ipsorum personas: exæstuant enim indiscretò propriæ voluntatis zelo. Superior quivis auctoritatem suam in tantum risui, vilipendio, ludibrioque, & odio exponit, ut etiam justa quandoque decernens & sancta, nihil obtineat spiritualis emolumentum. Ex suâ enim

enim natura *importabilis est sine scientia*, S. Bern. *inulsus sine discrezione zelus*; ac non *ferm. 49.*
 tantum inutilis prorsus, sed *plerumque in Cant.*
perniciosus valde. Duobus igitur zelum Sit prudens
 virtutibus stipatum esse oportet, quem & charita-
 admodum Divus Mediolanensium Anti- tivus,
 stes Carolus docet; prudentiam nimirum,
 quæ eundem per scientiam, atque dis-
 cretionem moderetur; & charitate,
 quâ novit aliorum infirmitatibus com-
 pati, non indignari. Ita enim hortatur:
 in omnibus functionibus prudentiam, &
 discretionem servent, & caveant, ne ze- Ex confit.
 lo indiscreto in actionibus, & verbis suis S. Caroli
 ferantur, etiam in suorum subditorum c. 2. reg. 10.
 correptione, aut correctione; sed ex pa-
 terno agendi more satis agnoscant om-
 nes, desiderio salutis agi, quidquid con-
 tra eos agitur.

XIV. In proprii quoque iudicii la-
 pidem offendit, quisquis Prælatorum,
 Præpositorum, Rectorum, aut Pasto-
 rum existimat, se nullius egere consilio,
 vel in sensu suo abundans, propriæ opi-
 nioni pertinaciter nimis acquiescit; quasi
 aut solus optima quæque in medium af-
 ferre queat. Hoc itidem innumerabilium
 tricarum, dissensionum, contentionum,
 odiorum, scandalorumque uberrimus
 fons est, sive in conventibus, Capitu-
 lis, aut publicis consultationibus; sive
 in

Rectores
 Eccles.
 aliorum
 consilii
 utantur.

Pertinacia
 opinionis
 mala.

in privatis, ac familiaribus colloquiis, conversationibus, animi relaxationibus, feriisve negotiis, neutro (v. g.) in aliquo asserto de sua opinione vel hilum cedere volente: cùm tamen (ô quoties!) ob amorem proprium, passionum vehementiam, humanæ fragilitatis, labilitatis memoriæ, ac rationis imbecillitatem, & sensus illudantur, & menti offundatur caligo, vel cœcitas tanta, ut proprium iudicium graviter hallucinetur, & erret. Debet ergo, qui præest, circumspeditionis, ac prudentiæ oculis ante, & fortis (quemadmodum illa Ezechielis animalia) totoque in circuitu plenus esse, veruntamen, *non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*, aliorum opiniones, sive consilia lubens audiendo, & gratanti illis animo deferendo. Ita enim securior erit, ne decipiatur, si idem alii sentiant: & quidquid cum prudentum iudicio fecerit, si minùs bene, quàm sperabatur, successerit, minùs etiam imputabitur; siquidem magis aliorum sensui, quàm proprio obsecutus est.

Ezech. 1.
12.

Petiti consilii bona.

XV. Quamobrem etiam atque etiam vos adhortor, & precor, ut propulsatâ, eliminatâ, proscriptâ, & radicibus extirpatâ propriâ veteri voluntate, atque

atque iudicio, exhibeatis de cætero Obedientiam, quibus obligati estis, prudentiæ luce perfusam, intentioni rectæ innixam, discretionis moderamine perspicuam charitatis flammâ succensam, humilitatis decore ornatam, constantiæ virtute roboratam, perseverantiæ bono circumseptam. Sit Obedientia, ac vitæ vestræ ratio prompta sine dilatione, devota sine dedignatione, voluntaria sine contradictione, simplex sine discussione, perseverans sine cessatione, ordinata sine singularitate, hilaris sine turbatione, strenua sine pusillanimitate, & universalis sine ulla exceptione, ut sic fiat toti quanti Deo, Ecclesiæ, & Religioni acceptabile sacrificium, præcipuum munus, immaculata hostia, victima salutaris, & fragrantissimum thymiana Domino in odorem suavitatis.

Hortatio ad obed.

B. Laur.

Justin. l. de Obed. c. 9.

Qualitates perfectæ obed.

MEDITATIO XXIV.

De aliis motivis Obedientiæ, maximè ab exemplo Christi.

Tertius humilitatis gradus est, ut quis pro Dei amore omni Obedientiâ se subdat majori, imitans Dominum de quo dicit Apostolus: Factus est obediens usque ad mortem.

Prælud.

Gen. 22. 6.

Prælud. Imaginare tibi Isaac Patri obedientem, mansuetum, taciturnum ligna humeris portare, super quibus debbat immolari, & patienter sine contradictione caput gladio Patris offerre.

Obedientia exemplar Christi.

S. Ansel. 7. med. c. 4.

Suarez tom. 2. in 3. p. D. Tb. q. 28. sect. 8.

Punct. 1. Confid. Principalissimum perfectæ Obedientiæ motivum esse Domini JESV exemplum: nam 1. ex Obedientia Patris de cœlo descendit: non quod ad hoc eum Pater coegerit, sed quod Patri æterno placitum scivit, sponte per liberam Obedientiam suscepit. 2. Obedientia Matris illum concepit. 3. Ipse in primo conceptionis suæ instanti, votum Obedientiæ fecit moriendi in Cruce, omnesque actiones suas ad redimendos homines offerendi Patri cœlesti. 4. Circumcisus, & in templo præsentatus fuit ex obedientia Legis, ad quam non tenebatur. 5. Inventus in templo, officium, munus, & locum sanctum reliquit, ut esset subditus parentibus, suis licet creaturis,

Qualem ergo excusationem habebis, ô anima! si non rarò privatis tuis commodis, vel negotiis vacas, & non subitò sive ad communia curris? seu animarum, & Officii tui pastoralis curam tractas? ô quantum est inter tuam, & JESV Filii Dei obedientiam discrimen! (Examina.)

Punct.

Punct. II. Consid. Obedientiam Christi fuisse 1. indifferentem ad omnes omnium officiorum functiones, nam puerulus mensam instruxit, lectulos stravit, aquam apportavit, scutellas eluit &c. adolescens fabri lignarii in domo, & foris in Synagoga discipulus erat. Factus vir, medicum, doctorem, concionatorem, exorcistam, ministrum, pastorem, & hortulanum se exhibuit, ut suo exemplo discerent etiam Sacerdotes, omnibus sibi commissis omnia fieri ad salutem. 2. Illius Obedientiam fuisse quoque patientem, nam subdidit sese Matri, Josepho, Discipulis, Judicibus, Regibus, Pontificibus, militibus, Gentilibus, Judæis, ac Deicidis. 3. Fuisse longissimam & perseverantem à primo conceptionis momento usque dum *inclinato capite emisit spiritum.* (Scruta-
te, qualis sit officii tui obedientia, & perseverantia.)

Obedientia Christi
qualitates.

Ecce! anima mea, hæc obedientia Christi, est virtus salvationis tuæ, hæc est causa liberationis tuæ, est pretium redemptionis tuæ: age gratias pro exemplo, & sicut ille fecit, tu facere semper esto parata.

S. Anselm.
10c. cit.
c. 5.

Punct. III. Consid. Duo alia perfectæ Obedientia adjuncta. 1. Vivacissime semper imaginari sibi, omne mandatum

Adjumenta illius servanda,

datum

datum Superiorem esse tale, ac si divinitus esset imperatum; unde in Superioribus, si plures sint, semper respiciendæ sunt personæ non hominum, sed sanctissimæ Trinitatis; vel Christi Domini, si sit unus immediatus Superior; quasi tecum loquerentur, atque præciperent.

2. Illis manifestare candidè, & humiliter omnes cogitationes, & motus obedientiæ contrarios, à voluntate, & proprio judicio exsurgentes. Hoc idem Religiosis potissimum inserviens, (vel etiam Ecclesiasticis respectu proprii Patris spiritualis) S. BENED. docet hoc modo: *Si omnes cogitationes malas cordi suo advenientes, vel mala absconsecta commissa per humilem confessionem Abbatibus non celaverint suo.*

Regul. c. 7.
gr. 5.

Ah! fateor, ita esse, ne dubito, me magnos inde profectus percepturum fore, si modò eâ, quæ dicis, præstarem. Sed quis ô bone JESU! tollet meam habituatam, & refractariam omnibus bonis propositis naturam? quando tandem seriò cogitabo, mihi quotidie insinuans: *ad quid venisti?* an ut tuam secleris injustam, pessimam, stolidamque voluntatem?

O Obedientissimè JESU! exspolia in me veterem hominem, adjuva meam infirmitatem, ut imitans te in obe.

obedientia usque ad mortem Crucis, me subdam libentissimè (omni Obedientia) omni imperio, tanquam divinitus à te promananti: subdam me propter te, & per te JESU Salvator clementissime &c.

CONSIDERATIO I. POMERIDIANA.

De malis Obedientie coacta.

Multi sunt sub Obedientia, magis ex necessitate, quam ex charitate; & illi pœnam habent, & leviter murmurant. Nec libertatem mentis acquirunt, nisi ex toto corde propter Deum se subjiciant. Curre alio, vel ibi, non invenies quidem, nisi in humili subjectione sub Pralati regimine.

Gerf. l. 1. c. 9. m. 1.

CONSID. II.

De proprii Judicii abnegatione.

Equidem verum est, quòd unusquisque libenter agit pro sensu suo, & inclinatur ad eos magis, qui secum sentiunt. Sed si Deus est inter nos, necesse est, ut relinquamus etiam quandoque nostrum sentire propter bonum pacis. Potest etiam contingere, ut bonum sit uniuscujusque sentire, sed nolle aliis acquiescere, signum est superbia,

Id. l. 1. p. 2.

Id. d. 2.

bia, & pertinacia. Ergo noli nimis in sensu tuo confidere, sed velis etiam libenter aliorum sensum audire.

CONSID. III.

De abnegatione totali propria Voluntatis.

Fili, dixi tibi sapissime, & nunc iterum dico, relinque te semper, & in omni hora, sicut in parvo, sic in magno; nihil excipio; sta sine electione, & omni proprietate: alioquin quomodo poteris esse meus, & ego tuus, nisi fueris ab omni propria voluntate intus, & foris spoliatus? Quanto celerius hoc agis, tanto melius habebis, & quanto plenius, & sincerius, tanto amplius lucraberis.

CONSID. IV.

De perfecta Obedientia ab exemplo Christi Domini.

Fili, ego factus sum omnium humillimus; & infimus, ut tuam superbiam meâ humilitate vinceres. Ita nunc discite obtemperare pulvis: discite te humiliare terra, & limus, & sub omnium pedibus incurvare: discite voluntates tuas frangere, & ad omnem subjectionem te dare. Exardeſce contra te, nec patiaris tumorem in te vivere.

FINIS VIÆ ILLUMINATIVÆ.

INTRODUCTIO
PRÆLIMINARIS

*Ad Tabernaculum Christi in Via
Unitiva.*

THEOPHOBUS

(1.)



Eterna Patris Sapiencia sciens
CHARITATEM esse
se omnium virtutum fœ-
cundissimam matrem, mo-
tricem, operatricem, Do-

minam, & Reginam, universa, quæ
egit, & docuit, quæve consulit, aut
præcepit vitanda, vel agenda, ad purif-
simam CHARITATIS perfectionem
ordinavit. Est autem CHARITAS Charitas
quid sit?
virtus supernaturalis, spiritualis, infusa,
voluntatem perficiens, informans, &
vivificans, per quam Deum diligimus
propter seipsum, eidem desiderando,
atque volendo, quod est, quod habet,
quodque ei debetur; & proximum
propter Deum, illi optando bona gra-
tiæ in præsentî, & bona gloriæ in futu-
ro, atque ad ista consequenda proximo
cooperando. Ita per Charitatem in-

Cc 2 primis

Quid operetur?

primis Deo cum interna animi gratulatione complacentia, & gaudio volumus, ac optamus suam ipsius sapientiam, potentiam, bonitatem, opulentiam, perfectiones, & beatitudinem infinitam, ex puro amore benevolentiae, ubique zelantes ejus laudem, honorem, & gloriam: deinde per eandem ipsi complacere, perfectissime conformari, aspirare, amplecti, constringere, inhaerere, uniri, atque per praesentiam, amorem, & beatitudinem illo frui, in illo tranquillari, immergi, absorberi & stabiliter quiscere ardentissime desideramus.

Charitatis
perfectae
impedi-
menta.

Matth. 6.
29.

II. Quia verò tali Charitati quaedam directe opponuntur, ut sunt peccata, idcirco ea Christus Dominus severissimam legem mortis aeternae prohibuit: alia autem ab ejus perfectione retardant, vel impediunt, quales sunt divitiae, honores, voluptates carnis, & propria vitae libertas; propterea haec tanquam vitanda, & relinquenda consuluit, sive ea sint extra hominem, quem admodum honores, & opes, de quibus divina Veritas suadet: *Vade, vende omnia, quae habes &c.* Sive sint cum ipso homine, uti uxores, filii, parentes, & innatae carnis concupiscentiae, quas jubet odisse

odisse, dicens : *Si quis venit ad me, & non odit patrem, & matrem &c. adhuc autem & animam suam, &c.* seu denique illa totaliter sint intra nos, ut proprium iudicium, atque voluntas, de quibus ita loquitur : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, &c.* Ex quibus patet, ad Charitatis perfectionem triplicem prærequiri abrenunciationem, primam rerum, alteram carnalium affectuum, tertiam voluntatis; ut tam à creaturis externis, quàm à nobis ipsis exuti, in solum Deum rapiamur, ac transformemur, in quo solo movemur, & sumus. Et hæc est peregrinatio, finis, & meta nostri decemdiæ inteneris per tabernacula Moysis, & Eliæ, per viam purgantem, & illuminantem, ac felicissimum Jesu Christi, Dei, ac Domini nostri tabernaculum Charitate repletum, in Unitiva. Pergamus itaque, & securâ confidentiâ introëamus in hujus tabernaculi cellam vinariam, degustaturi suavitatem varii sacrificii laudis divinæ, donec torrente voluptatis ejus ab ubertate domûs Dei æternaliter inebriati concedatur.

Ejus perfectio requirit triplicem abrenunciationem.

* * *

Cc 3

Dic

Die Nona.

*De multiplici Sacrificio Laudis
Dei.*

MEDITATIO XXV.

De præstantia, utilitate, &
necessitate Orationis Mentalis,
& Vocalis.

*Text. Regul.
c. 20.*



*Domino Deo universonum cum
omni humilitate, & puri-
tatis devotione supplican-
dum est: & non in multi-
loquio, sed in puritate cor-
dis, & compunctione lacrymarum nos
exaudiri sciamus.*

*Luc. 10.
39.*

Præ lud. Imaginare tibi Mariam
Magdalenam sedentem secus pedes Do-
mini, & audientem verbum illius, ac
mirâ suavitate mentis meditantem opera
Christi. Martham verò externo ministerio
Christo inservientem.

Punct. I. Confid. Orationem, sive
fiat per modum soliloquii, discurrendo
de vitâ & passione Christi, atque SS.
seu de quatuor novissimis; sive per
modum

modum colloquii animæ quasi in intimum divinæ majestatis conclave admiffæ, tantæ esse præstantiæ, ut 1. animam sic Deum alloquentem, vel cum ipso met colloquentem, reddat ei familiariffimam, contubernalem, amicam & sponsam. 2. Ipfis Seraphinis & Beatis Deum incessanter benedicientibus in cælo sociam, ac similem. 3. Contra omnes demonis tentationes fortem, potentem, ac formidabilem, ut *ad illam precibus munitam non audeat propius accedere, metuens robur, quod illi oratio subministrat.* 4. Imò, quod stupendæ excellentiæ & virtutis est, per orationis potentiam vinci invincibilem, & ligari omnipotentem: ut patet per exempla Abrahami, Jacob, Moyfis, Josue, Eliæ &c. in sacra Scripturâ, dum Deus, & omnia creata obedi-
 verunt voci hominis orantis; dicente S. Chrysologo *per hanc Moyses fit Deus, & ad suos triumphos militares mandat omnia elementa.* O animæ dignitas! ô gaudium, ô voluptas! admitti in illud aureum sanctissimæ Trinitatis triclinium, ad sermocinandum in secreto Deitatis conclavi ceu creaturam cum suo Conditor, subditam cum Rege, famulam cum Domino, ream cum suo Judice, ægrotam cum Medico, filiam cum amantissimo Pa-

Orationis
 præstantia
 & vis.

Chrysol. l.
 2. de oran.
 Deum.

Ligat De-
 um.

S. Pet.
 Chrysol.

Genf l. 3.
c. 1.

Ejus utili-
tates &
symbola.

tre, sponsamque cum dilectissimo suo sponso. *Beata anima, qua sic loquentem Dominum in se audit, & de ore ejus consolationis verbum accipit. Beata aures, qua vocem foris sonantem, sed intus auscultant veritatem docentem.*

Punct. II. Confid. Innumerabiles talis orationis utilitates. Nam 1. Oratio est veluti fons siccitatis cordis, animæ, operumque arcam irrigans & fecundans. 2. Est quasi nervus, dans vigorem membris ad currendam viam mandatorum Dei. 3. Est ad instar animæ, corpus omnium actionum spiritualium vivificans & vegetans. 4. Est tanquam sol, cœlestes influentias communicans, intellectum illuminans ad SS. Fidei mysteria, resque supernaturales & cœlestes cognoscendas; & recogitanda omnia acta vitæ præteritæ, ut nihil lateat incorrectum, vel correctione indigens. 5. Est instar ignis voluntatem ad pios affectus inflammans, elevans, perficiens, sanctificans, conformans & Deificans.

Exsurge anima mea, exsurge, & si sæpe Deo tu psallendo & orando clamas, sicut pullus hirundinis, etiam de Dilecto tuo frequenter meditare, ut columba gemendo, suspirandoque præ amore, desiderando ardentem, ample-
xando

xando suaviter, fruendo incessanter.

Punct. III. Consid. Æqualem esse quotidianæ orationis respectu animæ, ac cibi respectu corporis necessitatem.

1. Namque sine cibo corpus quotidie deficit, pallefcit, & languet; sic in anima sine oratione mentali omnium virtutum vigor tepescit. 2. Sine pane, vel esca corpus sensim laborare, & operari non valet, deficientibus viribus; sic bonorum operum fervor, gratia, & merita diminuuntur in anima sine oratione. 3. Tandem corpus fame perire debet, & mortuum vermibus, ac fœtore consumitur; sic repescente orationis spiritu, & subrepentibus otio, ac negligentis, anima disponitur ad mortalem lapsum, ad vermes, ad fœtorem carnalium, & mundanorum desideriorum. (Examen institue super hac veritate.)

Ejus summa necessitas, cum sit cibus animæ.

Experior omnino, piissime Domine, hanc ipsissimam esse veritatem, nisi enim semper lex tua meditatio mea est, intellectus meus meris vanitatibus distrahitur, affectus voluntatis languent, gustus spiritualium rerum desipit, hora nimis longa videtur, tardè accedo, Interrumpo, indormio, vel omitto, & sensim in cordis insensibilitatem delabor.

Verumtamen conabor denuò meditari, exercitari, & scopare spiritum meum, Deoque universorum Domino cum omni humilitate, & devotione supplicare, non in multiloquio tantùm vocali, sed internâ puritate cordis, fervore devotionis, & lacrymâ compunctionis, ut exaudiri merear in simplicitate animæ meæ, Te Domino meo Jesu Christo præstante per gratiam tuam excitantem, moventem, pigris meam extimulantem, omnésque susceptæ orationis actus comitantem & perficientem.

DIGRESSIO XVII.

De sancta Orationis; & Angelicæ Psalmodia eminentissimâ præstantia.

THEOPHOBUS;

(1.)

UT inter has duas divini sacrificii Laudis species ab oratione exordiamur, quatenus mentalem complectitur & vocalem, divinè sensit de ea ille Africanus Præsul, hæc proferendo: *Verè novit rectè vivere, qui rectè novit orare; cum enim rectè & virtuosè vivere consistat* in

T. Aug.
hom. 4. ex
sc.

in subjugandis illicitis carnis desideriis ,
 in contempnendis mundi illecebris & va-
 nitatibus , in expugnandis diaboli ten-
 tationibus , animoque & animâ Chri-
 stianæ pietatis fervore imbuendâ , om-
 nia hæc ab inæstimabili virtute & efficacia
 orationis promanant. Hinc illud: *Si vis
 tentationes , & tribulationes superare ,
 sis homo orationis: si vis pravas affectio-
 nes consulcare, sis homo orationis: si vis
 astutias Satana cognoscere, ac ejus falla-
 cias vitare, sis homo orationis: si vis carnis
 curam non agere in desideriis, sis homo
 orationis: si vis vanas muscas cogitatio-
 num effugare, si vis animam tuam sanctis,
 & bonis cogitationibus, desideriis fervo-
 ribus, & devotionibus impinguare; cor-
 tuum virili spiritu, & constanti proposito
 in Dei beneplacito stabilire, SIS HOMO
 ORATIONIS.* O præclarissimas orationis
 virtutes! quas pari encomio extollit S. Gre-
 gorius Nyssenus in hæc verba: *Oratio est
 Virginitatis sigillum, viatoribus scutum,
 dormientium custos, vigilantium fiducia,
 ejusdem cum Angelis honoris conditio,
 presentium fructus, futurorum fruitio:
 & idem alibi: Oratio est terrâ superior, ig-
 ne ardentior, terribilis demonibus.*
 Unde tametsi gravis est nobis inimici
 tentatio, longè gravior est illi oratio no-
 stra.

Rectè ora-
 re est rectè
 vivere.

S Bona. e.
 37. de me-
 dit. vit.

Illis ingens
 virtus con-
 tra omnium
 vitia.

Orationis
 elogium
 S. Greg.
 Nyss.

Idem serm.
 de S. Moyse
 S. Bern.

serm. 3. in
 dedic. Eccl.

Synod. Senonensis. Anno 1524.

Oratio recommendata Religiosis & Clericis. Climacus c. 1. S. Bonav.

Concil. Mediol. 4 in monit.

Constit. S. Caroli c. 1. Reg. 6.

S. Carolus orationi deditus.

II. Bene proinde in Senonensi Synodo dictum est : *Arma Clericorum esse orationes & lacrymas*, arma, quibus resistitur dæmoni, lacrymas, quibus abluuntur scelerum maculæ; arma, quibus retorquentur *omnia ignita tela nequissimi*; lacrymas, quibus carnalis concupiscentiæ ignis opprimitur; arma, quibus expugnatur infernus, lacrymas, quibus perpetuæ ejusdem flammæ extinguuntur. Et hæc sanè de causâ, non Religiosis duntaxat præcipiuntur, ut *semper habeant spiritum in Deum elevatum, orentque in omni loco, tempore & negotio*: ne de ijs dicatur, *sine orationis frequentia, gestare animam mortuam in corpore vivente*. Sed æquè Clericis omni instantiâ commendatur à sanctissimo Antistite Carolo ita constituyente : *In omni imprimis sanctâ oratione vos assiduè exercete: tum in meditationis, taciteque pia orationis studio singulis diebus certo temporis spatio toto castissimi animi sensu incumbite*. Et iterum: *Ultrâ preces horarias Sacerdotes quotidie aliquid temporis destinent orationi mentali, & sincero examini conscientia*. Quæ, quemadmodum sanxit, ita suo complevit exemplo, dum vix abire diem patiebatur, quin tantâ licèt Archi-Episcopatus amplissimi mole prægravatus, ternas sive quaternas, imò vergente ad occasum

casum vitâ, octo integras horas, & non raro totas noctes orando & meditando insumperat.

III. Si modò ad alia tum Sanctifimorum Episcoporum, tum Sacerdotum, ac Religiosorum orationis frequentiæ & studio intensissimè deditorum exempla transire per tempus liceret, producerem tibi (etiam intermissis Sanctis Apostolis & priscis Anachoretis) Joannem Alexandrinum, Bonifacium Moguntinum, Martinum Turonensem, Servatium Trajectensem; & ne ad remotissima transporter, Udalricum Augustanum semper orare, aut pia legere solitum, & Conradum Constantiensem, sanctissimos Ecclesiarum Præsules, qui omnes orationi intensissimè dediti, mirrissimis, è cœlo visionibus & divinorum mysteriorum arcanis fuere illustrati, prout postremus Divus Conradus intentione usque ad sequentem meridiem, in Sacello Beatissimæ Mariæ Virginis, nuncupatæ Einsidensis, Ordinis S. P. Benedicti in Helvetia, orationi intentus audire meruit (inaudito aliàs exemplo) & videre Jesum Christum de cœlis in dictam Capellam descendere, Pontificali habitu indutum, solemne Missæ Officium celebrare, accinentibus Angelis, assistentibus Apostolorum Prin-

Alii SS. Episcopi orationis studii,

Conradus Episc. orationi intentus videri cœlestia mysteria;

Principe, & S. Ecclesiæ Doctoribus, Epistolam Sancto Stephano, Evangelium verò Divo Laurentio decantantibus, apparente supra Altare ejus Augustissimâ Virgine Matre, ipsûmque denique Sacellum consecrate ipsdem, quibus illud facturus advenerat idem Sanctus Conradus, cæremoniis. Producerem quoque tam tibi PHILOTHEE, quàm tibi MONOPHILE magnam piissimorum Sacerdotum, atque Religiosorum catervam, qui dies noctesque invictum ab oratione spiritum non relaxabant, quantiscunque studiorum, aut aliarum occupationum negotiis distenti: sanè profundissimus ille Societatis Jesu Theologus Suarez refertur asseruisse, malle se omni suâ scientiâ & eruditione privari, quàm unicâ consuetæ suæ orationis mentalis horâ.

Dictum Patris Suarez de oratione

Fastidium orationis malum signum est.

IV. Cæteroqui, ut hanc partem finiam, sive Ecclesiasticus, sive Regularis orationem fastidians, aut negligens pro infallibili veritate teneat, se magno obnoxium esse æternæ suæ salutis periculo; quemadmodum enim latentis in stomacho maligni humoris, aut mortalis infirmitatis manifestum indicium est, cibos nauseare, abhorrere, averfari, vel egerere etiam arte exquisitâ conditos, ita pro indubitato signo credendum, in anima

animâ sive Religiosi, sive Clerici, imò & Lai-
 ci orationem nauseantis latitare malig-
 nantem animi remissi, negligentis, dissolu-
 ti, ac non nisi ad laxitatis cupidinem, liber-
 tatis amorem, sensualitatis oblectamenta
 affecti, dispositionem ad mortale pecca-
 tum, & animæ mortem quantocyus præci-
 pitantem. Hinc alter Mediolanensis Archi-
 Præsul: Væ, inquit, Religiose & *Va tibi Sa-*
cerdos, timeo, tibi si missâ paulatim ora-
zione, ac proinde cognitione tui, & officii,
atque oneris tibi impositi, multitudo ne-
gotiorum, vel mera negligentia, te ad cor-
durum perducatur, quod devotione (ampli-
us) non incalescit, compunctio non scin-
ditur, & seipsum non exhorret, quia nec
se sentit, dum incipit sine sanctis & ratio-
nabilibus scrupulis vivere, neglectâ jam
 quasi penitens oratione. Sed nunc ad psal-
 modicæ præstantissimas laudes nos trans-
 feramus.

S. Ambr. l.
 10. epist. 28.

S. Bern. 1. de
 confid.

V. Sacrosancta Jesu Christi Spon-
 sa, & nostra Mater Ecclesia Militans ter
 optimè illas in cœlis Angelorum & bea-
 tarum mentium Hierarchias æmulatura
 pro modulo suo, consuevit jam à primis
 incunabulis suorum natalium per suos
 fideles, maximè selectiores Ministros,
 stas temporum intervallis quâ privato
 Psalterii Davidici officio, quâ publico
 psalmodiorum, hymnorumque cantu simul-
 taneo

Vfus psal-
 modicæ ab
 Ecclesia in-
 stitutus.

taneo & alternativo beneficiorum Dei memoriam commendare, laudesque referre. At summis omnino votis exoptandum foret, virtutem & energiam, sensum, & latentia in Psalmis mysteria & documenta tam veteris, quàm novi fœderis, Patriarcharum & Prophetarum omnium, insuper Apostolorum ac Evangelistarum, ex Sancti Spiritûs afflatu dictata, omnibus saltem ad dictum psalmodiarum officium obligatis, penitiori intelligentiâ cognita esse. O quanta dein inflammati spiritûs devotione illud persolverent! ô quanto vocis ex imo peccatoris fundo attractæ alacritate illud decantarent.

Psalmodiæ
encomia,
virtutes,
contenta.

Nicet.
tract. de
Psalm. bo-
no c. 1.

VI. Mirificus est sanctus Nicetius in ex-
tollendo psalmodiæ encomio, ita decla-
mans; hîc variato carminum genere, Poëti-
cis phrasibus, elegantibusque metaphoris
*Deus ostenditur, ut timeatur, simulacra
ridentur, justitia ingeritur, iniquitas
prohibetur, misericordia laudatur, incre-
dulitas abdicatur, veritas requiritur,
mendacia damnantur, dolus accusatur,
innocentia collaudatur, superbia dejici-
tur, humilitas predicatur, pax sequenda
depromitur.* Hîc contra inimicos postula-
tur protectio, vindicta injuriarum promit-
titur, oppressi sublevantur, vacillan-
tes

tes confirmantur, inflammantur frigidi, excitantur pigri, totusque homo interior renovatus, mirâ suavitate perfunditur. Hic, *quod omnibus excellentius est, Christi Sacramenta cantantur: generatio enim ejus exprimitur, virtutes Domini referuntur, passio ejus veneranda depingitur, resurrectio gloriosa monstratur, rejectio plebis impia, & gentium hereditas nominatur, igneus Domini manifestatur adventus, terribile de vivis, & mortuis iudicium panditur, Spiritus creantis emissio, & terra renovatio revelatur; post qua erit in gloria sempiternum justorum regnum, & peccatorum perenne supplicium. Præterea habet hic infans, quod la-
 Et eat, puer, quid laudet, adolescens, quid corrigat viam suam; juvenis, quid sequatur, senior, quid precetur; discit hic fœmina pudicitiam, pupilli inveniunt Patrem, Vidua Advocatum, oppressi Judicem, pauperes Provisorem, advena Custodem, Reges, Judicesque audiunt, qui timeant.*

Idem.
Doctrina.

VII. In psalmis invenitur, quod consoletur tristes, quod temperet lætos, quod humiliet superbos, quod moneat, increpet, terreatque peccatores, ut aut minis, & pœnis coërceantur, aut promissis invitentur ad correctionem: dum enim suaviter psalmus auditur, cum delectatione animum penetrat, & remedium per pœnitentiam

Dd lacry-

lacrymosam salubriter eis ingeritur. Unde Dominus Deus per David servum suum confecit potionem, & omnibus omnino suscipientibus aptam medicinam, quæ dulcis esset gustui per cantationem, & efficax ad curanda vulnera peccatorum per suam virtutem. Hæc & in istum sensum S. Nicetius Trevirensis Episcopus, qui ab utero matris (inaudito prodigio) rasus cum monachali corona prodiens, quasi jam ad monasticam psalmodiam inauguratus esset, perelegantes de ejusdem bono, & vigiliis nocturnis tractatus edidit, non dudum in Gallia ex vetustatum tenebris rursus in

S. Nicetius
rasus ut Mo-
nachus na-
scitur.
Ex Menol.
5. Dec. 6.
6.08.

S. Ambr. in
pref. ad Ps.
& S. Basil.
in expli.
Psal. 1.

Illius can-
tus lacry-
mas dulces
elicit.

S. Aug. 1. 9
Conf. c. 6.

lucem vindicatos. Ex quibus intelliges, qualiter, psalmi adè potentes esse dicantur, ut etiam saxa illis respondeant, id est, saxea peccatorum corda emolliantur, & ipsas etiam ex lapideo pectore, atque adamantino corde lacrymas ciere valeant uberrimas. Testis luculentus est S. Augustinus, qui de se ita fatetur: *Quantum flevi in hymnis, & canticis, suave-sonantis Ecclesie tue vocibus commotus acriter, voces illa in fluebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex eâ astuabat affectus pietatis, ET CURREBANT LACRYMÆ, ET BENE MIHI ERAT CUM EIS.* Unde idem vocat Psalmodiam

pri-

primum insipientibus elementum, profi-
cientibus incrementum, perfectis stabile
firmamentum opus Angelorum, exerciti-
um cœlestium, spirituale thymiana.

In Prolog.
super ps.
tom. 8 p. r.

VIII. Voluit autem Deus hoc psal-
lentium quorumcunque Dei, & Eccle-
siæ Ministrorum gratissimum suæ Ma-
jestatis obsequium admirandis sæpe
prodigiis testatum facere, ut tantò ad il-
lud eisdem redderet promptiores, quò
id sibi, Sanctisque suis acceptius esse,
demonstrabat. Stupendum illud, quod
& rarissimum: quando in vigilia as-
sumptæ gloriosissimæ Martyrum Regi-
næ quadraginta Cistercienses Monachi in
Hibernia, sub foedissimæ Jezabelis Eli-
sabethæ imperio sacrilegâ hæreticorum
manu capitibus ad unum omnes trun-
cati (solo Cellerario tum casu absen-
te) ne tanta instans solemnitas suo de-
fraudaretur applausu, ipso reduce & in-
spectante, resonantibus quoque ultrò
campanis; humo se relevantes, & abscis-
sa capita jam coronis cœlestibus insigni-
ta, corporibus truncis imposuere, &
in sua quisque sedilia euntes, cum pal-
mis in manibus, tam solemnî ritu, can-
tûsque dulcedine vespervas decantârunt,
ut non homines, sed merissimos Ange-
los Cellerarius credidisset eos esse, nisi
singulos Confratres suos cum obtrun-

Monachi
occisi psal-
lunt Vespere-
ras.

Ex Menol.
14. Aug.

Monachus
mortuus ju-
vat è sepul-
chro canta-
re: *Te Deum*
laudamus.
Polland. 23.
Mart. n. 5.

Psal. 133.

SS. Martyr.
Sacerdotes
occisi, psal-
lere auditi
sunt,

cato Abbate de facie cognovisset : at-
que vidisset omnes sese (cantatis vespe-
ris) in pristinum locum , & statum
obitûs triumphalis collocâsse. Huic non
multùm ab simile , æquè vix aliàs audi-
tum recensetur in Vita B. Petri de Eu-
gubio in Umbriâ , Ord. Eremitarum S.
Augustini , qui post suam mortem &
sepulturam Fratribus de nocte psallen-
tibus , hymnumque : *Te Deum laudamus* ,
incipientibus suavissimâ voce alternabat
canendo : *te Dominum confitemur* , attoni-
tis cunctis , totâmq; perlustrantibus Ec-
clesiam , sicubi tam dulciter respon-
dentem invenirent , aperto tandem se-
pulchri loco , reppererunt dictum Bea-
tum ore patulo , manibusque junctis , &
ad cœlum protensis , genuflexum , suâ-
que ejusmodi corporis constitutione ,
quasi tacitè illud psalmi ingeminantem :
In noctibus extollite manus vestras , &
benedicite Dominum , corpus ejus exinde
in decentiorem locum translatum est.

IX. PHILOTH. Sunt hæc stu-
penda defunctorum Religiosorum pro-
digia , sed his parùm inferiori referun-
tur in historiis Ecclesiasticis , de Sacer-
dotibus sævissimo Diocletiani ferro pro
fide Christi trucidatis. Cùm enim fu-
ror impiissimi sanguisugæ selectissima
quæ

quæque Ecclesiæ membra, & ea maximè, quæ fuerant ordinis Clericalis, absumpserunt, circa eorundem Reliquias & sepulturas stans semper horis, matutini, laudum, cæterarumque usque ad vesperras inclusivè, auditi fuere iidem psalmodiæ cantus; quos illi in vivis, suis in Ecclesiis, vel quandoque in subterraneis cœmeteriorum Sacellis & Cryptis convenientes modulari consueverant. Quos & quales, putas THEOPHOBE, fuisset istos Choraulos? An beatissimos illorum Martyrum Manes? An Genios cœlestas vicem occisorum supplentes?

THEOPHOB. Utrumque si dixeris, rectè dixeris; nam & animæ illæ triumphanti in Ecclesiâ gloriôsæ auditæ sunt cantare Deo *canticum novum*, ut montes *resonarent laudationem*; & illi alati Musici multoties cœlo delapsi, *psallentibus medios se immiscerent*, *congaudentes de puritate alacriter psallentium*; ubique *solicitati, ne vel divina interrumpantur, vel hac cœlestia cantica commaculentur*. Aut ipsimet etiam absentium vices vocesque suppleverunt.

X. MONOPH. Sit interlocutioni venia, ad manus mihi est liber Italicus, *Prato fiorito* intitulatus: in quo non dudum sequentia legi; vidisse S. Bernardum cœlestes illos Ephebos in

Apoc. 5. 9.
Isa. 4. 23.
S Chrys in
explio. Ps.
37.

Prato fiorito di varii
Essemp. c. 19.
c. 1.
c. 2.

Choro cum singulis Fratribus stantes, atque psallentes; vidisse ad gloriosum Hymnum: TE DEVM LAUDAMVS, aliam novam innumerabilem splendidissimorum Spirituum multitudinem de cœlis descendere, incredibili alacritate omnes Fratres animare, excitare, dæmones abigere, & qui devotius psalmodiam suam persolvebant, extraordinarios applausus apud eosdem exhibere. Vidisse insuper aliâ vice, Angelos Custodes singulorum Fratrum, vidisse, dico, illorum voces lectionum, recitationum, & cantûs, in peculiari charta diligentissimè notare; ac perfectissimâ devotione psallentium verba, & syllabas purissimo auro; minùs devotorum argento; tepidorum, ac somnolentorum atramento; negligentium, & distractorum, vel aquâ solâ, vel totaliter nihil inscribere. Et ex post factò eundem ter Beatum Patrem, tam dictam visionem, quàm annotationum Angelicarum differentiam mellifluo suo sermone convocatis FF. exposuisse.

S. Bern.
videt Angelos cum FF. psallentes.

Angeli notant diversimodè verba psallentium.

Angeli & B. V. suppleant in choro vices absentium.

THEOPH. Præclarè ad rem nostram; sed omnem superat admirationem, quòd tam Angeli, quàm ipsamet augustissima Angelorum Regina, suorum devotorum ex causa infirmitatis à choro absentium vices obiisse legantur;

tur; ita enim in Monasterio Corbeien-
si in Westphalicâ, durante multis sæ-
culis Religiosi instituti sanctitate quo-
ties quis infirmitate derentus, chorum
frequentare impediabatur, Angelus ejus
perceptibili voce munus absentis sup-
plevit. Et alibi Beatissima Virgo Maria,
vidente innocentissimo Fratre Abundo,
splendidissimo induta cucullo, psallenti-
bus in choro se inseruit, itidem psal-
lendo, & pro eodem suo devotissimo
cliente psalmos intonando.

*Ex Menol.
Benedict.
10. Martii.*

XI. His ultra non est quod addam
ad psalmodiæ commendationem. Est
tamen, quò sacratissimum in primis cœ-
tum Clericorum omnium, horis aut
privatim recitandis, aut publicè psallen-
dis obligatorum alloquar: *Scio operam tuam*
& fidem, & ministerium & laborem &
patientiam; scio nobilissimi DD. Cano-
nici vestras multiplices, gravesque Cho-
ri occupationes in dicendis & canendis
tot vivorum & mortuorum Officiis, quæ
vos maximâ totius matutini temporis
parte occupant; rursumque ad pome-
ridianas Vigilias & Vesperas compel-
lunt, scio in his patientiam vestram &
laborem vestrum. Scio, vigilantissimi ani-
marum Pastores, sollicitudines, curas,
& irremissibiles vestras pro ovium com-
missarum salute defatigationes: *Sed ha-*

*Apoc. 2. 1.
seqq.*

*Sacerdo-
rum occu-
pationes in
templo as-
siduz.*

beo adversum vos circa divinissimi istius officii psalmodici quotidianum pensum hac pauca: non enim invenio operavestra plena coram Deo; si nimirum unica vel sesqui hora persolvendi officii, & suavissimi istius cum supremâ Dei Majestate colloquii, & concertationis Archangelicæ, aliis quibus videretur gravis, onerosa, molesta & nimis diuturna; quibus tamen confabulationis inutilis, conversationis mundanæ, symposiorum, relaxationum quandoque satis dissolutarum commercium, tam fortasse jucundum, gratum, amabile, suave, & nimis breve appareret.

*Fastidia
psalmodicæ
non recrea-
tionum,*

*Nimiaz re-
citandi ac-
celeratio-
nes,*

*Interfabu-
lationes,*

XII. *Habeo adversum te, inquit Angelus Apocalypticus, quisquis es sive Regularium, sive Clericorum, si horas sive psallendo, sive recitando tantis cum accelerationibus, versuum præcipitantiis, verborum conglomerationibus, mutilationibus syllabarum, & vocum syn-copationibus percurreres potius, quam ritè persolveres, quasi unicus tam Angelici operis scopus esset, citò finivisse. Aut si inter eas oculis & animo quaqua-versum voluntariè evagantibus abreptus, sopitus mero, vel somno, aut (citrà hæc) risu, confabulatione, vel aliis actionibus incompetentibus interrumpendo, postmodum tumultuariè & per-*
fun-

functoriè transcurreres, cum tam crebro
& probabili invaliditatis periculo, gravi
Divini Numinis offensâ, & restitutionis
emolumentorum beneficii obligatione,
Hinc illa Clementis PP. V, in SS. Canoni-

Clement.
de celebr.
Miss. cap.
Gravi.

bus ad Venerabilem Clerum lamentatio.
*Gravi turbatione movemur, quod pleriq;
Ecclesiarum Ministri modestiâ Ordinis
Clericalis abjectâ, dum offerre Deo sacri-
ficium laudis, fructum labiorum suorum
in puritate conscientia, & animi devotio-
ne deberent, horas Canonicas dicere, seu
psallere transcurrendo, syncopando, extra-
nea quidem, & plerumque vana, prophana,
& inhonesta intermiscendo colloquia;
tarde ad Chorum conveniendo; canes se-
cum ducendo &c. ac quasi nihil preten-
dentes de Clericali militia in corona, ve-
stibus, & tonsura, divina celebrare, aut
eis interesse nimis indevotè presumunt
&c. Ex quibus Ecclesiasticum plerumque
perturbatur Officium in Divina Majesta-
tis offensam, & adstantium scandalum
populorum &c. Ideò sancimus, ut in Ca-
thedralibus, Regularibus, & Collegiatis
Ecclesiis horis debitis devotè psallatur. In
aliis verò convenienter, & debite celebre-
tur, ac recitetur divinum diurnum, &
nocturnum officium; si Dei & Apostolicæ
Sedis indignationem evitare voluerint.*

Gravis quæ-
rela Cle-
mentis PP.
contra Sa-
cerdotes.

XIII. Hinc etiam illi S. Bernardi ad
D d s suos

S. Bern.
serm 7.
super Can-
tic.

Querela
contra
somnia-
tos in psal-
lando.

Nullum
meritum
iadevotæ
psalmodiæ.

Aggai. 1.

suos Religiosos gemitus: *Doleo, aliquos vestrum gravi in sacris vigiliis deprimi somno, nec cæli cives, qui psallentibus dignantur admisceri solent, revereri, sed in præsentia Principum velut mortuos apperere, cum vestra ipsi a sacritate permoti vestris interesse solemnibus delectantur. Vereor, ne vestram desidiam quandoque abominantes, cum indignatione recedant, & incipiat unusquisque vestrum cum gemitu dicere: Longè fecisti notos meos à me, posuerunt me abominationem sibi.* Ecquid, existimatis, fructus, solatii, suavitatis internæ, gratiæ cœlestis, meriti supernaturalis, ex tali inattento, vago, incomposito, accelerato, & lurido vel psallendi, vel recitandi officii ritu, enasciturum, nisi quantum Spiritus Sancti dictamen per os Prophetæ disposuit ejusmodi verbis: *Ponite corda vestra super vias vestras; seminastis multum, & intulistis parum: comedistis, & non estis satiati, bibistis, & non estis inebriati, operuistis vos, & non estis calefacti, & qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum: hoc est; attendite & considerate, an non ex toties iteratis Sacrificiis, precibus, cantibus psalmodiis & laudibus divinis, ceu uberri-
mis seminibus, floribus, & botris merito-
rum gratiæ & gloriæ, nihilominus & mes-
sis & vindemia vestra sit sterilis & infœ-*

non spiritus interni vivacitas tota exarescat, anima vestra omni cœlestis suavitatis gustu & sapore (qui latet in piâ masticatione & ruminacione psalmodum) sit penitus destituta, & (quod magis pertimescendum) omne impensi temporis, & laborum vestrorum lucrum perdatis, imò & animæ gravissimam subeatis iacturam. Certè cuidam devoto Sacerdoti, attestante S. Vincentio Episcopo, ostensa fuit per revelationem innumerabilis multitudo animarum illorum Ecclesiasticorum in purgatorio gravissimos saccos igneos gestantium, plenos syllabis, versibusque psalmodum, quos vel ex malâ consuetudine synco-
pabant, vel non ritè, integrè atque devotè pronuntiabant.

*Prato si rî
to l. c. ef-
semp. 11.*

*Graviss.
pœnz pur-
gatorii in-
devotè psal-
mos persol-
ventium.*

XIV. Quapropter honoratissimi Sacerdotes, simul & Religiosissimi Claustrales, si sanctis Cœlitibus, Martyribus & Confessoribus, si Angelicis Spiritibus, Ipsique ter Max. cœlorum Dominæ, psalmodiæ devotio tantæ semper curæ est, ac fuit, ut tot inauditis cœlestibus prodigiis legatur nobilitata, quid faciant terræ vermiculi, quid humiles cicadæ? Quantam de hoc superdivino Laudis Dei officio homines existimationem sibi imprimere oportet, ut psallendo non fatuè, inaniter & insipidè

*Horatio
ad psallendum
sapienter.*

*Quid sit
psallere sa-
pienter.*

psal-

Pfal. 46. 8. *psallant, sed sapienter, hoc est, uti Divus*
S. Carol. Carolus constituit iis verbis: *In Divinis*
Const. c. 1. *officiis diligenter curent pronuntiatio-*
Reg. 8. *nem integram, attentationem & reve-*
rentiam cum interiore, tum exte-
riorem. Aut, veluti S. Basilius exponit: *Sed*
quis intellectum suum intendat in verba
singula psalmodia, sicut gustus intentus
est ad discretionem saporis ciborum, iste
complet, quod dictum est: Psallite sapien-
ter; imaginando nimirum sibi interme-
diam Archangelorum præsentiam, ac stan-
S. Bern. *do cum reverentiâ & disciplinâ: ut vel cho-*
serm. 7. su- *reas ducant cum Angelis, vel de divinis*
per Cantic. *laudibus & amore cum ipsis contendant.*
S. Chryso.
in explic.
Pf. 137.

MEDITATIO XXVI.

De ejusdem divinae laudis per Psalmo-
diam excellentiâ, utilitate, atque
devotione.

Textus Reg. *Cum ad opus divinum assistimus, sem-*
6. 19. *per memores simus, quod ait Propheta:*
Servite Domino in timore. Et iterum:
Psallite sapienter. Et, in conspectu An-
gелorum psallam tibi.

Isai. 63. *Prælud. Imaginare Majestatem Do-*
mini in cælo, in tabernaculo sanctissi-
mi Sacramenti, sedentem in solio, &
assisten-

assistentes Seraphinos clamantes alter ad alterum : Sanctus, Sanctus, Sanctus &c.

Punct. I. Confid. Psalmodiæ dignitatum. Num 1. transformat homines in Angelorum similitudinem, qui coram cœlorum Rege solemnes indefinenter agunt vigilias, & promunt laudes cœlestium cantionum, ac inter psallentes discuntur velut inter consortes regni, nunc ascendentes, nunc descendentes ad offerendas Deo laudes ipsorum. 2. Illius delectationem : *Est enim gratissima animarum tranquillitas, jucunda cordium serenitas, dulcis mœrentium consolatio, & honesta latantium compositio.* 3. Illius magnam efficaciam : siquidem *dæmones fugat, cœlos aperit, Sanctos latificat, Angelos in adiutorium invitat, & Deum ad miserendum provocat.*

Psalmodiæ dignitas, delectatio, & efficacia.

B. Laur. Justin. de disc. & perfect. Monach.

c. 17.

Blos. in can. vit. spirit.

c. 18.

Idem ib.

A, a, a, Domine ! nescioloqui, indignus sum tam Angelico officio, quia vir pollutus labiis ego sum : sed tu piissime munda cor meum, ac labia mea calculo ignito, ut dignè, & ferventer laudes tuas valeam annunciare.

Jerem. cap. 1. 2.

Punct. II. Confid. Psalmodiæ utilitates. 1. *Si eam solam haberemus, posset nobis per omnem vitam sufficere ad omne spirituale exercitium, legendi, meditando, Deum laudandi, & precandi.* Est thesau-

Utilitas, fructus.

Blos. in præfat. medul. Psalmodia.

thesaurus omnia continens spectantia ad emendationem, purgationem, & illuminationem, sive animæ consolationem. Unde vocatur *turris, galea, gladius, medicina, alimentum, lux, solatium, corona*. 3. Erigit fidem, spem, & charitatem: docet odium peccati, contemptum mundi, desiderium cœli, patientiam, sobrietatem, castitatem, paupertatem, obedientiam, fiduciam in Deum, conscientia tranquillitatem.

Magna hæc sunt, ô anima mea, sed quæ utilitas in eis, si tepescat affectus, distrahitur animus, evagentur lumina, dormitent oculi, tædium diuturnitatis obrepat, & os in risum, aut lingua in confabulationem solvatur? ô si æstimares te *de cælis à Deo semper respici*, & quod ab Angelis præsentibus die noctuque Domino factori opera tua nunciarentur, quomodo cantando & orando cum humilitate, & gravitate, & tremore id faceres?

*Regul. c. 7.
gr. 1.*

Reg. c. 47.

Angeli docent modum psallendi.

Ex Laurent. Justin. los. cit.

Punct. III. Consid. Ab Angelis doceri, quomodo psalmodia sit peragenda, his verbis: Nos superi cives, & agmina sancta intersumus choris laudantium, exultamusque in laudibus psallentium. s. tamen 1. distincte. 2. Si attentè. 3. Si vigilanter. 4. Si ardentè. 5. Si concorditer.


6. Si

6. Si humiliter dicantur. Tunc tanquam fideles Custodes comprimimus immundorum spirituum impetus, ubique alacres & festivi: O Si LICERET VOBIS NOS OSTENDERE, PRORSUS OMNIS TORPOR ABSCEDERET, OMNISQUE IGNAVIA FUGARETUR. *Econtra eas laudes abjicimus; qua negligenter pronuntiantur; indignamur oscitantes, tadiofos, tepidos, labiis quidem Regem nostrum honorantes, sed corde longius remoto, dum non invenimus, quid offeramus, nostram mox presentiam subtrahimus.* Ecce hæc Angeli: examina te super omnes conditiones, & sic ora ad SS. Angelos.

Indignantur contra
luridè psallentes.

O fidelissimi Custodes nostri nolite elongari à nobis, nolite nos ponere vobis abominationem, sed excitate dormientes, & stimulate tardantes, remove te tentationes, & adjuvate psallentes.

Ut purè, alacriter, concorditer, & solemniter semper in corde, ac jugiter ore Domino decantemus, servientes ei in timore, psallentes sapienter, & in conspectu Angelorum adoremus, & confiteamur Nomini Domini altissimi.



CON.

CONSIDERATIO I. ANTE-
MERIDIANA.

*De continuo Sanctorum PP. Orationis
Mentalis & Vocalis studio.*

*Gerf. l. 1.
c. 18. n. 2.*

Ibid. n. 3.

Sancti Patres per diem laborabant,
& noctibus orationi diutina vacabant: quanquam laborando ab oratione mentali minime cessarent. Omne tempus utiliter expendebant: omnis hora ad vacandum Deo brevis videbatur, & pra magna dulcedine contemplationis, etiam oblivioni tradebatur necessitas corporalis refectiois. O quanta fuit in principio omnium Religiosorum devotio orationis!

CONSID. II.

*De divinâ laude & necessitate cœlestis
auxilii contra evagationes inter
psallendum.*

*Gerf. l. 3.
c. 36. 1.*

*Ibid. c. 23.
5. & c. 8.
9.*

Domine hoc opus est perfecti Viri, nunquam ab actione cœlestium Laudum animum relaxare: quoniam insurgunt in me vanacogitationes affligentes animam meam: quomodo perfringam eas? clarifica me Tu, JESU bone, claritate interniluminis: cohibe evagationes multas, & vim facientes elide tentationes, ut abundantia laudis

*distuare sonet in Aula sancta: ministra
 devotionis aquas: ut cantem amoris can-
 ticum, & deficias in laude tua anima
 mea, jubilans ex amore.* 1b. ca. 5. 64

DIGRESSIO XVIII.

*De infinitâ præcellentiâ Sacrosancti
 Missæ Sacrificii; & incomparabili
 dignitate ac potestate Statûs
 Sacerdotalis.*

THEOPHOBUS.

(I.)

MULTA hæctenus Reverendissimo sta-
 tui Sacerdotali sparsim in super-
 ioribus inferui hortamenta & docu-
 menta, quibus tum ex gravitate pecca-
 ti, ac metu novissimorum, cum ex emi-
 nentissimâ conditione sui statûs ac vir-
 tutum amore permoverentur, ejusdem
 suæ dignitatis decorem & sanctitatem illi-
 batim conservare, facturus tamen ero in-
 gentis operæ pretium, si in præsentî discursu
 infinitam præcellentiâ sacrosancti Sa-
 crificii Missæ, quod quotidie obeunt, &
 transcendente Sacerdotii officium, quo
 funguntur, quasi Iliadem in nuce compre-
 hensurus, expendam. Inter omnia collata
 humano generi à Deo ter Opt. beneficia,

Ee

vel

Sacrificii
Missæ dig-
nitas, uri-
litas.

B. Laur.
Justin.
serm. de
Corp. Chr.

Illius præ-
conium.

Urban. PP.
VI. I.

vel suppeditata hominum necessitatibus remedia, aut vitæ spiritualis adjumenta, nullum prorsus sacrâ Missæ oblatione dignius nullum utilius, nullumque divinæ Majestati acceptius: per hoc enim Deo tribuitur honor, Angelis contubernium, exulibus cœlum, Religioni cultus, justitiæ debitum, norma sanctitate, obedientia legi, gentibus fides, lætitia mundo, credentibus gaudium, unitas populis, virtuti robur, hominibus pax, spes laborantibus, & pervenientibus gloria. Unde illam piissimæ mem. Urbanus VIII. in suo diplomate ante novum Missale dignissimè tali præconio extollit. *Si quid est in rebus humanis, quod nobis superni cives (si in eos invidia caderet) invidere possent, id certè est sacrosanctum Missæ Sacrificium, cujus beneficio fit, ut homines quâdam anticipatione in terris possideant cœlum, dum ante oculos habent, & manibus contrectant ipsum cœli, terraque Conditorem. Unde tantò magis mortalibus est laborandum, ut hoc tantum privilegium cultu, atque honore debito tueantur, caveantque Angelos negligentia osos, qui sunt amuli venerationis.*

Infinita il-
lius virtus
ad expian-
da peccata.

II. Hoc porro Sacrificium multis ex capitibus absolutam quandam & respectivam sortitur infinitatem: respectivam quidem ex diversis finibus
suz

suz institutionis à Christo Jesu factæ, imprimis, ad expiationem omnium peccatorum totius mundi, quæ cum & numero & quantitate molis sint infinita (ut supra perpendimus) Divinæ misericordiæ placuit, etiam infinitæ efficacitatis antidotum præparare, ut par esset morbo gravi medicina salutaris. Dein offensa infinitæ Majestatis Dei proculdubio non requirebat ad sui placationem condignam, nisi sacrificium quoddam omnes omnium creaturarum pacificas hostias & holocaustomata superexcedens, cum cætera omnia intra suæ finitatis limites se continentia, nullam fuissent habitura parilitatem. Accedit, quòd, cum beneficia illius summæ bonitatis mundo licet ingratissimo (ut de naturalibus taceam) plenissimo cooperæcornu effusa pluraque sint in ordine supernaturali meritorum & gratiæ, imò ad ipsammet Dei filiationem, & gloriæ hæreditatem creaturam rationalem elevantia, quæ, obsecro, alia æterno Benefactori debebatur gratiarum actio, quàm tale Sacrificium Laudis, quod ex parte sacrificantis & sacrificati absolutâ infinitate dignificaretur? Ultrâ quod omnia omnium gentium à mundi constitutione summo & infinito Numi-

Excedit
omnium vi-
scimarum
efficaciam.

Est condigna gratiarum actio pro Dei beneficiis.

Et condig-
nus honor
summo Deo
debinus.

Isa. 6. 4^o.

ni, seu putato, seu vero oblata sacrificia in id principaliter collimabant, ut talis Numinis altissimæ Majestati, omnipotentia, omniscientia, omnipresentia, & immensitati condignus honor exhiberetur, & gloria, etiamsi innumerabiles bestia agris & pecora campi fuissent quotidie in hunc finem mactata, etiamsi hominum milliones in holocausta adjecti, interempti, cremati, & sacrificati, nihil adhuc condignitatis ad debitum tam immensæ Majestati honorem resultare poterat; cum & insulæ quasi pulvis exiguus, & cum animalibus comes gentes quasi stilla situlæ, aut quasi nihilum & inane reputatæ sint ei, & nec Libanus suffecisset ad succendendum, Clementissimè ergò æterni Patris Sapientia, ad deferendum & protestandum Deo honorem, obsequium, subjectionem & cultum suæ infinitæ dignitati condignum & parem, hoc altissimum sacrificii mysterium tam dictâ respectivâ, quàm mox dicendâ absolutâ & intrinsecâ excellentiæ infinitate præpollens instituit, ac universo propagavit in orbe.

III. Attende modò, ô genus electum Sacerdotum tam sæcularium, quàm Regularium, quos omnes hîc jam compello, quotquot è Clericis, aut Professis

fessis Religiosis ad ter millies sanctum Sacerdotium aspirant, advertite animum ad excelsiorem adhuc vestri istius sacrificii, quod quotidie obire cogitatis infinitatem, ut abinde & vestram ministerii, & gradus altitudinem ultra omnes Reges & Principes terræ, supra omnes Archangelorum & Seraphinorum catervas, ad usque æterni Patris omnipotentiam elevatam recognoscatis. Enimverò dum vos hoc Sacrificium vestris manibus tractatis & offertis, non existimate (inquit aureum illud os) *hac veste esse virtutis opera, sed manum Christi invisibiliter extensam*; siquidem in ipsa immolationis horâ ad Sacerdotis vocem cœli aperiuntur, Angelorum agmina descendunt, summis ima sociantur, jungantur terrena cœlestibus, unumque ex invisibilibus & visibilibus conficitur. Quodque omnem admirationem excedit, tota Sanctissima Trinitas, Pater, Filius & Spiritus Sanctus ad omnes Sacerdotis sacrificantis actiones internas, atque externas videlicet ad intentionem, affectus cordis, verborum consecrationis prolationem, motus manuum, & genuflexiones concurrat, non solum ut causa efficiens, sed cum Sacerdote & per Sacerdotem operetur, ut intimè præsens

S. Chryf.
hom. 83.
in Matth.

S. Greg. l. 4.
dial. c. 57.
Ad quodlibet Sacrificium Missæ concurrat SS. Trinitas

S. Aug. in
Psalm.

IV. Oculatos testes desideratis. Et ipsum S. Chrysoſtomum produco, quem S. Nilus Abbas teſtatur, vidiffe tam di-
vina ſpectacula; vidit & ille, Cifterci-
enſium gloria, Lauſanenſis Antifteſtes Bo-
nifacius adſtantes ſibi utrinque Ange-
los, miniſtrantes ad Aram, manum de-
bilem juvantes, extendentes, elevantes,
ac remoyentes. Idem, ac multò ampli-
us conſpexit B. Gereon Hemmenroden-
ſis Monachus, ſcilicet Chriſtum ipſum
ſub Miſſæ Sacrificio apparentem in al-
tari, & ex vulneribus ſanguinem ſuum
roſeum in calcem Sacerdotis ubertim
diſtillantem. Sed nec illud prætermi-
tendum, quod tam à Surio, quam aliis
refertur de ſanctiſſimo Udalrico Præ-
ſule Auguſtano, eum non modo in divi-
nis pſalmodiæ laudibus ita exarſiſſe, ut
tam ipſe, quàm alii ſecum pſallentes cœ-
leſtibus viſionibus ſæpè illuſtrarentur,
ſed etiam ſacris ad aram quotidie factis,
tanto cum devotionis ſenſu operatum
eſſe, ut aliquando in Sancto Paſchatis
die multâ aſtante Clericorum catervâ,
apparuerit dextera quædam ſuperna,
quæ conjunctim cum Epifcopi cele-
brantis dexterâ divina ſanctificavit ſa-
cramenta; dum autem Henricus Præ-
byter Cantoris officio fungens, factum
evulgaverat, ab humillimo Antifſtite ea-
prop-

S. Nilus.
in epiſt. ad
Anaſtaſ.
Ex Menol.
19. Febr.
Angeli &
Chriſtus aſ-
ſiſtunt Sa-
crificanti.

Ex Menol.
1. Aug

Sur. in Vit.
4. Jul.
S. Udari-
cus inter
pſallendum
viſionibus
illuſtratus.

Inter cele-
brandum
cæleſti ma-
nu adjurus.

propter gravi objurgatione, & rubore suffusus est. Hæc quoad principalem sacrificantem, qui ipsemet Dei Filius concomitanter cum Patre & Spiritu Sancto est.

V. Quæro jam ex vobis, quoto in ordine Sacerdotem ceu minus Principalem tam ineffabilis Sacrificii Ministrum collocabimus? Qui ad Aram pro universo orbe Legatus intercedit, cui totus mundus concreditus est? Longè infrà rem erit, etiamsi eum & Regem, Regumque superiorem dixerimus, quantò enim augustissima templa anteriora sunt superbis Regum palatiis, venerabiliora Sanctuaria amplissimis aulis, Altaria digniora profanis Tribunalibus, solemniora Sacrificia strepitosis judiciis, Sacratiores vestes Ecclesiæ Regum purpuris, nobiliores mitræ & baculi Pastorales, gemmatibus coronis ac sceptris, tantò præstat Sacerdotalis dignitas, potestas, & Jurisdictio, omnium simul Regum potentia, Majestati, Imperio. Quippe Regi commissa sunt corpora, Sacerdoti anima; Rex maculas corporis remittit, Sacerdos autem maculas peccatorum; ille cogit, hic exhortatur; ille necessitate, hic consilio: ille habet arma sensibilia, hic arma spiritualia, ille bellum gerit cum hominibus, huic bellum est cum demonibus;

Sacerdos
longè præ-
cellit re-
giam digni-
tatem.

S Chryf.
hom. 4. de
verb. Isaiæ.
Antithesis
potestatis
Sacerdota-
lis, & re-
giæ.

Reges Sa-
cerdotum
sententiis
subjecti.

ille reos etſi confefſos & dolentes ad fur-
cam condemnat, hic læſæ etiam Maje-
ſtatis divinæ fontes, pœnitentes, & con-
feſſos à culpâ & pœnâ, à ſupplicio, & rea-
tu æternæ damnationis liberat. Hinc me-
ritò Sacerdotis Majeſtati Regis poten-
tia in genua ſe inclinât, ad pedes advol-
vitur, ſimplici ejus manui caput diade-
mate coronatum ſubmittit, à dexterâ
ſacram benedictionem exambit, à digi-
tis unctionem, & conſecrationis inaugu-
rationem recipit, & quod exceſſivæ po-
teſtatis eſt, ab ejuſdem authoritate &
Jurisdictione vel abſolutionis, vel con-
demnationis ſententiã expectat.

Œ. Ephrem
Syrus.

PHILOTH. *O Miraculum ſtupen-
dum! ô poteſtas ineffabilis! ô tremendum
Sacerdotii Miniſterium, ſpirituale, ſan-
ctum, irreprehenſibile, excedit omnem
intellectum & orationem, & cogitatio-
nem donum altitudinis dignitatis Sacer-
dotalis.*

Præcellunt
ordines An-
gelorum,

Œ. Bern. in
ſerm. ad
frat.

VI. Ea ſentis, quæ & illuminatiſſimus
Bernardus ſenſit, & præ admirationis ex-
ceſſu hujusmodi verbis deprædicavit: *O
quantam dignitatem quantam nobilita-
tem, quantumque donum contulit vobis
Deus, ô Sacerdotes; prærogativam enim
Ordinis veſtri prætulit Deus omnibus Re-
gibus & Imperatoribus terra: prætulit
ordi-*

ordinem vestrum omnibus ordinibus mundi, & OMNI ANGELICÆ HIERARCHIÆ.

MONOPH. Jam non miror tanto-
perè, quod alias cum magnâ admiratione
legebam, & recenferi audiveram de B.
Francisco dicere solito, si vel cœlitem, vel
Angelum cœlo delapsum cum Sacerdote
itinerantes obvios haberet, se primum
reverentiæ osculum exhibiturum homini
Sacerdoti, quàm Sancto, vel Angelo in
cœlis glorioso, plus illi se debere signifi-
cans, qui Christi vices in terris ageret,
quàm Angelo, qui cum Deo in æternâ
beatitudine regnaret.

*S. Bonav.
in vit. c. 4.*

*S. Fran-
ciscus ho-
norat Sacer-
dotes præ
Angelis.*

THEOPH. Æquissimum terre-
stris istius Cherubini judicium, cui enim
Angelorum, aut Seraphinorum datæ
sunt unquam claves regni cœlorum,
potestas solvendi vel ligandi peccata,
dæmonum machinas destruendi, recu-
perandi amissam Dei gratiam, distri-
buendi Sanctissima Sacramenta, appro-
ximandi sinui Patris omnipotentis, au-
thoritate communicatâ evocandi ejus Fi-
lium, æqualem in divinitate, poten-
tiâ, immensitate? tollendi etiam qua-
si è sinu sanctissimæ Virginis Matris, ab-
dendi, subjiciendi & recondendi sub
minutis specierum panis & vini ad li-
bitum, & ad punctum ultimum soni-

*Potestas Sa-
cerdotalis
major An-
gelicâ.*

Et

tus

S. Laur.
Justin.

tūs quinque verborum Sacerdotis, ingenti paupertate, indigentia, impotentia, ignorantia, miseria, imò & omnimoda quandoque in dignitate laborantis? Ad quod nusquam datum est Angelis vel Archangelis, hoc homini Sacerdoti prerogativum est gratia, ut ad libitum ejus Verbum in carne in altaris mensa verificum reperiat: illud manibus tractet, populis tribuat, in seque suscipiat.

Incarnatio
Verbi Divini
vi s.
verborum.

S. Bern. to.
I. conc. 61.
A. I. C. 12.

VII. Quam vero etiam verborum energiam exprimi poterit, quod, ut ait divinus ille Gregorius, in Sacerdotum manibus velut in utero Virginis filius Dei incarnatur: Nolo equidem Rhetoricis ad hoc ineffabile mysterium declarandum, uti figuris, dicam tamen, quod in re ipsa est. Potuit illa gratiosissima Virgo delitescens in sinu æterni Patris increatum Verbum potentiam vocis suæ abstrahere; in immaculatum sui uteri conclave, prius tamen mente, quam ventre, idque ex virtute Altissimi obrumbrante Spiritu Sancto his quinque verbis: *Fiat mihi secundum verbum tuum*; quod ut fieret, ut foemina conciperet & pareret Deum, oportuit foeminam elevari ad æqualitatem divinam per quandam quasi infinitatem charismatum. Quis ergo dubitet, quod, dum Sacerdos Verbum jam incarnatum de dexteram Patris evocans, intentione prius

prius, quàm formâ ex Patris omnipotentia, Spiritu Sancto qualificante, aliis illis quinque verbis : *Hoc est enim Corpus meum*, in Altari consecrando, quasi parturit, oportere hominem, ad quandam elevari potentiaë infinitatem? ut quemadmodum Deus per omnem potentiam, majorem maternitatem Dei maternitate facere non potest, ita neque de absolutâ potentiaë individuum, aut speciem Sacerdotii Sacerdotio Dei nobiliorem efficere queat.

Incarnatio & Consecratio sunt potentiaë infinitaë.

VIII. MONOPH. Unum in hoc incomprehensibili mysterio Sacerdotali, seu Sacramentali mysterio magis admiror, quòd immensum Dei Verbum in immaculatâ Virginalis uteri membrana tantâ quidem potuit abbreviatione contrahi, ut unius apiculæ quantitatem in sua conceptione non excederet, ut apud Theologos legi, at jam in plenitudine & perfecti Viri staturâ, totus quantus per potestatem Sacerdotis sub miculâ tenuissimâ, & vix visibili recondi possit.

Immensitas Filii Dei in incarnat. & Consecrat. est sub minimâ forma.

PHILOTH. Hoc quidem, quod affers MONOPHILE, prodigium est, sed omnipotentiaë Dei ad talia patrandâ elevanti Sacerdotem, conforme; illud autem divinaë dignationis & humiliationis prodigium cœli ambitu majus

Christus in
utero purif-
simæ Vir-
ginis.

Idem in
manibus &
corde sa-
cerdotis.

jus est, quòd quidem divinissima Virgi-
nis proles in ejus utero tanquam in mun-
dissimâ Deitatis aulâ, & omnium virtutum
gemma micante triclinio delitescere suas
delicias reputârit, sed, quòd non hor-
reat, in manus meas heu quàm sæpe
immundas, labia polluta, linguam
coinquinatam, orisque & cordis pen-
trale innumerabilibus maculis conta-
minatum è cœlo delabi, & dum à suæ
purissimæ matris sanguine & lacte nu-
tritrus maternam substantiam in suam
convertit, hîc Sacerdotem proprio suo
sanguine nutrire, & sumentis substan-
tiam in suscepti transmutare dignetur,
hoc, dico, dignationis & humiliationis
divinæ prodigium omnem excedit crea-
tæ intelligentiæ capacitatem: ut non plus
ultrâ.

IX. THEOPH. Metam vos sub-
limitatis Sacerdotii attingisse creditis per
recensita, sed altior restat vobis eme-
tiendus apex, usque ad æternam & in-
narrabilem cœlestis Patris essentialem po-
tentiam, Verbi sui increati generativam,
Etenim si Verbum Divinum à Patre suam
intelligendo & comprehendendo Na-
turam concipitur, & ad intra loquen-
do Filius generatur, atque ex amore
reciproco Patris & Filii spiratur quo-
que Spiritus Sanctus, unus Deus in una
sub-

substantiâ, hîc pariter in divino Sacrificio à Sacerdote suam quidem naturæ indignitatem intelligente, at non minus recognoscente in se divinæ elevationis dignationem, intentione mentis & verborum formâ concipitur, & quasi ex ore gignitur super Altare Verbum Incarnatum; & quia Verbum hoc quâ Deus, ejusdem indivisibilis est substantiæ cum Patre & Spiritu Sancto, hinc vi Sacerdotalium verborum adest in ejus manibus unus Christus, unus Deus & homo, & per concomitantiam cum Christo etiam Pater & Spiritus Sanctus. Semel locutus est omnipotens Pater *ad intra* suum ineffabile Verbum, sine strepitu verborum, multifariè verò, multisque modis *ad extra*, creaturas diversas producendo, easque conservando; sic loquitur tacitè apud semetipsum in consecratione Sacerdos, & per prolati consecrati istius verbi efficaciam, quibuslibet aliis creaturis loquitur, & benedicuntur; elementis, & expurgantur, justis, & sanctificantur, peccatoribus, & convertuntur; infantibus natis & ab originali mundantur, moribundis, & in pace dimittuntur, loquitur Angelis, & ad consecrationem accurrunt, loquitur dæmonibus, & velut fulmine tacti diffugiunt, loquitur Deo, & offensus placatur.

Parallele
potentiæ
generatiuæ
æterni Pa-
tris.

Cum pote-
state conse-
cratiua Sa-
cerdotis,

Efficacia
verborum
Sacerdotis
ad omnes
creaturas,

Vox æterni
Patris de
suo Filio.
S. Leo PP.
hom. de
Transfig.
Dom.

Vox Sacer-
dotis de
Christo in
altari præ-
sente.

X. Non possum hîc præterire dul-
cissimum illud cœlestis Patris de suo Fi-
lio in Thaboræi montis cacumine altâ &
intelligibili voce editum eloquium : *Hic
est Filius meus dilectus* ; quasi in eo sibi
infinite complacendo diceret ; sic meus
est , ut illam à me non separet Deitas ;
potestas non dividat , nec discernat Ma-
jestas : meus est non adoptione , sed pa-
terno Jure , non aliunde creatus , sed ex
me natus , non de diversâ substantiâ mi-
hi factus comparabilis , sed de meâ es-
sentiâ totus æqualis ; cujus humilitate
clarificor , prædicatione manifestor , &
inseparabili cooperatione , omnia , quæ
facio , operor. Taliter sanè replicare Sa-
cerdotem cum intimo mentis suæ jubi-
lo posse , citra dubium est , nimirum hic ,
quem in manibus teneo , sic Christus
Deus & Dominus meus est , ut neque
ejus me horreat dignitas , nec eum mea
deformet indignitas , & nequaquam me
sua repudiet Majestas : meus hic præsens
est non in significatione , sed re & ve-
ritate ; non aliunde allatus , sed ex ore
meo prolatus , non cum pane vel impa-
natus , prout garriunt moderni hæreti-
ci , sed ex pane in carnem veram &
vivam transubstantiatus , manens totus
in toto & æqualiter totus in qualibet
parte,

parte; cuius ego consecratione dignificor, cuius elevatione clarificor, & cuius indifferenti cooperatione per manum suam invisibiliter super manus meas extensam, omnia, quæ facio, operor in ipso, ex ipso, cum ipso, & per ipsum. Hæc sunt, quæ mirretur orbis, veneretur terra, vereatur homo, tremiscant tartara, stupeat cœlum, & ipsemet colat Seraphica Celsitudo. *Hæc sunt altitudinis Sacerdotalis dona, quæ excedunt intellectum & orationem omnemque cogitationem humanam, vel cœlicam.*

XI. Quandoquidem ergo cunctos, qui *Sacri Altaris suggestu eminent, tantum excellere oportet merito, quantum gradu,* Salvian. l. 2. de Eccl. Cath. qualem ab eis integritatem exigemus? *Considerate, inquit aurea Chrysostomi lingua, quo non oporteat esse puriores atque ferventiores tali & fruente, & ministrante Sacrificio? quo solari radio non splendiores manus, Christi carnem dividentes? Os, quod digne spiritali repletur, & lingua que tremendo nimis sanguine rubescit? Cogitate, quali sitis insigniti honore, quali mensâ fruamini; Quod Angeli videntes horrescunt, neque liberè audent intrueri propter emicantem inde splendorem, hoc vos tractatis, hoc dividitis, hoc pascimini, huic unimini, & facti estis unum.* Puritas linguæ & manuum requiritur in Sacerd. S. Joan. Chrys. hom. 60. ad pop.

unum Christi corpus, & una caro. Nullus itaque Judas assistat: nullus Simon.

Perpendite, rogo, quantum adversus proditorem indignamini, considerate, ne & vos quoque sitis rei corporis, & Sanguinis Christi. Enimverò si illi iusty-

Arcæ fœderis incautus aspectus & tactus vindicatus.

Menol. Bened. 9. Jul. Cœlestes visiones superdignè celebrantes. 16. 28. Jul.

Hortenda est indigna celebratio.

pum, Arcam videlicet ligneam à Bethsaminis olim irreverentibus, vel incautis oculis aspectam, & ab Oza Sacerdote temerè contactam tam diro subitanæ mortis supplicio Deus vindicavit, qualis fiet in veritate ultio, si talis in umbra? Super Beati quondam Eugenii Pape, dignissimi S. Bernardi discipuli, caput, dum sacris operabatur, conspectus est divinus fulgor, & duæ speciosissimæ columbæ: B. Samsoni Monacho, & Episcopo celebrandi visæ sunt Angelicæ cohortes circumquaque astantes, Ministrantes, simulque sacram Hostiam frangentes, nec non è purissimis illius manibus, & ore ignis scintillæ, ac flammæ fulgurantes: quàm ergo horribile foret, & quam invisum cœlo, Superis, & Angelis spectaculum, circa indignè sacrificantem exultare demonum catervas? volitare circa caput seu humeris insidere non candidas è cœlo columbas, sed subsilientes Erebi corvos? atque exspirare de ore, vel manibus non nisi sulphureas Bacchi, aut Veneris faces?

XII. Nolite mirari, vel indignari ô
 Sacerdotes Altissimi, Regum Reges, Tituli Sa-
 Angelorum Iudices, cives Sanctorum, cerdotum.
 domestici Dei, Seraphinorum Superio-
 res, cœlestis Reginæ proceres, Numi-
 nis oratores, Divinæ voluntatis inter-
 pretes, Organa & Oracula Spiritûs
 Sancti, Arcanorum Dei Secretarii, &
 Divina in terris Numina: nolite, dico,
 sinistre intelligere, quod condecens
 statui vestro animi & corporis purita-
 tem & sanctitatem toties ingeminare &
 inclamare non desinam; hanc enim ip-
 sam inclamat vestis Sacerdotalis animi *S. Hier.*
 honestatem; inclamat status vester Se-
 raphicam puritatem; clamat professio,
 Religionis sanctitatem; clamat officii *Summa pu-*
 um, Sanctitatis devotionem; clamat *ritas requi-*
 studium, Sacratissimorum mysterio- *sita.*
 rum contemplationem: puritatem, dico,
 inclamant venerandæ oleo Sancto con-
 secratæ manus, Angelicis osculis digni-
 simæ manus aureis regni cœlorum clavi-
 bus exornatæ manus. Clamant deni-
 que & sanctitatem inclamant vestram
 Sacræ Litteræ, Sacri Canones, SS. PP. *Hortatio S.*
 & Sanctus ille ex inflammato divinis ra- *Augustini*
 diis corde Augustinus his aureo cha- *ad puritatē*
 ractere dignis verbis: *O Sacerdotes! si* *Sacerdotal.*
anima cujuslibet justus est sedes Dei. multo *S. Aug.*
magis sedes, & templum vos esse debetis *serm. 37.*
ad Frat.

mundum, & immaculatum: si beatus est venter, qui novem mensibus Christum portavit, beata quoque debent esse corda eorum, in quibus hospitium quotidie eligit Deus: si beata sunt ubera, quæ parvulus suxit, beatum debet esse os, quod carnem ejus sumit. & sanguinem sugit. Carnes ergo vestras timore ejus configite. & vobis diligenter prævidete, ne corpus, ne caro, ne lingua, nec manus, quæ quotidie intinguntur in sanguine Christi, polluantur sanguine peccatorum.

XIII. Recogitate per salutem vestram, ut si Dii estis ter maximi in terris, sitis & ter optimi in populis, si Angeli Incarnati, Angelicos spiretis odores, si Seraphini humani, non venereas seu carnales, sed Seraphicas ardetis flammæ: irradiate mundum splendore castitatis ut sol, condite insipidos hominum mares ut sal, sustentate Ecclesiam veluti bases, fulcite Dei domum ceu columnæ, munite Orthodoxam Religionem ut tures, quæ verbo, quæ exemplo præite sæcularibus ut Duces; ignorantes erudite tanquam Doctores, non vos increffate, sed pascite animas uti boni pastores, & tanquam propositi Ecclesiæ Navarchi sic navem dirigite, ut afflante Spiritûs Sancti aurâ per hujus vi-

Hortatio
ad implon-
dum mu-
nus Sacer-
dotale.

ta euripos salvi ad portum æternæ salutis perveniat.

MEDITATIO. XXVII.

De infinita excellentia Sacrificii
Missæ.

V Bique credimus, divinam esse presentiam, maxime tamen cum ad opus divinum assistimus. Ergo consideremus, qualiter oporteat nos in conspectu Divinitatis & Angelorum ejus esse.

Textus
Reg. 8. 12.

Prælud. Imaginare, te videre JESUM in ultima Cœna panem, & vinum in corpus suum consecrantes, & sanguinem; atque Apostolis, & omnibus consequenter Sacerdotibus dicentem: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Luc. 22. 19.

Punct. I. Confid. Hujus Sacrificii excellentiam, 1. ex parte rei oblatae, qui ipse æterni Patris per omnia æqualis, & consubstantialis Filius est, cum plenitudine suæ divinitatis, bonitatis, & misericordiæ, nec non sacratissima sua humanitate &c. 2. Ex parte modi sacrificandi, nam sicut in cruce sacrificatus fuit semel cruentè, ita hinc semper incruente. 3. Ex parte finis hujus Sa-

Sacrificii
Missæ 4.
excellentiæ.

crificii, qui est passionis suæ memoria, gratiarum actio, laus, obsequium, & amor. 4. Ratione valoris, nam prodest ad impetrationem, meritum, satisfactionemque, tam efficaciter, uti sanguis in Cruce fusus.

O ad inventiones omnipotentia Dei! ô excessus amoris! Quis caperet, tantæ Majestatis in tantilla portione subesse immensitatem, nisi fides hoc doceret

Marc. 9. 24. *Credo Domine, credo, adjuva incredulitatem meam.*

Alia excellentia ex principali offerente.

S. Aug. in Psal.

S. Chryf. l. de sacerdotio.

Punct. II. Consid. Eiusdem excellentiam ex parte principalis, & primarii Operantis, qui 1. est ipsemet D. JESUS CHRISTUS, summus Sacerdos. 2. Ipsa quoque sanctissima Trinitas, siquidem per Sacerdotem Pater, & Filius, & Spiritus S. operatur, concurrendo ad omnes actiones Sacerdotis internas, & externas; uti sunt, cogitationes, intentio, affectus, Verborum consecrationis prolatio, genuflexiones, manuum motus, crucis efformationes &c. 3. Huic etiam actioni assistunt Angeli; nam in horâ consecrationis universus locus Altaris Angelorum, & Seraphinorum choris cinctus est.

Quâ ergo reverentiâ oportebit huic Angelis ipsis tremendo mysterio interesse homines, ad quod cœli referantur,

tur, supernæ virtutes moventur, Cherubim, & Seraphim, Sanctus, sanctus concinunt, inferorum genua contremiscunt? O Deus! O Anima mea! quin etiam expavescis?

Punct. III. Consid. Eiusdem Sacrificii dignitatem ex potestate secundarii Operantis, scilicet Sacerdotis, siquidem Aliz ex dignitate potestatis Sacerdotal.

1. vi verborum consecrationis habet Deum voci suæ obedientem, & præsentem, quomodo, quoties, & ubicunque vult. Dei Filium quasi de sinu Patris, & de utero Matris evocat, extrahit, manibus palpat, tractat, reponit, & includit pro libitu.
3. Sanguinem pretiosissimum quasi ex latere Christi in calicem excipit, haurit, & bibit.
4. Tanquam plenipotentarius Minister dispensat populo in Sacramento omnia merita passionis Domini JESU, omnesque Deitatis divitias.
5. Regibus, & omni populo in terram prostratis, ipse solus stat coram Regum Rege, ut Mediator, Orator, Vicarius, Reconciliator, sacrificans, satisfaciens mereus, & impetrans. (Venerande Sacerdos; sedatim, ac seriò trutina hoc solummodò punctum; & in affectus pios erumpe.)

O sublimitas dignitatis! quid est homo, ô Domine, quòd vilem pulvi-

culum, & maximum peccatorem elevas super Cherubinos, Dei Genitrici æquas, Filii altissimi facis cooperatorem, æterno Patri in potestate conjungis? Ah! quâ igitur non oportet nitêre puritate manus illas hæc Sacramenta quotidie tractantes? Os illud quotidie tremendo nimis sanguine Christi erubescens? (Examinate circa reverentiam, puritatem, & devotionem celebrandi, five communicandi, aut sacrificio Missæ præsentaliter assistendi.)

O Seraphim, & Cherubim! aut velate facies vestras præ mea maxima indignitate, irreverentia, & tepiditate; vel juvate, & incitate me ad imaginandam mihi semper vivacissimè vestram, & Numinis præsentiam, ut in conspectu divinæ Majestatis, ac vestro ad hæc Sancta Sanctorum purissimâ semper mente merear introire.

CONSIDERATIO I. POMERIDIANA.

De infinita excellentia Sacrificii Missæ, & potestatis Sacerdotalis.

Id. l. 4. c. *SI haberes Angelicam puritatem, & S. Joannis Baptistæ sanctitatem, non esses*
s. 1.

esses dignus, hoc Sacramentum accipere, nec tractare. Non enim hoc debetur meritis hominum, quod homo consecret, & tractet hoc Christi Sacramentum, ut sumat in cibum panem Angelorum. Attende igitur, & vide, cujus ministerium tibi traditum est. Sacerdos factus es, & ad celebrandum consecratus, quod Angelis non est concessum. Vide, ut teipsum irreprehensibilem exhibeas.

C O N S I D. II.

De mysteriis Habitûs in Sacerdote celebrante.

Sacerdos sacris vestibus indutus, Christi vices gerit, ut Deum pro se, & pro omni populo humiliter roget. Habet ante se, & retro Dominicæ Crucis signum ad memorandam jugiter Christi Passionem. Ante se crucem in Casulâ gerit, ut propria peccata lugeat: post se, ut aliorum etiam commissa per compassionem defleat, & se medium inter Deum, & peccatorem constitutum esse sciat. Ergo super omnia cum summa humilitate cordis, & supplici reverentia ad hoc Sacramentum celebrandum oportet accedere.

Ib. n. 3.

Sacerdotal.
parament.
mysteria.

C O N S I D. III.

De summa puritate in Sacerdote requisita.

ib. c. 11. 6. **Q**uam munda debent esse manus illa! quam purum os! quam immaculatum cor Sacerdotum, quibus datum est, Dominum Majestatis verbis sacris consecrare, labiis benedicere, manibus tenere, ore proprio sumere, & cæteris ministrare. Ex ore Sacerdotis nil nisi sanctum, nil nisi honestum, & utile procedere debet verbum, qui tam sæpe Christi accipit Sacramentum. Oculi ejus simplices, & pudici. Manus pura, & in cælum elevata, quæ Creatorem cæli, & terræ solent contrectare.

Alia hortatio ad puritatem Sacerdot.



Die Decima.

*De perfecta Unione Viatoris
cum Deo.*

MEDITATIO XXVIII.

De proprietatibus, gradibus
& motivis Amoris Dei super
omnia.



*Is omnibus gradibus ascensis, Text. Reg.
(anima) mox ad charitatem cap. 7.
perveniet illam, qua
perfecta foras mittit timo-
rem, per quam incipiet*

*universa custodire, non jam timore ge-
henna, sed amore Christi & delectatione
virtutum.*

Prælud. Imaginare tibi, quòd sis in
illo cœnaculo magno inter discipulos
Christi, ab ejus Ascensione per decem
dies, quasi in exercitiis spiritualibus, per-
severantes in oratione, & expectantes
adventum, ignem, ac gratias Sancti
Spiritus.

*Punct. I. Consid. Amorem Dei. 1. es- Excellen-
se virtutem supernaturalem infusam, quâ tia Amoris
homo super omnia creata diligit Deum, Dei.
2. Eamque virtutem esse omnium vir-
tutum Reginam, animæ vitam, bo-
E f s norum*

norum operum genetricem, meritorum gratiæ, & gloriæ fontem, & per quamdam appropriationem esse ipsum Spiritum S. 3. Solam hanc discernere filios regni à servis Diaboli, inter cives Jerusalem, Babylonis, & inter electos, ac reprobos, 4. Illâ nihil dulcius, fortius, altius, latius, jucundius, plenius, ac melius reperiri in cœlo & terrâ, quia ipsa Charitas Deus est, & *Deus Charitas est.*

Genf. l. 3. v. 5. 3.

1. Jo. 4. 8.

Idem. loc. cit.

Ejus proprietates sicut ignis.

Prov. 30. 16.

O Amor! ô cordis mei dulcedo, & vita animæ meæ! dilata angustias cordis mei, ut capiam te, & degustem interiori mentis ore, *quàm suave sis amare, quàm dulce in amore liquefieri, & natate.*

Punct. II. Consid. Proprietates seu gradus amoris ex similitudine ignis. 1. iste nullum omnino pondus habet, sic amor onus non sentit, neque laborem; nam ubi amor est, labor non est, sed sapor est. 2. Ignis nunquam tendit deorsum, sed semper sursum usque ad suam sphæram, sic amor non inhiat terrenis, sed semper sursum aspirat, neque nisi in solo Deo tanquam suo centro quiescit. 3. Ignis nunquam dicit sufficit; sic amor in amando insatiabilis est, & modum nescit. 4. Ignis omnia pretiosa, & vilia, dura, & mollia in se con-

convertit; ita diligentibus Deum omnia
cooperantur in bonum. Rom. c. 8.
v. 28.

O ignis divinissime! venisti, ut ardeas, accende, concrema, & transforma me, ut nihil vivat in me præter te. O purissima flamma! ô insatiabilis æstus! quando depasces me? Amare, & ardere ex te, unica mea voluptas est &c.

Punct. III. Consid. Primum motivum amandi Deum, esse ipsius intrinsecas perfectiones, Pulchritudinem, Sapientiam, Potentiam, Divitias, Gloriam, Bonitatem. *Secundum* Ipsius immensum amorem, quo, cùm inimici essemus, in finem dilexit nos. *Tertium* ejus beneficia creationis, redemptionis, conservationis, fidei, Sacramentorum, vocationis. *Quartum* innumera specialia animæ, & corporis, naturalia, & supernaturalia beneficia. *Quintum* promissa bona gloriæ, quæ ad mensuram amoris dabuntur. (Examen circa accepta beneficia, & reddito amore, fiat.)

Motiva amandi Deum.

Ah Deus meus & omnia! fons amabilitatis aternæ, quid in me vilissimo vermicello invenisti tanto tuo dignum amore? nihil omnino; sed omnia omni odio, & abominatione dignissima, & tamen sic amasti me? ô JESU! plus quàm te? Ah! redamo te ex toto corde, &

de, & plùs quam toto, ex tota anima mea, & plùs quam tota &c.

Et cupio semper te amare, & ardere per æternitatem totam, & plùs quam totam. Adjuva me, ut ad summum Charitatis gradum mereat pervenire, teque hîc amare in via, non jam timore gehennæ, sed istius excellentissimæ delectatione virtutis, & Christi mei amore, donec tui amoris suavitate æternaliter frui possim in patria.

DIGRESSIO XIX.

De Amore Dei & Proximi, ejusque primario effectû, qui est Zelus animarum.

THEOPHOBUS.

(1.)

Pervenimus tandem, auxiliante Deo, ad interiora Tabernaculi Christi, ad amoris conclave, & divinæ Charitatis cellam, in quam sponsa gloriatur in sacris epithalamiis se introductam fuisse à Rege Sponso. Ad hanc certè omnes hætenus gressus nostri velut ad centrum consummandæ perfectionis tenebant. Ideoque Divus Benedictus eam dicit pri-

Cant. 2.

primum bonorum operum instrumen-
 tum esse, Dominum Deum suum diligere
 ex toto corde, totâ animâ, totâ virtu-
 te: quod est, *ex toto corde*, charius
 Deo nihil habere: *ex totâ animâ*, nec
 vitam, nec sanguinem, aut quidquid
 creatum est, ejus amori præferre: *Ex
 totâ virtute*, scilicet omnes cogitatio-
 nes, verba, & opera in unicum, soli
 Deo placendi, finem dirigere, nullâ
 spe præmii, seu mercedis promissæ, nec
 ullo gehennæ, vel pœnæ metu indu-
 ctum, sed ob solius Dei præcellentissi-
 mam dignitatem. Talis charitatis per-
 fectum exemplar exhibuit ille quon-
 dam Abbas cui cùm diabolus in An-
 gelum lucis transfiguratus dixisset, se
 missum esse à Deo, ut ipsi suam perpe-
 tuam damnationem revelaret, proinde
 frustraneum esse deinceps omnem bono-
 rum operum conatum: ipse renidenti
 vultu respondit: Ergone ego æternali-
 ter sum damnandus? Fiat ergo, si ita
 est Dei voluntas: quia igitur damnati
 Deum amplius non amant, adorant, &
 serviunt, instabo ego per reliquum vi-
 tæ spatium tantò ferventiùs ipsum ama-
 re, atque servire, ut saltem hîc aliquan-
 to tempore per Dei Amorem, quasi
 cælo fruar. Quibus dictis, impostor con-
 fusione plenissimus evanuit. Quatuor
 verò

Reg. c. 4.

Instr. 1.

Amare ex

toto &c.

quid sit.

Aliquis au-
 ditâ sui
 damnatio-
 ne, perstat
 in amore
 Dei.

S. Tho. 2.
2. 2. 27.
4. 8.

Quatuor
gradus a-
moris Dei.

verò Deum diligendi gradus statuuntur
ab Angelico Doctore, quos hîc tibi or-
dine expono.

II. Primus & infimus est, quo ha-
bitualiter homo ita suo corde affixus est
Deo, ut nihil committat ejus dilectio-
ni contrarium, & hic communis est ju-
stis, & absque peccato mortali degen-
tibus.

Secundus, quo quidem non actu
semper diligitur Deus, amor tamen
ipsius omnes intentionum, & operum
vires eosque impenduntur, quò per
mortalis vitæ infirmitatem licet. Et
hanc perfectam hujus vitæ, ac vitæ cha-
ritatem assequuntur tum Clerici, tum
Religiosi, aliq̄ue omnes devoti, omnia,
quantum possunt, venalia peccata
devitare conantes, & ad perfectionis
statum contendentes.

Tertius est, ipsum tantum amandi,
quantum pura creatura diligi potest,
actualiter semper ejus amorî insisten-
do: & hic gradus est Angelis, & Beatis
in patria congruus.

Quartus verò, diligendi Deum,
quantum ex omnibus suis perfectioni-
bus diligibilis est; atque hic soli Deo,
tanquam supremus, & in infinitum sese
extendens, competit, qui etiam solus
infi.

in finito seipsum amore prosequi potest, & semper prosequitur.

III. PHILOTH. Sed obsecro te, cum tertius assignatus, & quartus iste amoris gradus in facto, vel actu cuiusque vel creaturæ, vel viatori interris sint impossibiles, an pariter iudicabis, esse impossibiles saltem in voto? ita ut aliquis temerariè, vel insanè optare censeretur, posse amare Deum, quantum in se diligibilis est vel diligi meretur? aut quantum eundem beatissimi cœli cives amant de facto? aut saltem amârunt innumeri in terris Sancti, inter quos ipsa omnium Regina Sanctorum, ad eò in Dei amore exarsit, ut ipsius Charitas eum reliquorum omnium charitate collata, veluti sol exiguas stellarum scintillas, exsuperet: ut propterea vi tantæ Charitatis tanquam omnium meritorum radicis, plus meruerit Christum pannis involvendo, quàm S. Laurentius candentem craticulam tolerando. Nunquid igitur tanti amoris æstum oprate, Deoque saltem in votis offerre non possim? certè tam magna vis est amoris cuiuslibet, nedum divini, ut etiam in impossibilia feratur, unde à Divo Bernardo Dei charitas vocatur.

INSANIA SANCTA.

IV. THEOPH. Altissima sapientia
amo-

Amor summus potest affectivè exerceri.

Intensio & meritum amoris Dei in B. V. M.

Amor fertur in impossib. & excessiva. amoris mysteria, & in quibus latet ingens meritorum thesaurus. Fertur utique, ne dubita, fertur amor igneorum affectuum alis, ultra Cherubinos, & Seraphinos in ipsum increati amoris pelagus, & quò magis de eodem sorbet, & absorbetur, tantò magis inebriatur, ut sapienter ignarus nesciat demum, quid dicat vel agat, cumque adeò incipit vehemens esse ac flagrans, se intra se cohibere non valens, non attendit, quo ordine, quâ lege, quâ possibilitate, sive modo verborum, sive actuum ebulliat; omnibus tandem verbis deficientibus, solus contentus suspiriis atque languoribus; unde verissimum est illud Dionysii Areopagitæ: *Amor vivit excessibus.*

Sancti
amoris Dei
actu fer-
ventes.

S. Xa-
verius.

S. Petr. de
Alcantarâ.

MONOPH. In tales divinæ charitatis excessus quàm plurimos Sanctos exarsisse, diversa eorum Menologia perhibent. Instar omnium sint, Beatus ille ac stupendus Indiarum Apostolus Xaverius, tantâ Dei amoris flammâ exarsuare solitus, ut per illud *Satis est, satis est Domine*: modum sibi ac temperamentum imponi à Deo postulârit. Et ille strictioris Observantiæ non dudum novus inter Cœlites assertus Petrus de Alcantarâ, conceptos Dei ardores in campum profiliendo per aeris refrigerium

um ; canonizationis vero ejusdem Societatis Magdalena de Pazzis Carmelitana affusâ pectori aquâ mitigare cogentur.

S. M. Mag.
de Pa zzia.

THEOPHOB. At ne putes, **MONOPHILE**, suum etiam Sacerdotali firmamento deesse Sidus talibus coruscum flammis, unicum oculis tuis brevitate causâ obijcio Philippum Nerium, tantâ jugiter charitate Dei languentem, & deflagrantem, ut, cum intra fines cordis ejus contineri flammæ non possent, illius sinum, confractis atque elatis duabus costulis, mirabiliter Dominus ampliaverit. Sed nunc triplicem Deum amantium Classem vobis assigno, videlicet, incipientium, proficientium, & perfectorum.

S. Philip-
pus Nerius.

V. Prima Classis Incipientium ; duas præcipuas habet amoris Dei notas.

Amor Dei
servilis.

1. Omnes vitæ præsentis noxas ob infinitæ Bonitatis offensam metu gehennæ detestari. 2. Paratum esse, deinceps mille citiùs subire mortes, quam mortali crimine tremendam Dei Majestatem amplius offendere, sed ejus mandata pariter ex formidine pœnæ custodire. Et hic *amor* servilis nuncupatur.

Amoris
concupiscentiæ
indicia.

In altera classe Proficientium, sunt tria Charitatis indicia. 1. de Deo, ac divinis rebus frequenter cogitare, libenter

Gg

audi-

audire, loqui, tractare. 2. Ejus sanctissimæ mensæ, & usui Sacramentorum anhelanter addictum esse. 3. Non mandata tantum, & obligationes, sed quidquid DEO operum supererogationis acceptum esse noverit, magnâ animi propensione, ac voluptate implere. Et hæc partim spe præmii, partim virtutis amore, qui servilem inter, & filialem quasi medius *Amoris concupiscentia* nomen sortitur.

Amoris benevolentiz signa.

In tertia denique Perfectorum classe filialis, ac *amoris benevolentia* nuncupati signa constituuntur sequentia. 1. De omnibus DEI perfectionibus, honore, laude, & gloria ineffabiliter congaudere, & ut sic dicam, ipsi omnia bona, & omnes suas excellentias velle, non propriæ utilitatis causâ, sed propter intrinsecum ipsius solius Dei bonum, beneplacitum, atque seipsum. 2. Ad eandem majorem ipsius gloriam purissimâ intentione omnes suas, & omnium creaturarum actiones dirigere, & dirigi optare. 3. Divinissimæ ipsius, & rectissimæ voluntati ita totum, & totaliter ex animæ fundo, indifferenter ad prospera & adversa, ad cœlum, aut ad pœnas, conformem esse. 4. Per ardentissimos Charitatis actus, ita DEO adherere,

rere, inflammari, colliquescere, & uniri, sicut cera liquata infusa ceræ; aut ferrum in igne merus ignis videtur, licet ferrum esse non desinat. Hæc breviter insinuanda censebam, ut ex his signis dignoscere valeatis, quantum in amore divino feceritis incrementum.

VI. Superest aliquid de dilectione proximi attingendum, ut abinde ad discutendum primum istius geminæ charitatis effectum, qui est ardens tam gloriæ Dei, quam salutis animarum zelus, perveniamus. Omnes quidem concernit, omnes sæculares, aut Regulares obligat dilectionis proximi præceptum, specialiter tamen eos qui sive in unâ Cathedrali, aut Collegiata, sive Regulari societate, & congregatione convivunt, & conveniunt, ad eam inter se imperurbare servandam coarctat: siquidem Divo Hieronymo affirmante, tales Congregationes cum vinculo charitatis sunt merus Paradysus, & inhabitantes sunt Angeli, sine illo autem sunt merus infernus, & habitantes inibi dæmones; nullaque deterior in terris vita, quam degere simul corpore tantum, non mente. Istuc bene respexit apud Climacum Abbas ille, qui Fratrem Fratri maledicendo fraternam violantem charitatem, statim monasterio expulit, ne

Ubi charitas mutua, ibi est paradysus.

Charitatis
proximi
vilator est
quali dia-
bolus.

que ipsum, sex licet diebus impransum,
& incœnatum præ monasterii foribus
excubantem, & pœnitentem recepit,
nisi ad arbitrarii carceris pœnam; affir-
mans, æquè minùs fraternæ charitatis
violatorem esse tolerandum, ac ipsum
dæmonem. Quid verò proximis &
Confratribus vestris ex hoc præcepto
debeatis, ex B. P. Benedicti Regulis,
demonstro.

Regul. c. 4.
instr. 2.
Charitatis
proximi re-
quisita.

Regul. c. 63.
Ib. c. 72.

Cap. 65.

Cap. 4. in-
stru. 22.

Cap. 7 gr. 4.

C. 4 instru.
24. 2 j. 26.

Et primò quidem Amorem, ita ipso
jubente: *Diligere proximum tanquam
seipsum: & quod sibi quis fieri non vult,
alii non faciat.*

Secundò. Vi hujus amoris, debetis
mutuò HONOREM; *Honore invicem
prævenientes: juniores Priores suos hono-
rent, & ubicunque sibi obviant Fratres,
junior à Priore benedictionem petat;
omnesque invicem honore præveniant.*

Tertio. PACEM: Nihil committendo,
ut suscitentur invidia, rixa, detractio-
nes, amulationes, dissensiones, & extra-
ordinationes.

Quarto. MANSUETUDINEM:
præcipitur enim in irrogatis injuriis,
iram non perficere, nec facere injuriam,
sed in facta, tacitâ conscientia patientiam
amplecti.

Quinto. SINCERITATEM:
ita namque docet S. P. *Dolum in corde*
non

non tenere: pacem falsam non dare: iracundia tempus non reservare.

Sextò. COMPASSIONEM, & Instr. 18.
19. & c.
36. & 72.
supportationem alienorum defectuum: quando monet, *Fratri in tribulatione subvenire: dolentem consolari: illum patienter ferre, ac ejus corporum, sive morum infirmitates patientissimè tolerare.*

Et hæc charitatis fraternæ praxis, tam pro Sacerdotum, quàm Religiosorum statu est utilissima.

VII. Primarius autem utriusque charitatis Principalis effectus est Dei Effectus
charitatis
est bonus
zelus. gloriæ, & salutis animarum zelus, quo quis amato vult omne bonum, & avertere satagit omne malum, hinc convertibiliter sequitur, ibi ardentem esse charitatem, ubi intensus zelus est, ibique zelum eò perfectiorem, ubi intensior charitas, sicut è contra intermortuam esse penitus charitatem, ubi omnes zeli flammæ sopitæ jacent. Heri expendimus infinitam Sacrificii Missæ dignitatem, hodie obstupescemus zeli animarum sublimitatem, quo, attestante S. Gregorio, S. Greg. ha
1. in Ezech.
Nullum pariter omnipotenti t' eo gratius esse potest Sacrificium. Heri percepistis, Sacerdotem, per consecrandi & Christum sacrificandi potestatem, elevari ad maternitatis, & æternæ paternitatis Filii Dei infinitam quodammodo dignitatem,

Zelofus Sa-
cerdos fit
animarum
corredem-
ptor.

S. Chryfo.
in Genes.

Transcen-
dit quasi po-
tentiam
creatrixem.

Chryfo. l.
10.

nunc dico ; quod sacerdos seipsum pro
Dei gloria & animarum salute sacrifi-
cando sublimetur quasi ultrà omnipo-
tentiam , quatenus rerum omnium crea-
tricem , ac fieri alterum in terris Chri-
stum animarum Redemptorem ? id qui-
dem , nam cùm Deus Pater dicat : *Fecit
ego cælum & terram, eadem (ô Sacerdos)
facultate te dono, ut tu terrarum facias cæ-
lum, accendi ego luminaria cæli, succende
tu his clariora , veritatis luce errantes
collustrando* : nulli dubio locus est, zelo-
tem animarum ex hoc capite , transcende-
re quodammodo potentiam mundanarum
rerum effectricem , unde eodem in loco
subjungitur in persona Patris omnipoten-
tis : *Vide, quàm te diligam , quia majora
faciendi tibi tribuo facultatem.*

VIII. Quòd vero idem animarum
zelus , si Sacerdotis cujuscunque statûs ,
aut Ordinis animum succendit , eundem
in alterum quasi Christum transmutet ,
plurimis constat ex argumentis ; enim-
verò si Dominus Jesus Christus in toto
vitæ ac passionis suæ volumine in pul-
pito Crucis expanso , tot sanguinis sui
pretiosissimi notis exarato , tot vulne-
rum & vibicum lituris pleno , alium in
frontispicio titulum non præfert , nisi
hunc : *Domine, qui amas animas* ; Zelosi Sa-

Sa-

Sacerdotis tessera ad mundum alia non est, nisi illa Abrahami: *Da mihi animas, cetera tolle tibi.* Si Christus in hanc miseriarum vallem descendit, ut esset nova lux sedentibus in tenebris & umbra mortis, novus Medicus malè habentibus, bonus ovium errantium pastor, ignorantium instructor, cæcorum illuminator, mortuorum resuscitator; ut omnes vitam habeant & abundantius habeant; zelus sacerdos sese omnibus exhibet ut omnium servum; nec sibi, sed cunctis genitum se vivere credit, datum in doctis Doctorem, consolatorem pauperum, solatium oppressorum, patrem orphanorum, defensorem viduarum, & omnibus Debitorem. Summâ ponderatione dignissima sunt illa clementissimi nostri Salvatoris ad suam per dilectam Brigitam effata toties repetita, toties ex ore suæ infallibilis veritatis asserta: & primò quidem his verbis; *Adhuc ex charitate libenter morerer pro homine si esset possibile: & alterâ vice, o amici mei, sic tenerè diligo oves istas, quòd si possibile esset adhuc mori propter quamlibet ovem speciali morte, qualem in cruce semel pro omnibus passus sum, magis eas redimerem, quàm carere eis velle m & m plius adhuc, ardentissimis hisce verbis: Si adhuc possibile esset, quòd ego toties morerer, quos sunt anima in inferno, itâ quòd pro*

Gen. 14.

Sacerdos
zelosus ani-
marum si-
milis Chri-
sto.Petr. Ble-
sens de in-
stit. Epif.
cop. c. 4.Amor Chri-
sti iterum
mori para-
ti pro ani-
mabus.Rev. S.
Brig. l. 1.
c. 30.
Ib. c. 59.Ibid. lib.
7. c. 19.

Apud. Lan.
cic opusc.
13.
Et etiam
pro ipſis
damaatis.

S. Diony.
c. 3. de cel.
Hierach.

Zelus ſalu-
tis anima-
rum in qui-
busdam ſœ-
minis ex-
ceſſivus.

In Vita
ejus Poll. 9.
Mart. n. 9

qualibet earum talem mortem iterum
ſuſtinerem, qualem tunc pro omnibus ſu-
ſtinui, adhuc corpus meum paratum eſſet
ſubire hæc omnia cum libenti voluntate
& perfectiſſimâ charitate. Verè abyſſalis
& incomprehenſa Chriſti erga animarum
ſalutem charitas, quam quiſquis Parochor-
rum, aut Sacerdotum ſtudioſè æmulatur,
næ ille omnium divinarum diviniſſimum
opus exercet, Chriſto Redemptori in lu-
crandis animabus immediatè cooperan-
do.

IX. Non deſunt autem illuſtriſſima ta-
lis inſatigabilis zeli ſalutis animarum ex-
empla, ut enim illas ſplendidiſſimas virgi-
nitatis & ardentiffimæ charitatis, ac Ordini
Dominicani, Franciſcani; gemmas BB.
Senenſem & Bononienſem Catharinas, &
illam Carmelitani, non dudum Sanctorum
catalogo inſertam Magdalenam de Pazziſ
præteream, quarum prima à ſuo dilectiſſi-
mo cœleſti ſponſo enixiſſimis precibus fla-
gitabat, ut inferni janitrix mereretur con-
ſtitui, ne ulla deinceps anima illuc penetra-
ret, ſed ipſa pro iis ſempiternas lueret pœ-
nas; altera verò intenſiſſimè precabatur, ut
pro anima quadam aliàs damnanda ad acer-
biſſimas purgatorii pœnas deſtinaretur uſ-
que ad extremi Judiciſ diem, omnia
illius animæ peccata in ſe ſuſcipiens ex-
pian-

pianda, suorumque bonorum operum partem illi donando; tertia demum ita amarè infidelium & peccatorum perditionem deflere solita fuerat, ut sese ad quælibet pro illorum salute subeunda tormenta paratam offerret. His, inquam, prætermiſſis:

X. Produco vobis in exempla (è milibus aliis) Sanctissimos istos *Peccantium animarum zelatores*: Dominicum, qui singulis noctibus pro existentibus in mortali peccato dormitum suum cruentis flagellis sulcavit; Ignatium, qui ardentibus alienas veneris flammis in congelatas stagni aquas collo tenuis immerſus extinxit: & Seraphicum Bonaventuram, qui totidem mortes obire desideravit, quot hætenus creatæ essent animæ, ut singularum salutem toties pro singulis moriendo promovere posset.

Produco IDOLOLATRIÆ EXTERMINATORES BB. Benedictum, qui in monte Cassino; Gallum, qui in superiore Germaniâ turpissima Deorum ac dæmonum simulacra subvertendo, fana, lucosque cremando, ac Bonifacium primum istius Moguntinæ Provinciæ Archiepiscopum, qui per Germaniam inferiorem Evangelii semen disseminando infinitam paganorum mul-

Ex Lectio.
Brevi.

Sancti Viri
satisfacien-
tes pro
alienis
peccatis.

Sancti ido-
lorum sub-
versores.
Ex Lectio.
Breviar.

Religionis
Apostolici
Propagato-
res.

Poland. in
Vit. 14.

Janu.

2. ex Wa-
ding.

B. Oderi-
cus, Ord.

Ma. Con-
ventual.

S. Francisc.
Xaverius.

itudinem fidei Christianæ aggregârunt.

XI. Quo verò humanæ, vel Ange-
licæ vocis præconio satis extolli possunt
ZELOSISSIMI GENTIUM ac di-
versarum mundi partium APOSTO-
LI? Ille Odericus Ord. Min. Conven-
tualium, qui per sexdecim annos orbem
ferè totum peragrando, ultrà viginti
Paganorum & Saracenorum millia sa-
cro Baptismi fonte lustravit: tantoperè
squallore, inediâ ac solis æstu consump-
tâ facie, ut reducem in Italiam, nec
patria, nec parentes amplius agnosce-
rent. Quâ dignus admiratione ille pro-
digiosissimus ad Indos Apostolicæ sedis
Legatus Xaverius, qui insatiabili animas
ad fidem Christianam perducendi zelo
exæstuans, nudis semper pedibus im-
mensa regionum spatia perambulando,
multa centena hominum millia con-
vertit. Qualem meriti lauream tottan-
tique Benedictinæ familiæ Alumni ac
diversissimarum nationum Apostoli? è
quorum numero paucissimos vobis as-
signo Wilibaldum Germaniæ, Marti-
num Dumentem & Fulgentium Hispa-
niæ, Amandum Tungrorum, Eburon-
um, Brabantorum, & Alsatarum; A-
dalbertum regnorum Bohemiæ, Vnga-
riæ, Poloniæ, Lituaniæ & Rusciæ; An-
garium Gothorum, Sclavorum, Sue-
corum

obis Franc?
dul muntol
200000
200000
200000

Orbis Apo-
stoli Bene-
dictini.

corum & Danorum magnos nuncupatos Apostolos ; & Brandanum Abbatem , qui trium millium Monachorum Abbas, cum assumptis secum quatuordecim sociis, cum immensis septem annorum navigationis incogniti maris laboribus in Insulas Canarias, postea dictas Fortunatas, primus circa annum Christi 580, prædicationis, & Evangelii lucem invexit.

Brandanus
Abb. Indiæ
Apostolus.
Menol. Bened. Bucelini. 16.
Maij.

XII. Quid memorem zelosos HÆRESVM DEBELLATORES, & Orthodoxæ Fidei propagatores, Dominicum Albigenis hæreseos malleum? Ignatium cum suâ Societate, destinatum instructissimum contra modernas hæreses armamentarium? Norbertum, qui innumeram hæreticorum multitudinem; Franciscum Salesium, qui septuaginta duo illorum millia ad fidem & Ecclesiam Romanam aggregârunt? Quid illos Ordinis Divi Benedicti imperterritos contra Lernæum hæresis monstrum pugiles Augustinum in Anglia, alterum sui sæculi Augustinum; Rabanum *scientiarum armaram*, Alanum *Doctorem universalem* nuncupatos; aut Gregorium Magnum, qui juxta S. Ildephonsi testimonium *sanctitate vicit Antonium, eloquentiâ Cyprianum, & Augustinum Sapientiâ*; qui omnes ardentissimo gloriæ Dei

Zelosi Hæresum extirpatores,

Dei & animarum zelo inflammati, hæreses Albigensem, Waldensem, Manichæam, Arrianam, Simoniam, & reliquas errorum pestes suis temporibus, è Gallia, Germania, Sicilia, Hispania, Africa, Anglia profligârunt, fidem Catholicam reduxerunt, populos omnes novâ pietatis Christianæ luce illustrârunt, digni proinde, ut omnes animarum Curati cum Beatâ Catharina Senensi (uti solita fuerat) eorum pedum vestigiâponè sequentes reverenti osculo venerentur.

XIII. PHILOTH. Injurius esse viderer illi purpurati Senatûs lilio, illi urbis & orbis Europæi Athlanti Carolo Borromæo, meo, totiûsque Patriæ nostræ Tutelari Patrono, nisi prædictis sanctissimis viris hunc Zelotem alterum Evangelicæ legis, ejusque Consiliorum Aaronem de Aronâ subjungerem; quem eò usque divinæ gloriæ & salutis animarum zelus adexit, ut hæreticâ pravitate infectis medullitibus competeretur; pro peccatorum resipiscentiâ lacrymarum innumerabiles margaritas ex oculis, ex cruentato flagellis dorso pretiosos innocentissimi sui sanguinis pyropos, pro pauperum verò sustentatione tot aureos è crumenâ extorsit, ut quem Ill.^{ma} familia urbi ditiss-

Zelus animarum S. Caroli Borromæi.

tissimum dederat Principem, eundem in pestis afflictione cerneret factum esse pauperimum Codrum. Prætermittis hęc infinitus sui insuperabilis zeli argumentis, id duntaxat brevissimè innuo, quòd, cum Maximè tem pore pestis. lævissima pestis totam Diocœsin Mediolanensem, ad commune bustum & sepulturam mortuorum redigeret, ipse piensissima Pastor præter pauperum ad sexaginta & septuaginta millia, sustentationem & curam, ipse peste infectos diu noctuque visitans, consolans, sanctissimis Sacramentis reficiens non abhoruerit moribundis pestiferos odores exhalantibus assistere, illorumque migraturas animas Viatico, solatio & imperititis indulgentiis providere. Hęc mihi videntur ineffabilis zeli & charitatis prodigia, Ah! utinam mei, aliorumque Sacerdotum cordis (ad imitationem) inflammativa.

XIV. THEOPHOB. Agite, Hortatio ad charissimi & si vos quoque desideratis zelum gloriæ Dei & esse inter exempla, & præactorum accenseri numero Sanctorum, non aurum zelæ salutis animarum. te, sed animas, non mundanæ, sed divinæ gloriæ argumenta quærite, non socordiis, non otio, non voluptatibus immarcescite, sed pro animarum salute vos totos 1. Cor. 12, 25. impendite & superimpendite, non illatas

latas vobis injuriolas, sed graves Divinae Majestatis offensas resentite; invigilate prædicationibus Verbi divini, ministrandis sanctissimis Sacramentis, erudienda juvenuti; sitisque cum parvulis parvuli, cum infirmis infirmi, & cum omnibus omnia, ut omnes lucrifaciatis. Cæterum estote omnium scientiarum magistri; Theologiæ & Jurium Doctores, prophetici mysteriorum interpretes; in orationibus frequentes, in carnis maceratione assidui, in jejuniis rigidi, in eleemosynis largi, in moribus Angeli, absque tamen ardore zeli, quem vestra inflammaret charitas, firmet constantia, discretio moderetur, totam perderis Angelicæ substantiæ prærogativam; nihilque omnino eritis, nisi *as sonans & cymbalum tinniens.*

S. Chryso.
hom. 3. in
1. Cor.

S. Ambr.
in Psal. 1.
Sacerdos
sine zelo,
nihil est.

MEDITATIO XXIX.

De perfectione, gradibus, & motivis
Conformationis voluntatis huma-
næ cum Divina.

Text. Reg.
6. 7. gr. 2.

SECUNDUS humilitatis gradus est; si propria quis non amans voluntatem, desideria sua non delectatur implere, sed vocem illam Dei imitetur dicentis: Non veni

veni facere voluntatem meam, sed ejus, Jo. 6. 38.
 qui misit me.

Prelud. Imaginare tibi Saulum (qui postea Paulus fuit) contra Deum recalcitrantem, & ad terram fulmine prostratum, seu fulgure, voluntati Dei jam se perfecte conformare dicendo: *Domine, Ab. 9. 6.*
quid me vis facere?

Punct. I. Confid. Talem conformationem 1. esse Sacrificium summè perfectum, quia per hanc homo offert, quod solum est sibi proprium, & intimum, scilicet suam voluntatem. 2. Esse utilissimum, quia complectitur omnes virtutes proximè in Deum transformantes, abnegationem, humilitatem, resignationem &c. 3. Præstantissimum, cum sit æternæ prædestinationis, & filiorum Dei signum, nam *fideles in dilectione acquiescent illi. Sap. 3. 9.* 4. Saluberrimum, reddens hominem in bonis, & malis semper æquè pacificum, & tranquillum. 5. Summè necessarium, nam quæ fiunt intra voluntatem Dei, sunt perfectissima; quæ extra, sunt vanissima; quæ contra, sunt perniciosissima.

O Domine! quis tu? & quis ego, ut non liberè omnem voluntatis meæ possessionem tibi tradam, intus & foris, in parvis & magnis, prosperis, & adversis totaliter à mea voluntate spoliatus

Ps. 4. 12. 10. liatus ? *doce me facere voluntatem tuam &c.*

Ejus perfectionis requisita. *Punct. II. Consid.* Hanc conformationem extendi ad agendum simul, & patiendum juxta Dei voluntatem in omnibus, secundum hos gradus. 1. *Unice*: hoc est, ut omnia agantur, vel sustineantur unice, & simpliciter ad placendum Deo. 2. *Ferventer*: id est, hilariter, libenter, indefessè. 3. *Promptè*: scilicet expedite, citò, perveniendo, & festinando ad omnia, quæ voluntatis divinæ sunt. 4. *Fortiter*: excutiendo, & superando omnes tentationes, & difficultates contrarias. 5. *Purè*: & defæcatè, non solum ut placeas Deo, sed ut beneplacitum Dei in seipso impleatur primariò, ac dein in teipso.

Quid facio miser? Ecce Angeli, Coelites, & omnes creaturæ, omninò, & perfectè voluntatem Dei faciunt, imò ipse JESUS Christus in tremendo Sacrificio Misæ voluntati, ac voci Sacerdotis obedit, & ego meum totum velle Deo meo, cum corde, anima, vita, & sanguine non transcribam? absit hoc longè à me; quin imò perfectissimè me resolvo.

Talis absolutæ conformationis motivæ.

Punct. III. Consid. Istius conformationis motiva. 1. Ex parte Dei absolutissimum ejus jus, dominium, & potentiam, cui par est subesse, & nemo potest

potest resistere. 2. Ipsi^{us} absolutam scientiam, ac sapientiam, quâ cuncta homini utilia, præterita, præsentia, & futura prænoscit. 3. Ipsi^{us} providentiam, quâ suaviter omnia, & mirabiliter disponit. 4. Bonitatem, quâ ordinat, ut conformatis, ac se Deum diligentibus omnia cooperentur in bonum, 5. Exemplum JESU Christi, qui dixit: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus; qui misit me, Patris.* Et rursus, *non sicut ego volo, sed sicut tu.* &c. cum tamen ipsius voluntas fuerit rectissima, justissima, & sanctissima.

Joan. c. 6.
ut supr.

Matth.
26.

Qualis ergo præsumptio, & stultitia foret, ô Anima mea! Si pergeres sequi tuum velle proprium, ignarum, cœcum, imbecille, impotens, & injustum? &c.

Sed absit, ô Domine! ut unquam amplius nolim, quod tu vis, aut quod tu non vis, ego velim. Cavebo propriam meam malam amare voluntatem, & implere desideria mea injusta: *Sit mihi secundum perfectissimum tuum exemplum, ô JESU! unum velle, & nol- Gers. l. 3.
de tecum, nec aliud posse velle, aut nolle, cap. 15.
nisi quod tu vis, & nolis.* Etenim
*Domine tu scis. qualiter
melius est.*

CONSIDERATIO I. ANTE-MERIDIANA.

De excellentia, & qualitatibus
Amoris Dei.

Genf. l. 3.

e. 5. n. 3. 4.

5. 7.

Amoris Dei
qualitates.

Magnus est amor Dei, magnum omnino bonum. Est amor pius, jucundus, fidelis, prudens, & seipsum nunquam querens. Est amor circumspectus, humilis & rectus; sibi vilis, & despectus, Deo devotus, & gratificus, fidens, & sperans semper in eo. Magnus clamor in auribus Dei est ipse ardens affectus anima, qua dicit: Deus meus, Amor meus, tu totus meus, & ego totus tuus.

CONSID. II.

De efficacia amoris Dei in ordine ad
meritum.

Id. l. 1. 15.

t. 2.

Opera charitatis
meritoria.

Sine charitate opus externum nihil prodest: quidquid autem ex charitate agitur, quantumcunque parvum sit, & despectum, totum efficitur fructuosum. Magis siquidem Deus pensat, ex quanto quis agit, quam quantum quis facit. Multum facit, qui multum diligit. Qui veram & perfectam charitatem habet, in nulla re seipsum querit sed Dei gloriam solummodo in omnibus fieri desiderat.

CON-

CONSID. III.

De charitate proximi in supportan-
dis illius defectibus.

Quia Charitas habenda est ad omnes, Id. l. 1. 8.
stude patiens esse in tolerando alio- 2. 8. c. 16.
rum defectus, & qualescunque infirmita- 2. 8. 4.
tes. Deus sic ordinavit, ut discamus alter, Charitas
alterius opera portare, quia nemo sine suffert pro-
defectu, nemo sine onere, nemo sibi suffici- ximi defe-
ens, nemo sibi satis sapiens; sed oportet, ctus.
nos invicem portare, invicem consolari,
pariter adjuvare, instruere, admonere,
& omnes amare in te, ô Deus! qui verè
amant te sicut lex jubet amoris lucens ex
te.

CONSID. IV.

De perfecta resignatione in Dei
voluntatem.

Fili sic dicās in omni re: Domine, si tibi Id. l. 3. 15.
placitum fuerit fiat hoc ita. Domine 1. 8. 2.
si fuerit honor tuus, fiat in nomine tuo Actus resi-
Domine: cum propria enim resignatione gnationis
mibi totum committendum est, atque di- in Dei vo-
cendum: Domine in scis, quatenus melius luntatem;
est, fiat hoc, vel illud, sicut volueris. Da,
quod vis. & quantum vis. & quando vis.
Libere age mecum in omnibus: in manu
tua sum, gyra, & reversa me per circui-

tum. En ego servus tuus paratus ad omnia, quoniam non desidero mihi vivere, sed tibi: utinam dignè, & perfecte.

DIGRESSIO XX.
ET VLTIMA.

Continet utilem doctrinam, & praxin quotidiana oblationis, seu pure Intentionis &c. Resignationis sue voluntatis, pactique magni Peccatoris cum Iustitiâ divinâ.

THEOPHOBUS.

(I.)

Redimus tandem in fine Exercitiorum ad primum eorundem principium, scilicet ad ultimum hominis finem, ac centrum, qui solus Deus est, mediante unione mysticâ attingendus in medio, donec perfectâ fruitione possideatur in termino. Tunc autem anima per unionem mysticam in hoc exilio cum eodem copulatur, quando ab omnibus vitiis, & inordinationibus libera, & expedita, non tantum à rerum creaturarum imaginibus totaliter excessit, verum etiam à seipsa deficiens, atque in seipsa velut ad nihilum redacta perdita, evacuata, & tanquam mortua

Vnio viatoris cum Deo in quo consistat?

tua in abyssum æterni amoris illabitur, concrematur, liquefcit, & liquefacta sicut aurum, & æs permixta, aut ferrum candens & ignis in unam quasi massam, atque substantiam conflantur, seu transformantur, ita ipsa Deo sine medio unita, unus cum eo spiritus efficitur. Sed, hoc opus, hic labor est: Quæ requirit ad illam. oportet enim animam prius relictâ mundi vanitate, lacrymis suis contractas fordes abluere, passionum, ac sensuum incomptos, & inordinatos mores componere, varioque sese virtutum habitu excolere. Quæ cum vos hætenus ex amissi fecisse non diffidam, hinc vobis jam sublimiorum virtutum capacibus redditis, pro coronide tres insignes, fortè non parum profuturos Actus, quibus ad perfectam unionem & conformationem cum Deo, ejusque divina voluntate & Justitiâ tenditur ac pervenitur, adjungam.

II. Primus itaque Actus, seu Praxis ejusdem est, Oblationis perfectæ sui ipsius ex toto cordis, & animæ fundo in obsequium solius perpetuæ servitutis, laudis & glorificationis divinæ, quâ homo ex animi sui medullis, quidquid est in esse naturæ, & gratiæ, nullâ sui parte reservatâ, se totum, & omnia sua opera etiam minutissima quæque

Perfecta sui oblatio in obsequium Dei.

In unione
intentionum Chri-
sti.

Ex Menol.
13. Nov.

S. Gertrudis
per S. in-
tentionem
Christo uni-
tissima.

quotidie Deo cum pura & sancta intentione offert, in *Unione* operum intentionum, Passionis, & sanguinis Domini JESU Christi: quod tantumdem est ac si vel plumbum liquefactum aurô permixtum, vel aqua generosissimo vino infusa ejusdem valoris & pretii reddita, Deo ter Opt. in libamen gratissimum offerrentur. Vicitus solitæ oblationis lectissima Dei sponsa Gertrudis cum cœlesti Sponso tali amoris nexu meruit uniri. *Ego totus sum illius, & eam per amorem mihi inseparabiliter univi, sicut argentum, & aurum per ignem in unum metallum conflantur: quia nemo hodie vivit hominum, qui PER BONAM INTENTIONEM sive bonam voluntatem mihi, quàm illa, est vicinior: fideliter, sincerè omnia mea dona referens IN SOLAM GLORIAM MEAM, nihil sibi de his penitus reservans, aut usurpans.* Id verò à vobis quoque sequenti formulâ devotissimè, & efficacissimè fieri potest.

P R A X I S.

Seu formula quotidiana Ob-
lationis.

Formula
longior
quotidianæ
sui oblatio-
nis.

III. **O** Sanctissima, æterna, & individua Trinitas, atque tremenda Majestas! *Ecce ego abjectissimus terra vermiculus in conspectu omnium Sancto-*

Sanctorum prostratus, tuâ incomprehen-
 sibili Bonitate & Clementiâ fretus, cum
 profundissima mentis humilitate, omni
 meliori devotione, & efficacissimâ volun-
 tate offero, ex nunc, & totâ meâ reliquâ
 vitâ, usque ad extremum spiritum, ad
 majorem Nominis tui gloriam, sanctissi-
 maq; tuæ voluntatis beneplacitum; dul-
 cissimi quoque, & amantissimi D. mei JE-
 SU Christi, nec non Beatissimæ Virginis, ac
 Dei Gentricis MARIÆ & Sanctorum N. N.
 Patronorum meorum, ac loci hujus, &
 Sancti. (vel Sanctorum) N. N. cujus, (vel
 quorum) hodie memoria colitur, omnium-
 que Sanctorum totius Curie triumphan-
 tis honorem, laudem, & gloriam, Ani-
 mam meam, cor meum: & corpus meum,
 cum universis potentiis, membris, ac sen-
 sibus internis atque externis? videlicet
 intellectu, memoriâ, voluntate, visu, au-
 ditu, gustu, odoratu, & tactu: cum carne,
 ossibus, vita, sanguine, venis, arteriis, re-
 spirationibus, atque gemitibus: omnes in-
 super cogitationes, verba, opera, gressus,
 gestus, motus, & singulos oculorum nictus,
 & nutus: denique omnes anima & corpo-
 ris functiones, usum, motus, & operatio-
 nes in vigilia, & somno, bonas, & indiffe-
 rentes; omniaque temporis mei momenta:
 mortem meam, aternitatem meam, ac
 totum meum esse in natura, & gratia,

Etiâ ope-
 rum indif-
 ferentium,

in obsequium servitutis, laudis, glorificationis, amoris, ac beneplaciti tui, ac Filii tui D. N. I. Christi, illiusque sacratissima Humanitatis, Passionis, & amarissima mortis memoriam.

Cum affectivis actibus omnium virtutum.

Ex puro amore benevolentiz in Deum.

IV. His omnibus & singulis motibus, cogitationibus, verbis, & operibus cupiente, & benignissimum meum *JESUM*, in finito tempore, & infinitis affectibus laudare, honorare, benedicere, glorificare, adorare, digne aestimare, imitari, servire, placere, gratias agere, obtestari, rogare, & amare omnibus laudibus, glorificationibus, adorationibus, & amoribus omnium Angelorum, & hominum existentium, futurorum, & per tuam absolutam potentiam possibilem: me verò veterem hominem totum humiliare, mortificare, abdicare, abnegare, conterere, & in nihilum redigere: rursusque renovare, resignare, perfectissimèque tibi unire, ac conformare: ex omnibus omnium virtutum supernaturalium finibus, atque motivis: præcipue verò Fidei, Spei, Charitatis & amoris non concupiscentiz ad meum proprium bonum, neque ob metum pœna, & gehenna, vel expectationem alicujus retributionis, aut mercedis promissæ, sed ex amore mera benevolentiz propter teipsum, in te ipso, & ex te ipso dignissimo, ser-

servitute, laudibus, obsequiis, & amoribus simpliciter infinitis.

V. Quia verò hæc omnia mea qualicumque, agnosco in se vilissima, & tua Majestati indigna, ac mille aliàs nominibus esse debita, idcirco, ut pretiosa & condigna reddantur, offero singula, ut supra, in Unione perfectissima, & inseparabili omnium sanctissimarum cogitationum, verborum, operum, actionum, intentionum, virtutum, laborum, dolorum, passionis, mortis, & effusi pretiosissimi Sanguinis de vivifico, & amabilissimo Latere, & corpore Domini, & Salvatoris nostri JESU Christi. In unione sanguinis Christi.

Christi, pro me, & NN. mihi specialiter charis, & commendatis, omnibusque meis Superioribus, Confratribus, parentibus, propinquis, benefactoribus, amicis, benevolis, & malevolis; seu qui me toto meæ vita tempore verbo, vel factò, scienter, vel ignoranter gravârunt, molestârunt, offenderunt, seu scandalizârunt, & pro omnibus, quos ego similiter gravari, molestavi, offendi, vel scandalizavi: & pro omnibus, quibus teneor, & pro quibus intendo explicite, seu implicite, Tuq; piissime Domine scis, & vides, me debere, & velle orare: ut omnibus vivis concedere tuâ miseratione digneris omnium culparum, delictorum atque pœnarum remissionem, liberationem à malis & periculis

anima & corporis, præteritis, presentibus, & futuris: salutem, auxilium, gratiam, opem, & consolationem S. Spiritus: perseverantiam in bonis operibus, felicem vitam exitum, æternamque salutem: Defunctis verò requiem, & gloriam sempiternam.

Cum actualitate hujus intentionis sæpe renovanda.

VI. Sed quoniam vita mea necessitates, & occupationes me non sinunt, huic semel expressa intentioni actualiter semper intentum esse, idcirco cupio, & declaro hanc meam oblationem toties pro renovata, & actuali valere debere, quoties oculis in cælum aspexero, aut suspiravero, vel pectus meum percussero, dicens: *Renova omnia*: vel, *ô amor!* aut, *ô Deus meus!* vel quid simile: imò quoties vel horologii sonitus, vel arteriæ meæ pulsus à me animadversus fuerit, seu cor meum indesinenti anhelitu intrà me respiraverit: protestando expressè contra omnes diabolicas tentationes, suggestiones, fraudes, obreptiones vanæ gloriæ, aut humani respectus: & contra omnes distractiones, obliviones, cogitata, dicta, vel facta huic meæ oblationi, intentioni, & pacto, quod modò cum infinita Majestatis tuæ dignatione feci, contraria, ac tibi dulcissime, & amantissime Deus meus, displicentia. Et hæc omnia in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

VII. MONOPH. Videtur ista Oblatio-

lationis, intentionis, sive unionis quasi
 continuatæ praxis, esse ipsissima illa perpe-
 tua cordis custodia, & solitudo, de qua Ab-
 bates Moyse, & Isaac ita docebant; *Hic
 nobis principalis debet esse conatus, hæc
 immobilis destinatio cordis nostri jugiter
 affectanda, ut divinis rebus ad Deum
 mens semper inhæreat, & eò usque ab
 omni situ carnali extenuata sublimetur,
 donec omnis ejus conversatio, omnisque
 voluntatio cordis, una, & jugis efficiatur
 oratio, ut perfecte adimpleatur illud Apo-
 stoli: sine intermissione orate. In omnibus
 gratias agite: spiritum nolite extingue-
 re, hæc est enim voluntas Dei, in Christo
 JESU, in omnibus vobis. Quare mihi deinceps hæc formula multum familiaris erit.*

Talis obla-
 tio est jugis
 oratio.
 Abbat.
 Moyse. &
 Isaac. col-
 lat. PP. 1.
 c. 8.

1. Thess. 5.
 v. 17.

PHILOTH. Et mihi quoque sum-
 moperè placet: veruntamen ob multa for-
 tuitò incidentia occupationum necessaria-
 rum impedimenta, desiderarem breve
 quoddam illius ac substantiale compen-
 dium.

THEOPHOB. En trado igitur & aliam
 actûs hujusmodi formulam succinctam &
 efficacem; præstat quippe alterna subinde
 Actûs ejusdem mutatio, ne ob frequentio-
 rem illius usum memoriâ retentus, sine ve-
 ro devotionis sensu, raptimque transcur-
 ratur.

Offero hodierno die omnes meas cogi-
 tatio-

tatio-

Brevior &
compen-
diosa obla-
tio quoti-
diana.

tationes, verba, & opera: omniumque po-
tentiarum, membrorum, ac sensuum ani-
mae & corporis usum, motus, & operatio-
nes, bonas, & indifferentes, ad majorem
Dei & D. N. JESU Christi, Beatissimæ V.
MARIÆ, omniumque Sanctorum, præci-
pue SS. NN. honorem, laudem & gloriam,
ex omnibus sanctis, & supernaturalibus
omnium virtutum motivis: In unione
pretiosissimi SANGUINIS Salvatoris mei
JESU: pro mea, & omnium meorum spe-
cialiter intentorum NN. vel recommen-
datorum. & pro quibus tu piissime Domi-
ne scis, & vides, me debere, & velle hodie
orare: omniumque simul fidelium vivo-
rum, & mortuorum salute anima & cor-
poris, remissione peccatorum, gratiâ, auxi-
lio, & consolatione Sancti Spiritus impe-
trandâ: declarando, & protestando ex-
presse, quod ad omnes horologii sonitus,
aut cordis mei suspiria, sive quoties dixe-
ro: Deus meus! renovo: vel quid simile:
ista intentio semper pro actuali valere:
è contra omnes distractiones, obreptiones,
vel diabolica suggestiones, aliaque huic
mea intentioni contraria, ac Deo meo
displicentia, invalida, irrita, nulla & re-
jecta esse, ac permanere debeant: In nomi-
ne Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Hæc brevissima praxis prioris nu-
cleus est.

VIII. Transeamus modò ad alteram perfectissimæ unionis cum Deo speciem, quæ est resignatissima, & absolutissima humana voluntatis cum divina conformatio. De hac ille *speciosus formâ præ filiis hominum* hæc aliquando ad præmemoratum suam sponsam Gertrudem verba fecit: *Qui vult, ut ad ipsum liberè veniam, debet mihi clavem propriae voluntatis resignare.* Unde eadem sancta aliquando trecentis, & sexaginta quinque vicibus illud Christi Domini pronunciavit: *Non mea, sed tua voluntas fiat, ô amantissime JESU!* Exposui vobis in præmio Exercitiorum, de illa, mediantibus exercitiis, mirabiliter conversa Benedicta Romana, quousque in animabus intensè Deum amantibus, hæc resignatio, sive conformitas extendat, dum ipsa, se paratam, & contentissimam fore profiteretur, si eam Deus post omnia licet impensa totius vitæ obsequia, nihilominus vellet æternis ignibus addicere, ad implendam solummodò Dei voluntatem.

IX. Et sanè millies præstaret, ex Dei voluntate libentiùs inter vermes repere, quàm ex propria inter Seraphinos collocari, imò suppliciis quoque perennibus mancipari, quàm cælo (si alterutrum fieri deberet) contra illius bene-

Christus peti-
tit clavem
propriae vo-
luntatis sibi
tradi.

Apud Blos.
in Monil.
spir. c. 114.
Ps. 41.

S. Gertrudis
perfectè re-
signata.
Luc. c. 22
v. 42.

S. Benedicta
Monialis
etiam ad in-
ferni pœnas
resignata.

Præstantia
talis re-
signationis

bene-

beneplacitum adscribi; ut ille quondam
 omnium Regum opulentior, atque felici-
 or mendicus, apud Taulerum in collo-
 quio Theologi & mendici, optâsse perhi-
 betur, dicens: *Si Dominus Majestatis me*
in abyssum inferni demergeret vellet, duo
mibi brachia sunt, quibus eum ample-
cterer. Unum humilis RESIGNATIO,
quod ei suppono, & per hoc ejus sacratis-
sima Humanitati unitus sum; alterum,
idemque dextrum, AMOR, quo ipsius
Divinitati unitus eundem circumple-
ctor, ita ut mecum ad infernum descen-
dere cogeretur, ubi optatius mihi foret,
impleta ejus voluntate, esse cum Deo,
quàm in cælis sine illo. Ecce mendicum
 profundissimum Theologiæ mysticæ Do-
 ctorem. Quod ipsum ex aliâ quâdam
 Christi ad B. Brigittam facta his verbis re-
 velatione, pariter confirmatur: *Qui pro-*
priam voluntatem relinquit Deo suo,
obediens mihi, habebit cælum sine pœna.
 Cœterùm eminentissimæ hujus Confor-
 mationis, sive Resignationis
 actum hâc formulâ

trado.



ACTUS

ACTUS

Perfectissima Resignatio-
nis.

X. **O** Clementissime Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis! *Ecce ego creaturarum omnium indignissima, cum nullam hactenus in omnibus rebus creatis veram, ac stabilem consolationem, pacem, & tranquillitatem invenire potuerim, nisi in solo sanctissimo voluntatis tua beneplacito, idcirco, quamvis sim pulvis & cinis, cupio tamen ardentissimo cordis affectu, meam Voluntatem, ex nunc integerrimè abrenunciare, Tibique soli, firmo, inviolabili, & plenissimo pacto, atque proposito, usu, & jure perpetuo resignare, & transcribere. Proinde abrenuncio imprimis omni voluntati mundi, qua vanissima, & stultissima est: omni voluntati diaboli, qua fraudulenta, impia, sacrilega, & blasphema est: deinde meæ propriæ, qua instabilis, perversa, & cæca est: omnibusque meis placitis, judiciis, cogitationibus, & intentionibus, decretis, & motibus universis omnium potentiarum, ac sensuum animæ, & corporis, cupiens deinceps neque intellectum, memoriam, aut voluntatem habere: neque*

Formula
actus perfectæ
& re-
signationis.

Abrenun-
ciatio vo-
luntatis
propriæ,
mundi &
dæmonis,

que oculos, aures, linguam, corpus & animam, nisi ad percipiendam, glorificandam, optandam, & plenissime perficiendam voluntatem tuam rectissimam, justissimam, atque sanctissimam.

XI. Sed quia sola mea voluntas prorsus nihil est ante te, idcirco super omnia cordis mei desideria cupio, omnium hominum & Angelorum voluntates in unicam meam transfundi posse, ut simul & semel uno resignationis actu omnes istas voluntates sincerissimo affectu in profundissimum pelagus tue voluntatis aeternae demergere & transformare queam, sicut gutta pluvia absorbetur à mari, & sicut Beatissima Virginis voluntas in Filii, & Filii in tuam ò Deus! in terris: & de facto omnium Beatorum voluntates per omnem aeternitatem in divinam absorpta sunt in caelis. Propono etiam vi presentis istius resignationis, imposterum totaliter esse indifferens ad laticia, & tristitia, ad solatia, & cruces, ad sanitatem, aut morbos, ad honores, & ignominiam, ad vitam & mortem: ita ut omnes arteriarum meorum pulsus, ad singula momenta non alia indicare debeant nisi hac & similia verba: Fiat, Fiat, Fiat, tua sola in me voluntas; ò Deus meus, & omnia!

XII. Sed adhuc me profundius in abyssum beneplaciti tui submergo, tuisq; occultis,

Affectus
conforma-
tionis
omnium
creaturum
volunta-
tum.

Indifferen-
tia talis vo-
luntatis ad
omnia.

ris, atque justissimis judiciis ita resigno; ut si post mortem me centum, aut mille annis, vel usque ad extremum iudicii diem purgatorii ignibus mancipare velis, velim. & ego: si etiam aeternis me flammis addicere (quod quidem infinitis meis peccatis ego promerui, ut tu hoc velles: sed ut ego id amplius nollem, tu morte tuâ mihi meruisti) dicam tamen, & profiteor corde, & animo resolutissimis, quod id ipsum velim. & ego nam malo sexcenties millies, voluntatem tuam justissimam, gloriam tuam illibatam, ac Majestatem tuam sine displicentia (etiam me damnato) esse ac permanere, quàm me salvato, voluntatis tuae beneplacito aliquid contrarium fieri.

XIII. Plus ultra adhuc, dulcissime Amor meus, me resolvo, & declaro: si voluntatis tua esset, mihi unico nutu significare, me isto temporis momento vivum cum corpore & animâ ab inferni faucibus absorbendum, & solum pœnas omnes damnatorum (illis liberatis) aeternaliter sustinere debere: ah! (horreo quidem, & tremo secundum naturam) tamen ex divina gratia motu ad tuae voluntatis beneplacitum adimplendum statim dicerem: Dominus es, quod bonum est in oculis tuis, hoc facias: nullamque aliam gratiam (licet optione datâ) peterem, nisi ut possem te brachiis meis, altero quidem humillima

Etiam ad
inferorum
pœnas.

1. Reg. 3. 18

Cum indif-
solubili ne-
xu cum
Deo.

*resignationis, & altero flagrantissimi a-
moris complecti, constringere, & mecum
indissolubile voluntatum nexu unitum,
illuc in perpetuas aternitates detrahere,
tenere, neque dimittere (sic enim infer-
num pro cælo, quemadmodum sine te cæ-
lum pro inferno reputarem) sed potius in
ipsis etiam inibi tormentis te laudare, &
pradicare, atque efficere, ut à me, & in me
ab omnibus creaturis laudaretur, pradi-
caretur, & glorificaretur in aeternum &
ultra tua semper rectissima VOLUNTAS.
Amen.*

Excessus
meriti talis
actûs.
Blos. in ap-
pend. ex
diſt. Taul.
& PP.

MONOPH. Jam non amplius
mirabor, quod legisse me memini, mille
mundos relinquere in talis alicujus resig-
nationis actûs comparatione, nihil esse :
imò etiam parum hoc ipsum, quòd sancti
Martyres animas pro Deo fuderunt,
huic resignationi collatum.

Perfe&isti-
mus actûs
resignatio-
nis in Dei
Iustitiam
vindicati-
vam.

XIV. THE OPH. Verissimè sen-
tis & optimè. Atqui restat discutienda
materia circa aliquem actum adhuc mul-
tò sublimioris & perfectioris resignatio-
nis in ipsam Vindicativam Dei Iustitiam;
tales enim unius animæ ex Dei gratia
vel perfectè contritæ, vel intensè a-
mantis sunt ad inventiones, ut omnem
humanæ mentis admirationem exce-
dant. Quis enim unquam imaginari sibi
auderet, hominem ad æternam cæli bea-
titu-

titudinem creatum, summè anhelantem
 ac præ illius desiderio penè immorien-
 tem, posse nihilominus ex motivo ali-
 quo supernaturali, v. g. horroris erga
 peccatum, amoris in Deum & proximum,
 aut satisfactionis Divinæ Justitiæ, præ cœ-
 lesti gloriâ, eligere & optare perpetuos in-
 ferorum cruciatus (unicâ cum dæmonibus
 Dei hostibus communicatione, Majestatis
 Divinæ contemptum, peccatiq̄ue malitiam
 involvente seclusâ.) Est enim indubitata
 Theologorum doctrina, posse quidem ho-
 minem summè charitativum omnium suo-
 rum bonorum operum fructus, impetra-
 torium & satisfactorium pro alterius salu-
 te applicare, & se utroque privare, non ita
 fructu meritorio gratiæ sanctificantis, Nullus pos-
 quæ cum sit radix gloriæ æternæ, quæ est test rationa-
 bonum infinitum, nec ordinata foret illa biliter se
 charitas, nec rationabilis illa voluntas, privare cœ-
 tali infinito bono sese privandi, ut alte- lo pro alte-
 ri loco sui communicetur, vel æternæ ro.
 damnationis malo infinito subijciendi
 se, ut alius inde liber evadat. Et ta-
 men scimus indubiè, mansuetissimum
 Moysen rogâsse, deleri de libro Vitæ,
 pro impediendâ extinctione populi ido-
 lolatrici. Et gentium Doctorem optâs-
 se, fieri anathema à Christo pro fratri-
 bus suis, perfidis Dei crucifixoribus:
 illumque ardentissimum Dei gloriæ &

Exod. c. 32.
 Zelosi pro
 alienâ salu-
 te magis,
 quam pro
 propria.
Rom. c. 9.

In Vit. illi-
26.

salutis aliorum Zelotem Ignatium dixisse, si optio daretur, malle se beatitudinis incertum vivere, & interim Deo inservire ac proximorum saluti, quàm ejusdem gloriæ certum statim mori.

B. Cathar.
Bonon. of-
fert se ad
infernum
pro pecca-
toribus.

Cathar.
Genuensis
petit exer-
ceri contra
sua peccata
Dei Justiti-
am.

In Vit. 9, 24

XV. Nec desunt paris fervoris, charitatis & optionis fœminæ. Reducite in mentem, quæ superius *Digress. 4. n. 13.* retuli de Catharina Bononienli innocentissimâ Virgine, eam enixè precatam esse, quatenus adhuc terribiliorem Deus crearet infernum, & seipsam in ejusdem abyssu (absque tamen proprii peccati macula) pro incude collocaret, omnibus Divinæ *Justitia* ictibus æternaliter tundendam, pro aliorum peccatorum perpetuâ salvatione. De Catharina Genuensi purissimâ quoque animâ, pariter recolite ex suprâ memoratis, illam, cognitâ per divinam revelationem horribilitate solius quasi umbræ minimi peccati venialis, tantum odium concepisse & horrorem, ut ex intensissimo divinæ *Justitia* amore non dubitârit rotundè coram Deo proferre, se pro peccatis suis non petere gratiam, non misericordiam, non Ecclesiæ Indulgentias, nec absolutiones, sed pro merito suo Justitiam, Vindictam, & castigationem. Tertiam adjungo Angelam de Fulginio adhuc in conjugii statu cum marito & filiis, perfectissimam
tamen

tamen pœnitentem, quæ, dum aliquando aliûs solito illuminata Dei potentiam, voluntatem, Justitiam, & bonitatem cognoverat, ita deinceps remansit contenta & tranquilla, ut dictata & scripta reliquerit hæc verba: *Et sic certissimè scirem, me damnandam, nullâ ratione possem dolere; nec minùs studerem amare & honorare Deum, in tantum intellexi Justitiam ejus, & rectitudinem judiciorum ejus: & mox ita; Quando dico, per judicium tuum libera me Domine, tantum delector, sicut quando dico, per passionem tuam libera me Domine, non enim magis cognosco bonitatem Dei in multis Beatis, quàm in multitudine damnatorum: & ibidem adjungit: Si omnia, quæ sunt fidei, per impossibile deficerent, hâc tamen remanet mihi certitudo de Justitiâ suorum judiciorum.* Unde alibi ampliùs, cum sic essem illuminata inquebat, ut nihil in me viderem, nisi defectus, condemnabam me ipsam, sciens & cognoscens, quòd certissimè digna eram inferno. Demum hâc memorabili sententiâ concludit: *Videndo me damnatam, non curo aliquo modo de damnatione meâ quia plus curo & plus doleo, quòd offendi Creatorem meum, quem nollem offendisse præ omnibus bonis, & malis.* Ex quibus subinfero, si tales Sancti & Sanctæ potuerunt, vel præ horrore peccati, vel pro amo-

In vit. e. 24
consolat. 5.

Amor erga
Dei Justiti-
am in B. Au-
gelâ &c.

Cap. 5. pass
sus.

Vitro se
obtulit
damna-
tioni pro-
pter sua pec-
cata.

Cap. 19.

Magis do-
let de offen-
sâ Dei quam
de suâ dam-
natione.

re salutis alienæ, aut pro affectu beneplaciti Divinæ Justitiæ, se ejusdem rigori, aut propriæ salutis periculo, seu perditioni subjicere innocentes, majori ratione posse idipsum enormem aliquem peccatorem, ex efficaci motione divinæ gratiæ, ingenti contritionis, Dei que amoris æstu percitum, sibi ipsi velut mille gehennas merito, optare; vel cum eadem intemeratâ Dei Justitiâ ad dandam illi satisfactionem super suâ damnatione pacifici, modo præsertim ac formâ mox tradendâ.

XVI. PHILOTH. Sed, amabò, num tales actus, desideria, vota seu pacta, non sint penitus innaturalia, inordinata, & irrationabilia prorsus, abdicare se à cœlo; à Sanctis, à beatifica visione in perpetuum; ac sempiternis inferorum tormentis addicere?

Amor excessivus non agit humano modo rationally, biliter.

THEOPH. Jam in superiori Digressione memini, animam quandoque amoribus ita excessivis erga objectum amatum inflammari, & occupari, ut quasi ebria sapienter ignoret, quid dicat eligat, vel agat; non attendendo, qua lege, quo ordine, quâ ratione, vel possibilitate, imò quò intensior sit charitas, eò magis ultra omnem naturam, in ardua, excessiva, in exotica & suis viribus improporcionatissima ferri, ut quò

quò effectu attingere nequit, enitatur affectu. Quanti porro ejusmodi cellisimi affectus apud Deum sint valoris & meriti, dicat eruditione & pietate vix ulli secundus Ludovicus Blosius Abbas, his verbis: *Si quis etiamnum inter mortales ex purâ dilectione, cum sui resignatione perfectâ ad omnem pœnam honorè Divinâ Justitiâ tolerandam, sese integro & tranquillo animo offerre posset, talis nec inferni, nec purgatorii pœnas subiturus, etiamsi solus mundi peccata commisisset.* Doceant vos id ipsum Sancti Patres asserentes, eum, qui Dei erga se *Justitiâ* perinde ut misericordiam ad æternam ejusdem Domini gloriam exsculetur ac diligat, tam facilè peccatorum suorum ac pœnarum illis debitarum plenissimam veniam obtinere, quàm facilè una aquæ guttula in ardentissimam fornacem injecta consumitur. Cùmque allatæ Patrum doctrinæ adstipulentur plures tam Asceseos, quàm Theologiæ Magistri & Doctores, præstabit hîc nunc in medio statuere enormissimum mundi peccatorem, ære alieno plus quàm decem millium talentorum erga Divinæ Justitiæ tribunal debitorem, & cui eapropter apud omnia suprema tribunalia jam proclamato, sub hastâ vendito, & pro-

Blos. in dict. P. P. c. 24. ex Taulero. Pro Dei justitiâ ad infernum se offerre infiniti meriti est.

Paſtum cum Dei justitiâ peccatori est salutare.

scripto nullum ampliùs in cœlo & terra videatur superesse solutionis, satisfactionis, suæque salutis consequendæ medium; quid aget miserrimus, nisi ex necessitate virtutum faciendo, se ultrò creditrici Justitiæ in catenatum mancipium ad perpetuas triremes, aut carceres offerre, pro ejusdem *Justitia* liberrimo gustu & arbitrato; ac in sequentem formulam, cum humillimâ & perfectissimâ contriti & resoluti cordis resignatione cum Ea pacisci; quò sibi saltem quoquo modo æternaliter in abyssalibus inferorum suppliciis bene sit.

FORMULA PACTI PER-
PETUI

Alicujus maximi peccatoris, cum Justitia Vindicativa Dei.

Formula
pacti peccatoris
cum
Dei Justitia.

Tremenda
Dei Justitia
describitur.

XVII. **O** *Ter sacrosancta, summè admirabilis & centies millies adoranda Dei Justitia, omnium iniquitatum Judex & vindex! passim, & ab orbis conditi principio usque in præsens formidaris, & diceris esse tremenda, terribilis & metuenda nimis; oculis meros flammæ globos spirantibus, voce tot tonitrua & vulmina, quot verba vibrante, dexterâ romphæâ bis acutâ & fulgurante armatâ, brachio semper in funestissimas mortalium strages extento, adeoque inexorabiliter in vindicatio-*

candis hominum sceleribus intenta, & rigorosa, ut nec minima labecula, nevus, aut culpa in hoc vel in altero mundo impunita rigores tuos subterfugere valeat. Unde solo audito terrifico vocis tue sono, vel animadverso furoris tue signo, omnia elementa nutant, omnes cælorum machinae concutiuntur, ac si fractus illaberetur orbis; omnes deniq; humanorum artuum compages, omniūque creaturarum subsistentia & existentia dissolvi, & in minutissimos sui nihili atomos redigi pave-
scunt.

Omniū
creatura-
rum pavor,
ad signum
Justitiæ
ejus.

XVIII. Et sanè vestigia terrent tertia partis Angelorum ob unicum superbia peccatum unico in momento commissum æternis ignibus mancipata. Totius humane stirpis propter unum gulosæ inobedientia actum æterno anathemate è paradysò proscripta. Totius mundi cum universa animalium specie ob hominum carnalitates exitiali diluvio submersi. Tot civitatum cum omnibus innocentibus aquè ac nocentibus incolis propter Sodomix flagitia sulphureo igne absumptarum. Taceo innumerabiles bellorum strages, incendiorum furores, famis, pestium, inundationum, terræ motuum, morborum, infortuniorum, tempestatum ac fulminum ruinas, quibus sine cessatione in miserimos mortales excandescis, ardescis & grassa-

Exempla S:
Scripturæ.
rigorosæ
Justitiæ.

Rigor divi-
nz Justitiæ
in ipsum
Dei Filium.

ris : imò, quod omnem creatura intelligentiæ capacitatem transcendit, in ipsum Unigenitum Dei Patris Filium, innocentia & lucis aternæ candorem, propter aliorum duntaxat peccata, cruciatibus omni humano sensu acerbioribus sæviisti; ut proinde omnes creatura perterrita tremulâ voce fateantur & dicant: tremendum & horrendum esse, incidere in manus Justitiæ Dei viventis.

Rememo-
ratio pecca-
torum pro-
priorum.

XIX. Verùm ô aternè glorificanda Justitia, si ad meum particularem statum descendens recogito ex una parte, me ab annis adolescentiæ usque in hanc ætatem (senectutem) contra te commissa facinora, specie diversissima, qualitate infanda & pudenda, quantitate immensa, circumstantiis gravissima, frequentatione assidua, numero inexplicabilia, malitia autem gravitate per omnem aternitatem & mille infernos inexpiabilia, quibus Te, & iram tuam justissimam ita audacter, deliberatè, perfrictè & petulanter irritavi, provocavi & ludificavi, ut jam ex solâ superficiali recordatione, præ nimio horrore, confusione & pudore tabesca. i.

Et longani-
mitatis Ju-
stitiæ Divi-
nz.

Econtra verò si ex altera parte considero, meam hæctenus post omnes infames, nefarias, propudiosas, ac detestabiles istas ingrati tudines, malitias, & enormitates, meam nihilominus post tot annorum curricula salvam adhuc indemnitatem;

Tuam-

Tuámque ó infinitis laudibus deprædicanda Justitia! erga me millies mille infernos meritum, ostensam longanimitatem, & patientiam, præ stupore me reddis excor-dem. Nam cum ex fide teneam, personarum acceptioni apud Te locum non esse, sed soli rectitudini, sanctitati & equitati, tam in malis vindicandis, quàm in præmiandis bonis, & tamen revolvens tam veteres, quàm modernas. Te Justitiâ vindice horribiles peccatorum castigatio-nes; meam verò (qui omnes prorsus in uni-verso mundo meis sceleribus & perfrictâ obstinatione excedo peccatores) impunitatem; nescio, an intra me sentire, & di-tere audeam (salvâ fidei integritate) Te erga me aut nimis fuisse respective par-tialem in parcendo, aut in longanimitate & patientia nimis clementem, cum ingenti honoris tui præjudicio, siquidem abinde majorem sumpsi audaciam, Te ve-lut surdam, aut cæcam, imbecillem & impotentem ad vindicandum offendendi, injuriandi, & lusui habendi.

Dei justitia
non est par-
tialis.

XX. Fateor equidem, quòd nonnullis vicibus me in luto facis & limo profun-di ex propria malitia infixum, virgâ & baculo ventilaveris, & adversitate se-cundùm hominem inferiorem gravi visâ, interdum corripueris, at nunc secundum superiorem agnosco, omnia fuisse non nisi torvum aliquem amantiissimi Patris aspe-

Castigatio-
nes pater-
nz,

Et tu,

etum, quo metuenti dedisti significatio-
 nem, ut fugiam à facie arcûs. Unde candi-
 dissimè fateri, tibiq; gloriam dare cogor,
 quod mihi nec tremenda, nec exhorrenda,
 sed ineffabiliter dulcis, pia, mansueta, be-
 nigna & infinities infinite misericors fue-
 ris usque in præsens; ideoque à me, & pro-
 pter me, ac meo nomine, omnibus omnium
 creaturarum existentium & possibilium
 servitiis, laudibus, adorationibus, gra-
 tiarum actionibus, & amoribus per infi-
 nita aternitatum spacia (quacunque de-
 mum in loco à morte mea collocaveris) sis
 & eris prosequenda.

Justitiæ
 Dei longa-
 nimitas
 amanda &
 laudanda.

XXI. Quare (cum venia & pace in-
 exhausta misericordie Dei, ad quam ha-
 etenus solum meum & unicum sumpsi re-
 fugium) posthac te non aliter, appellabo,
 quam meam clementissimam, ampilissi-
 mam & superdulcissimam Dominam, ac
 absolutam meam salutis, aut aeterna man-
 cipationis in inferno, arbitram. Et
 quamvis sim vilissimus vermis, mundi la-
 bes & peripsema, minimus terra pulvi-
 sculus; peccator quoque putrido carcino-
 mate fatentior, mortuo cane deterior,
 imò mille suspendiorum reus, cupio tamen
 intimè & unice tecum ò altissima & in-
 comprehensibilis Majestatis Justitia (non
 quidem pro ullo meo temporali, vel aeterno
 bono, aut commodo, sed pro merissima gra-
 tiarum actione & tuæ exercitate mecum
 lon-

Humilis
 confessio
 suæ vilita-
 tis.

Desiderium
 paciscendi
 ex puro
 amore Ju-
 stitiæ Dei.

longanimitatis recognitione, ac honore, amore, gustu, & complacentia tibi facienda super his quatuor punctis Pacisci, modo me audire & exaudire digneris.

Primum; quod, cum deinceps, propter, heu! nimium bonitatis, beneficiorum & misericordia Dei abusum, coram ipsius placidissima facie, prae infinita scelerum confusione & erubescentiâ, comparere non audeam, mihi totâ meâ reliquâ vitâ liberum ad te pateat refugium & accessus, tractaturo tecum de ablati tibi honoris ac irrogatarum à me lese Majestatis injuriarum & contemptum qualicunque reparatione, & satisfactioe præstandâ.

Secundum, ut, quia adeò jam præ infiniti doloris, & contritionis magnitudine, propter enormissimos excessus meos contra Dei mei immensam bonitatem, ac Te perpetratos cor meum intra me colliquefcit, ut tam me, quàm scelera mea infanda inexplicabili odio ac detestatione persequar, abominer, maledicam & anathematizem, Tu quoque ô rectissima & inviolabilis Justitia eadem peccata mea, & (si ita tibi placet) me quoque abomineris & detesteris, & simul omnia in pulverem, in nihilum, prorsus infecta redigas, eo efficacia modo, ut infamis & infernalis ille character, macula & nota offensa infinita bonitatis, pro dolor à me contracta, in æternum amplius non appareat, reviviscat,

I. Semper confugium ad Dei justitiam habendi.

2. Peccata omnia detestandi, & infecta reddendi.

viscat, sed maneat oblitterata, erasa, deleta, ac funditus extincta.

3. Ad gu-
rum justi-
tiz inferni
pœnas
subeundi.

XXII. Tertium: Quòd si deinde ablata penitus infandâ hâc maculâ (quæ sola majori mihi omnibus inferni cruciatibus dolori est) quâcunque certitudine significes, Te ô aequissima *Justitia!* nihilominus habere gustum & complacentiam, ut ad tuâ satisfactionem, honorem & amorem perpetuæ post mortem meam damnationis pœnas subeam; Ecce paratissimum me cuncto fune ad collum in hoc ipso etiam oculi momento ad omnia inferorum tormenta (suppositâ tamen prædictâ turpissima macula perpetuâ annullatione) sustinenda. Quia centies millies, imò infinities dignius est, & ambio, tuo justissimo beneplacito per æternam meam damnationem satisfieri, quàm per meam salutem gustui tuo aliquid deesse.

Deletâ ta-
men pecca-
ti maculâ,

4. Hic inte-
rim semper
Dei servien-
di.

Quartum istiusmodi pacti inviolabilem articulum cupio & declaro esse debere, quòd, non attentâ meâ futurâ damnatione, nihilominus velim hîc usque ad illius ultimatam executionem tibi ô mea jam dulcissima, cordiq; & amoris intrinsecata *Justitia!* omnia excogitabilia & possibilia amoris, honoris, laudis, benedictionis, glorificationis ac servitutis obsequia præstare, eo etiam pacto, ut me postea ad inferorum supplicia reugeatum præserves ab illo exitiali omnibus demonibus ac damna-

is infixo Tui odio, blasphemis & maledictionibus rabiosis; ac desperatis; è contra verò hanc solam & summam gratiam perpetuò in me confirmes, ut, sicut ab omnium Beatorum cœtu Judiciorum tuorum rectitudo infinitis laudibus celebratur in cœlis, ita ego in profundissimâ illâ voragine constitutus incessabili laudis & benedictionis præconio valeam correspondere (etiam ringentibus ac nimio furore freudentibus contra me diabolorum & damnatorum catervis,) ita ut unus & solus ego in medio illius maledictæ cohortis approbem, adorem, & laudem fines & motiva rectissimorum tuorum judiciorum, quibus me, & omnes infernum meritos damnasti, ac solus ego hoc Justitiæ actu tot tibi benedictiones rependam, quot in te à cæteres maledictiones evomentur.

Super hac igitur pacta ò incomparabilis & benignissima Dei mei Justitia! Tibi in faciem meam prostratus supplico, ut hanc scriptionis meæ chartam; publicam, æternamque animi mei declarationem ex sola & puro tui amore & beneplacito spontè, liberè & consideratissimè factam, pro tuâ parte ratam acceptamq; in omnibus habere; Sanctissima Trinitatis, & Redemptoris mei JESU Christi immense ejusdem Misericordiæ, nec non dulcissima hætenus Matris misericordiæ MARIÆ, meorumq; Patronorum conspectui (quo per

Et Dei justitiam in inferno approbandi, laudandi.

Supplicatio pro pacti hujus confirmatione.

per mea, pro dolor! scelerata aeternaliter indignum me reddidi) praesentare, ac demum appropinquante finali executione, sub praedictis declaratis & pactis totius Curiae caelestis, meo nomine aeternum, Ab aeternum! vale nunciare digneris. Amen.

S. Io. Damasc. in Hist. Io. Saph. c. 12. Nostra infirmitas ad tales actus eliciendos.

XXIII. MONOPH. De hoc excessivo actu & pacto, illorumque Sanctissimorum virorum ac mulierum adductis à te exemplis aliud planè dicere nequeo, nisi quòd in colloquio Barlaam Anachoreta recensetur, videlicet: Beati isti, ter Beatitatem excessivo Dei amore flagrârunt, ut ob ipsius charitatem & beneplacitum, omnia mundi & inferorum mala pro nihilo duxerint. Verùm nos indigni & despicabiles; tametsi pro misera nostra facultatis modulo stupenda illorum vota & gesta exprimimus, vite tamen & amoris tanti fastigia neque assequimur, neque propter spiritus nostri infirmitatem assequi meremur.

Pendent ex Dei gratia. Rom c. 9.

PHILOTH. Bene quidem supra dixisti: Amorem vivere excessibus; sed ad tales excessus pertingere, non credo, esse volentis, sive currentis, sed solius Dei miserentis. Equidem fateor, quòd tanquam maximus & ingratiissimus peccator heu! nimias haberem, causas, & motiva, pacti istiusmodi actum sapius eliciendi, verùm adeò duro sum corde, ut valde dubitem, an ex serio & intimo animi mei fundo ac sensu proveniret?

THEO-

THEOPH. Recte sentitis uterque, at propter eam ipsam spiritus vestri velut arcus sagittarii infirmitatem eò alius collimandum est bonæ mentis conatibus, quibus miserentes Dei gratia non rarè etiam in maximis peccatoribus admirandis influxibus cooperatur. Unde nec animus despondendus, nec humi semper rependendum, aut in veteri pulvere sordescendum est, sed quod in proverbio est cum Minervâ manus movendæ, cum afflante divini Spiritus aurâ remigandum. & cum assumptis firma resolutionis alis cor ad aeterni Solis astus ac radios elevandum. Felix Icarus qui præ ejusdem ardore liquefcentibus alis, in infiniti amoris abyssum illapsus submergitur. Vnum tamen vos premonuerim, quòd talis pacti contenta non extimis tantummodò labiis sint ita nude & crudè proferenda sed ex intimo fundo cordis priùs benè confusi, & compuncti ex impressione ingentis numerositatis; fœditatis & gravitatis suorum antea cævitæ peccatorum; & nihilominus post tot malitiosè factas iræ & Justitiæ Dei irritationes, expertâ ejusdem Justitiæ insuperabili longanimitate & patientiâ immeritissimâ. Atque ita his præviis considerationibus, accedente infallibili Spiritus Sancti motione, facilius ad tales generosi fervoris actus & ausus (cum ineffabili

Hortatio
ad genero-
los actus.

Cum præ-
via cordis
compun-
ctione.

bili conscientia ac mentis tranquillitate
& solatio in vitâ & morte) pertingentis.

MEDITATIO XXX.

De ineffabili desiderio, gaudio, ac
fruitione Dei in cœlesti Pa-
tria.

Textus

Reg. c. 7.

SI ad exaltationem illam cœlestem, qua
timentibus Deum preparata est volu-
mus velociter pervenire; necessarium est,
vitam aeternam omni concupiscentia spi-
rituali desiderare.

Prælud. Imaginare, te cum S. Joanne
Apost. in extasi videre civitatem Je-
rusalem cœlestem, cujus fundamenta,
& muri ex omni lapide pretioso, por-
tæ ex margaritis, & gemmis, plateæ
ex auro purissimo, & hanc vocem tibi
allabi: *Ecce tabernaculum Dei cum ho-*
minibus.

Apoc. 21.

Cœli gau-
dia in senti-
bus corpo-
ris & poten-
tiis animæ.

Punct. 1. Confid. Felicitatem cœle-
stis gloriæ, 1. Ex gaudio quinque sen-
sum corporis, ac 1. oculorum ab
aspectu Christi, Beatissimæ Virginis, &
omnium SS. 2. Aurium, ex dulcissima
omnium Angelorum harmonia & can-
tu. 3. Gustûs, & odoratûs, qui exquisitis-
simis oblectamentis *Inebriabuntur ab*
ubertate domûs Dei. 4. Tactûs ob immu-
nita-

Psal. 35.

nitatem ab omni frigore, æstu, doloribus, morbis, & cruciatibus hujus mundi. 5. Ex corporis gloriosi dotibus Subtilitate, Agilitate, Claritate, & Impassibilitate. 6. Ex gaudiorum abundantia in potentiis animæ, intellectu, memoriâ, voluntate, quæ quasi in immenso oblectationum pelago absorbentur. &c.

O Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum! quàm sordet mihi terra, dum cœlum aspicio. O beata patria! & quando satiabor, & inebriabor ab ubertate domûs tuæ? *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est!*

Psal. 119.

Punct. II. Consid. Essentialem Beatitudinis fontem consistere in VISIONE DEI facie ad faciem, cujus 1. Essentia est ipsa Sapientia, Omniscientia, Veritas, Potentia, Perfectio, Divitiæ, Bonitas, & Pulchritudo increata, purissima, gloriosissima, infinita. 2. In ipso, quidquid excellentiæ, nobilitatis, opulentiæ, gloriæ, pulchritudinis, perfectionisquæ esse potest in Angelis, & hominibus, quidquid odorum, saporum, dulcedinis, harmoniæ, delectabilitatisquæ in omnibus creaturis, infinitâ plenitudine reperitur. 3. Et hæc omnia in Deo videre, intus sentire, experiri, gustare, amplecti, frui & æternaliter

Ex Visione
beatifica.

possidere licebit suavissimè , liberrimè , securissimè atque plenissimè , sine fine & sine defectu.

Quale hoc lætitiæ pelagus , quanta purissimæ delectationis abyssus videre incomprehensibilem illam Sanctissimæ Trinitatis gloriam , & inæstimabilem pulchritudinem? ô anima mea , si oporteret te quotidie tormenta perferre , si istam gehennam longo tempore tolerare , ut Christum in gloria videre posses , nonne dignum esset , pati hoc omne?

Ex loco, societas, & omnium desiderabilium affluentia.

Punct. III. Confid. Reliquos gaudiorum cumulos. 1. Ex loci altitudine, amplitudine, serenitate, amœnitate, & majestate, murorum, portarum, platearum, Throni divini, ex auro, & gemmis, atque splendore: prout in Apocalypsi describuntur. 2. Ex gratissima societas Beatissimæ MARIÆ, Angelorum, Apostolorum, Martyrum, Virginum, Religiosorum, Laicorum, qui omnes distinctè cognoscentur, eorum passiones, virtutesque, cum mutuo gaudio, & congratulatione, atque omnium gaudiorum participatione. 3. Ex affluentia omnium desiderabilium bonorum, ubi nihil est quod nobilius, & totum est, quod velit. 4. Ex plenissima societas

tietate sine nausea, tædio, fastidio, ac timore per omnem æternitatem.

O Vita vitalis! vitæ beata, & beatè sempiterna. Vita sine morte, juventus sine senectute. sanctitas sine infirmitate, gaudiam sine tristitia, pax sine discordia, lux sine tenebris, delectatio sine fastidio, fortitudo sine inbecillitate, gloria sine fine. O vita! cujus amore tot Sancti suum sanguinem fuderunt, tot Religiosi mundum contempserunt &c. ô quantum tui desiderio languero, atque suspiro!

S. Ansel.
l. de similit.
c. 16.

Affectus
aspiratio-
num ad cœ-
li gaudia.

Te, cujus est certa securitas, & secunda tranquillitas, & tranquillæ felicitas, & felix suavitas, & suavis jucunditas, post hoc omni spirituali concupiscentiâ desiderare cupio. Te, quæ timentibus Deum præparata es, *concupiscit: & deficit anima mea in atria Domini.* Ah quando venies? Ah! quando apparebit mihi gloria tua &c.

Psal. 83.
3.

CONSIDERATIO I. POMERIDIANA.

Quòd pro Christi gloria strenuè sit laborandum.

O Si vidisses in cælo Sanctorum coronas perpetuas, quantâ quoq; nunc exultant gloriâ, profectò nec latos hujus vitæ concupisceres dies. Ibi salus erit inde-

Ger. l. 30.
cap. 47.
n. 3.

n. 2.

fectiva, anxietas nulla, jucunditas beata, societas dulcis & decora. Age ergo, ut agis; fideliter labora in vinea mea; ego ero merces tua. Scribe, lege, canta, geme, tace, ora, sustine. Digna est his omnibus aeterna vita.

C O N S I D. II.

De ardenti desiderio caelestis Beatitudinis.

Ib. c. 48 r.

O *Superna civitatis mansio beatissima! O dies aternitatis clarissima! dies semper lata, semper secura, & nunquam statum mutans in contraria O utinam dies ille illuxisset, & cuncta haec temporalia finem accepissent. JESU bone! quando stabo ad videndum te? quando contemplantur gloriam regni tui? quando eris mihi omnia in omnibus? Desidero te intimè frui, sed nequeo apprehendere. Opto inherere caelestibus, sed dum spiritus sursum, caro quatit esse deorsum.*

C O N S I D. III.

Quid huic desiderio caelestis patria conjungendum sit.

Ib. c. 49. n.
1. 2. 3. 4. 5.

Etli mi, cum tibi desiderium aeternae beatitudinis desuper infundi sentis, dilata cor tuum, mihiq; toto cordis affectu adhaerere, ac ferventi voluntate studeas

deas deservire. Fili saepe ignis ardet, sed sine fumo flamma non ascendit. Tale est & tuum saepe desiderium. Velles esse in libertate gloria filiorum Dei, delectat te domus aeterna gaudio plena: sed oportet, te prius novum induere hominem, & in alterum virum mutari, donec veniat regnum Dei.

E P I P H O N E M A
AUCTORIS.

Ad Exercitiorum Spiritualium Candidatos Religiosos, ac Sacerdotes.

AD vos jam meus sermo revertitur, quotquot professionis vestrae, sive Ecclesiasticae, sive Regularis statum annua recollectione in sanctis exercitiis, sive alio quocunque modo renovare studetis; ut ultimam vos cohorter, & alloquar verbis illis, quibus aliquando Beatissima Virgo & Mater Guntelinum Monachum in Anglia sub sua conversionis initium affata est. Vidit is per raptum extaticum primò tremenda hominis novissima: dein Elysios campos, seu paradysum coelestem, in eoque Angelorum Reginam sublimè in splendidissimo throno residentem, ac solis instar reliquos inter Divos radiantem. Ad quam cum sanctissimus no-

*Ex Memol.
13. Sept.*

ster Patriarcha propriùs accedens dixisset: *Ecce Domina novitium, quem adduci jussistis*: Ipsa his eundem verbis compellavit: *Visne posthac in domo mea manere ad serviendum, sicut jam promisisti?* quo respondente: *Etiã Domina. Jura ergo mihi.* subjunxit illa, *super altare, vove, quòd semper opera Domini facies, & custodies ejus mandata.* Illo jurante, & fidei juratæ testimonium super Aram ponente, ad Divum BENEDICTUM conversa, *Reducite eum,* dicebat, *unde adduxistis.* A qua visione sibi redditus ille, & mirificè confirmatus, insignia deinceps univèrsis virtutum, atque perfectionis specimina edidit.

II. Ducti estis hætenus, vocante Numine, comite, Theophobo, seu timore Dei, per deliciosissimam solitudinem montis Thabor, in quo per diversas tabernaculorum stationes, post monstrorum turpissimorum intuitum, videlicet peccatorum, conspexistis terribiles mortis, judicii, inferni, & purgatorii abyssos: inde reductis visus est vobis paradus trium cœlestium Charitum, Gratiarum, sive Virtutum, Paupertatis, Castitatis, ac Obedientiæ. Ab his denique ad Angelorum intromissi estis consortia, & suavissimè modulantes Choros, ac demum in secretius conclave Regis Regum

gum inducti, quasi similia verba auribus vestris ingeminata percepistis: vultisne in posterum in domo Dei morari, ac vivere ad serviendum promptius Deo omnipotenti, ac Matri ejus, quemadmodum sive in primæ ordinationis vestræ, aut conversionis initio, sive factæ modò istius renovationis decursu proposuistis, ac promissistis? facile respondebitis: etiam atque etiam ita serviemus, quia & professionis juramenti nostri chyrographum super altare deposuimus, & nunc jurantes statuimus, in melius omnia commutare transacta.

III. Bene ac sapienter: nunc ergo unde adducti estis, reducam vos, è monte videlicet isto ad vestras domos, & cellas. Ne verò (quemadmodum vino in vase accidit, remoto operculo) vestri generosissimi spiritus citò nimis evaporent, tria vobis Documenta ex omnibus supra positis discursibus selectiora compendiosissimè inculcabo, quæ si exactè servaveritis, spondeo vobis, pro parte Dei, propediem consummatæ perfectionis & sanctitatis fructus uberimos.

I V. Aliquando sacratissima cœli
Domina, post diutinum de S. P. BE-
NEDICTI Benedictâ Archi - Religio-
Kk 5 ne

Rev. S.
 Brig. l. 3.
 6. 21.

ne cum filia sua Brigitta colloquium, sub-
 junxit hæc verba: *Nunc autem sicut de*
sacco B. BENEDICTI spirabat dulcedo
Spiritus S. per quem multa monasteria in-
novabantur, sic de sacco multorum Fra-
trum ejus, discedit Spiritus S. quia calor
cineris est, & faces jacent dispersæ, non
dantes amplius ex se calorem, neque splen-
dorem, sed fumum impuritatis, & cupi-
ditatis. Veruntamen, ad solatium multo-
rum, dedit mihi Deus tres scintillas, in
quibus intelligo plures. Prima extracta
est de crystallo, per solis calorem &c. Se-
cunda de duro silice. Tertia de ligno in-
fructuoso, quod postea crevit, & folia di-
latavit. Itaque cum talibus scintillis
RELIGIO B. BENEDICTI RENO-
VARI DEBET, *quæ modò videtur multis*
desolata, & abjecta. Hæc omnia Deipa-
ra Virgo. Quæ quidem tamen ad solos
Religiosos Benedictinos specialiter dicta
appareant, faxit tamen Dei clementia, ut
non se latius extendant, quæ sacratissima
Christi Mater conquesta est: certè Beatif-
simus Carolus de Clericali statu ita olim la-
mentabatur: O Ecclesiasticum statum!
tanta olim in veteri lege in te requireba-
tur tui custodia; & quæ isthæc tui dissi-
militudo est, ut jam sicut populus, sic &
Sacerdos appareat. Prò dolor! quomodo
obscuratum est aurum? quomodo hi Dei
 Mini.

Ministri, tam nobiles, hi Dii, quomodo facti sunt vilissimis hominibus viliores? Ergo huic communiori malo opportuna quærentes remedia eliciamus ex tribus hisce Crystallo, silice, & Ligno infructuoso trium documentorum, igneas favillas.

DOCUMENTUM I.

Scintilla ignis ex Crystallo,

Est fervor omnium operum contra perniciosissimam Tepiditatem.

Consalvus Durandus Episcopus Ferrerianus in suis notis ad prædictas revelationes: *Hoc loco, inquit, Beatissima Virgo hominem in Dei obsequio tepidum, ac frigidum crystallo comparat, quæ, cum sit gelu, & frigore concreta, non nisi ferventibus solis radiis dissolvitur, & per eam homo in sua vocatione tepidus, remissus & laxus intelligitur; qui nimirum, sicut Ephraim vitula docta trituram, omnes* Os. 10. 11.
suas functiones pro more, consuetudine, & usu segniter, tardè, levi brachio, & perfunctoriè obit, nunquam, aut rarò, seriò se excitans, torporem dissolvens, crystal- lum liquefaciens, omnesque animi nervos intendens. Quòd si ergo alicui dein, ceps similis torpor obrepet, qui quasi frigus

frigus quoddam Aquilonare mentem suam instar crystalli congelare, atque ad vetusti hominis consuetudinem sensum revocare inciperet, conferat se illicò ad Digressionem numero *Decimam* suprà positam, illâque mediante iteratò & sæpius perlecta novas iterum scintillas eliciat, cogitando illud terribile Divi Bernardi, quòd tametsi in tepido sive Ecclesiastico, sive Religioso fortasse pudor neget apostasiam corporis, T E P O R T A M E N PAULATIM INGERAT APOSTASIAM CORDIS.

S. Bern.
serm. 3. su-
per Psal. 90.
Qui habi-
tat.

DOCUMENTUM. II.

Scintilla ignis ex Silice,

*Est cura Minimorum, contra pertinacem
illorum Incuriam.*

NON secus ac multæ tenuissimæ argillæ per subtilissimas quasdam fibras concretæ, in lapidem & silicem tandem durissimum coalescunt, ita mens hominis Deo sacri minima nihil curantis, demum in apertam cordis obstinaciam quasi filex indurescit. Ita expressè factâ ad B. Franciscam Rom. revelatione hanc veritatem his verbis probante.

QUAN-

Quanto in anima cessat sollicitudo dandi gustum in quibuscunque etiam minimis Domino suo, paulatim refrigescit; & cum fit negligens in operibus piis, tandem cadit in ariditatem, & duritiem grandem, donec in perfectam insensibilitatem proruat. Tales igitur ex his filicibus cordis compunctionem excutite scintillas; quæ aptæ sint, magnum per accuratissimam MINIMORUM curam excitare in vobis fervoris ignem; cujus fomes erunt *Septima, & Octava Digressiones* quandoque resumptæ, in quibus non minùs formidolosa, quàm documentum prioris censura ex eodem Bernardo notanda est: *Dicere, Fratres mei dilectissimi, levia sunt ista, non curo corrigere, impenitentia est, blasphemia est in Spiritum Sanctum, blasphemia irremissibilis.*

DOCUMENTUM III.

Scintilla ignis ex ligno infructuoso.

*Est studium perfectionis, & assidua renovationes, contra defecti-
nem.*

Quemadmodum *Justus, ut palma ps. 91. 13.*
florebit, quæ sensim proficit, semper-
que crescens suâ in viriditate florescit,
sic

sic è contra mens hominis non assidue proficere, virère, atque in virtutibus usque ad consummatos perfectionis fructus maturescere conantis, quasi lignum vetustum, cariosum, prorsusque infructuosum est. Quod ne fiatis ad vestram excisionem, & ignem, Venerabil. Dei Sacerdotes, novas frequentissimæ recollectionis, & renovationis scintillas excutite. Vos enim elegit Deus, ut tanquam Arbores scientiæ boni, & mali in medio paradisi Hierarchici plantatæ, eatis, & proferatis omnia poma nova & vetera; collocati in loco ubertatis, in terra fœcunditatis, in monte coagulato, & pingui,

S. Carol. in Vos estis, inquit B. ms Pontifex Carolus, exhortat. ad *tanquam civitas in altissimo monte Oblat.* *sita, & omnium oculis exposita. Vos estis sal, quo cœtum fidelium in omnem atatem condiri oportet. Vos lucerna supra candelabrum inter vicinas hæreticæ pravitatis tenebras tanquam in caliginoso loco lucentes. Vos lux mundi, unde in omnes partes splendor, lumenque diffundatur. Vigeat igitur virtutum vestrarum splendor in omnia secula. Nihil unquam de honesto studio, nihil te præstanti in omni virtutis genere, contentione remittite. Absit longè (per Deum immortalem vos conjuro) absit, ut per tepidam*

dam communis vitæ conversationem quasi dicatis; sufficit, horas canonicas non omittere, rogatos Sacramenta damministrare, Missas obligationum diebus celebrare, scandalo saltem publico non esse; peccatis mortalibus conscientiam non coinquinare &c. Sacerdos enim (ut compendio dicam) debet esse Christi Alumnus, *dives in virtutibus, expeditus in actibus, assiduus in oratione, Rector, non raptor, speculator, non spiculator, dispensator, non dissipator, pius in iudicio, justus in consilio, devotus in Choro, stabilis in Ecclesia, sobrius in mensa, prudens in latitia, purus in conscientia, patiens in adversitate, sapiens in sermone, verax in predicatione* & omnium pariter virtutum complementum.

Isido. Pelu.
l. 2. cap. 2.

Glimac.
gra. 1.

Neque minus necesse est, ut Religiosus, vel Monachus sit *perpetua natura violentia, sensuum vigilantissima & indefessa custodia, castificatum corpus, expiatum os, animusq; semper divino lumine irradiatus*. Discamus itaque Fratres, nobis præesse & vitam ordinare, mores componere *nosmetipsos iudicare, apud nos ipsos accusare, saepe etiam condemnare, nec impunitos dimittere. Sedeat iudicans iustitia, stet rea, & seipsam accusans conscientia; nemo fidelius iudicabit*. Discamus, minima curare, pestem

S. Bern. ad
Frat. de
monte.

B. Laur.
Just. de
vit. pol.
c. 18.

stem tepiditatis abominari, gravitatem custodire in moribus, innocentiam servare in corde, loquacitatem taciturnitate compescere, passionum, ac sensuum immoderantias rationis imperio cohibere, fraternitatis unitatem tenere, omnes velut nos ipsos dulci dilectionis affectu complecti, nihilque amoris Dei præponere; circumspecti semper in actionibus, in loquendo providi, in corripiendo mansueti, in compassione proclives, in colloquiis placidi, in animo sereni, in adversitatibus hilares; in mandatis obedientes, fervidi in orationibus, impigri divinis in laudibus; & in corpore velut in carcere, mente, ac desiderio conversantes in cœlis:

Facientibus hæc Regna patebunt
superna, Amen.

PARÆNESIS

Ad Sacerdotes, & Clericos.

Noveritis A. RR. & Amplissimi DD. Sacerdotes, *mei in hac lucubratione instituti propositum à principio aliud non fuisse, quàm ut, satisfactorius mei in Ordinis istius Tyrocinio, vel Novitiatu disciplinæ Magistri mandato, nonnulla compilarem, quæ ad exer-*

exercitia spiritualia regulis, votis, & instituto Sanctissimi Patriarchæ BENEDICTI conformia, decem dierum spatio obunda servire possent. Caterum cum omnia in libellum redacta, multis prudentiorum doctiorumque consiliis, & instantiis inductus jam prælo commissem; advertens, omnia Tabella materiarum contenta, ac titulos, nonnihil quidem difficili, fructuoso tamen labore (mutatis mutandis) etiam Sacratissimo Ecclesiasticorum reliquorum Statui (quem nemo nescit firmamenti totius Ecclesiæ Militantis Luminare majus, Lucem, ac Solem esse tanto amplius rerum creatarum hemisphæri-um illustrantem, quò magis in se splendet) applicari posse: adjeci animum quantumvis absolutus jam penè in typo primis duobus foliis) omne deinceps thema, uti Religiosis (quod primus mea scriptio- nis scopus erat) ita & Sacerdotibus, pro singularissimo meo, atque perpetuo in eos affectu ac studio, alternatis calamis accommodandi minime tamen intendens, in sole maculas quarere, sed nebulas tantum illius radios obfuscantes, præpotentis Dei dextera auxilio dissipare: neque sugillare, aut criminari defectus, & navos: sed salubriter demonstrando (si qui sunt) errores ad corrigendum provocare.

Ut autem suavius omnia, & efficacius

LI

simul

*simul auribus vestris influerent, eâdem
 operâ perfectissimi illius Sanctimoniz Sa-
 cerdotalis prototypi, Divi scilicet Caroli
 Borromæi doctrinam, & vitam toto pe-
 nâ ut vidisti, seu videbitis, Opusculo, ma-
 ximè vero in duabus ultimis partibus in-
 troduxi, minimè dubitando, me per hoc
 devotioni, ac desideris vestris abundè
 gratificaturum. Quòd si dein in ejusdem
 libelli decursu nonnulla magis seria in-
 scripta esse comperiantur, quæ alicui indi-
 sciplinato, aut propria salutis incurio
 frontem corrugare, vel stomachum mo-
 vere possent, nihilominus memor illius
 ex ore Sapientis deprompti: Argue
 sapientem, & diligette: doce ju-
 stum, & festinabit accipere: *confidenter*
sero, vos sapientissimos viros, contra-
 tres, & Patronos meos omnia aequi
 bonique consultu-
 ros.*





REPERTORIUM
RERUM, ET NOMINUM
HUIUS OPUSCULI.

A.

Abraham sacrificaturus filium Isaac.
pag. 12.

Abstinencia castitatis munimentum.

340. S. Caroli gradatim assumpta. 343.

B. Abundus Ord. Cisterc. 423.

Actus heroici speciales virtutum.

473. 474. 498. 500. 502. 512.

Adam creatus. 33. 34. lapsus. 47.

Affectus in Meditationibus eliciendi
diversissimi. 14.

B. Alysius Gonzaga orator mulierum.

326.

Alumni mundi. Vide *Mundani*.

Amantes Deum. 460. 464. 465.

Amor affectivus. 463.

Amor animarum. Vide *Amor proximi*. *Zelus*.

Amor Christi erga animas. Vide *Christi virtutes*.

Amor Dei. 403. 457. 460. ac seqq.
482. 502.

Repertorium

Amor proximi. 467. 469. 47. ac
seqq. Excessivus in Sanctis. 499. ac seqq.
Effectus illius. Vide *Zelus*.

Angeli creati, lapsi. 32. 33. 421. 422.
429. 438. 441.

B. Angela de Fulgino. 500.

S. Anselmus obedientiæ Martyr ap-
pellatus. 371.

S. Antonius Magnus. 386. ac seqq.

S. Antonius Paduanus. 259. conjicit
se in prunas ardentis. 345.

Apostoli Thaboræi. 11.

Apostoli Benedicti Ordinis. 474.

Apostoli Gentium. *ibid.*

Applicatio potentiarum ad exerci-
tia. 12.

Arce fœderis attactus. 448.

S. Athanasius veritatis & obedientiæ
Martyr. 373.

Avari. 39.

S. Augustinus os for mulierum. 326.

E.

B. Beda junior Presbyter in aulica vi-
ta temperans. 341.

S. Benedictus in vepribus. 345.

S. Benno Episcopus & Abbas raris
silentium imponit. 299.

S. Bernardus mirabilia videt. 39. De
humilitate differit. 281. 283. Vanam glo-
riam describit. 287. Tentatus vanâ glo-
riâ 289. Humilitas ejusdem. 297. Pro-
caceam à se expellit. 322.

S. Bern-

Rerum & Nominum.

S. Bernardus Abbas Tiron, Ord. S. Benedicti insignis Reformator. 391.

S. Bonaventura satisfaciens pro alienis peccatis. 473.

M. Bonaventura Monialis Ord. S. Benedicti abhorret Exercitia. 4. ad illa facienda persuasa mirè illustratur. 5. propriâ syngraphâ se devovet Divinæ voluntati. 6. flagrat ardore sanctitatis assequendæ. 7. etiam ad inferni pœnas resignata. 493.

S. Bonifacius Episcopus Lausanens. Ord. Cisterc. videt Angelos sibi sacrificanti assistentes. 438.

S. Bonifacius Archiepisc. Mogunt. Benedict. idolorum subversor. 473.

B. Brandanus Abbas, Indiæ Apostolus. 475.

S. Brigittæ revelationes de amore Christi erga animas. 471.

C.

Canonici Regulares S. Augustini. 253.

Caro hominis corruptelæ illecebra.

339.

Caroli V. gloriæ. 56.

S. Carolus Borromæus assuetus Exercitiis. 4. Procacem à se expellit. 322. Recommendat Clericis orationem, eidem singulariter deditus. 412. Ejusdem zelus animarum. 476.

Ll 3

Ca.

Carolus Villariensis asper in victu,
275.

Castigationes, Vide *Dei attributa*.

Castitas quàm excellens & præstans
virtus, 304, 307. ejus præsidia viva ima-
ginatio præsentia Dei. 311, expulsio su-
bita primæ cogitationis inhonestæ. 313,
otii fuga. 315, 331, familiaritatis mulie-
rum, 322, 324, 331. Oratio. 333, oppro-
bria contra diabolum. 334, confessio
frequens. 335, sobrietas. 334, abstin-
tia, 340, Vide *Mortificatio corporis*,
Solicitudo circa eandem conservandam
inaliquibus Sanctis. 322, Ejus hostes,
332, domestici, 339, externi, 341, Vide
Gula.

B, Catharina Bononiensis obediens
post mortem, 364, 472, 500.

B, Catharina Genuensis, 152, 506.

S, Catharina Senensis, 472.

Celebrare, Celebrantes, Celebratio
Missæ, 438, 439, 440, 447.

B, Chagnoaldus Monachus per S, obe-
dientiam mira patrat, 362.

Charitas Dei & proximi, Vide *Amor*,

Christus, Ejus virtutes imitandæ, 3.

Paupertas, Humilitas, 277, 281, 350.

Obedientia, 397, 443, 446.

Clemens V. Papa graviter conqueri-
tur contra sacerdotes luridè persolven-
tes Horas Canonicas, 425,

Cle-

Clerus. 267. Clerici olim voto paupertatis adstricti. 253. Bonorum patrimonialium Domini. 267. Redituum Ecclesiasticorum administratores. 268. Eorum fors Deus, ibid. Avaritia & prodigalitas. 269. ambitio. 290. Habitus, 292. & seqq. Pro Religione, obedientia, veritate martyres. 373. ac seqq. Oratio eisdem singulariter commendatur. 42. & seqq.

Cognitio sui nihili. Vide *Humilitas*.

Colloquia Meditationum. 14.

Communitas Regularium perniciosè turbatur à propria voluntate. 381. Clericalium & Regularium per mutuam charitatem paradisus. 467.

Compassio erga proximum. 469. 483.

Complacentia propria. Vide *Gloria vana*.

Confessio sacramentalis frequens, 335. Ejus necessitas. 339.

Confessio propriæ vilitatis. 508.

Conformatio humanæ voluntatis cum Divina. 470. 483. Vide *Resignatio*.

S. Conradus Episcopus Constantiensis orationi intentus videt cœlestia mysteria. 413.

B. Conradus Monachus Engelbergensis obedientiæ Martyr. 372.

Consecrationis potestas. 443.

Considerationes ex Gersen de imitatione Christi. 15.

Consilia petere. 395.

Contritio. Vide *Dolor*.

Conversiones miræ 7 8. 232. & seqq.

Corporis mortificatio. Vide *Mortificatio*.

Creatio Mundi. 32. 36. Angelorum 32. Hominis. 33.

D.

Damnatio propter luxuriam. 310. Inobedientiam. 375.

Damnatio denuntiata, perseverare in bono. 461. 510. eam sponte subire velle. 500. 510. approbare, ibid.

Decalogus mundi. 45.

Descriptio malitiæ mundi. 45. 46. 47.

Desiderium sanctitatis. 7.

Desiderius Episcopus & Martyr Veritatis. 373.

Deus est hæreditas Clericorum. 268.

Dei attributa, 31. in creatione mundi. 32. 36. 48. Omnipræsentia. 311. 312.

Cultus ex Missæ sacrificio. 434. Castigationes temporales. 507. Vide *Filius*, *Amor*, *Justitia*.

Diabolus fugatur improperiis. 334.

Digressiones Exercitiorum intermixta. 14.

B. Dodo Ord. Præmonstrat. mortificationis speculum. 342. In ejus corpore impressa stigmata vulnerum Christi 343.

Dolor intensivus de offensa Dei. 500.

S. Dominicus Patriarcha mortificationis exemplum. 345. satisfaciens pro alienis peccatis. 473. Hæresum extirpator. 475.

E.

Elatio. Vide *Gloria vana*.

Elias Propheta repræsentat Prophetiam ac viam Illuminativam. 10. 246.

S. Elphegus Abbas corripit laxitatis amatores. 205.

Episcopi Zelosi martyrizati. 373. 374.

Eremita damnandus constans in Dei servitio. 461.

S. Ethelburgæ Angliæ Regiæ Ord. S. Bened. pia astutia. 42.

Eugenius Papa Ord. Cisterc. dignè celebrans cœlesti visione illustratus. 448.

S. Eusebius Abbas graviter in se puniens aspectum curiosum. 161.

Excommunicatio. Vide *Mundus*.

Excusationes palliatæ superflua appetentium. 264.

Exempla zeli animarum. 344. 345.

472. 473. fidei, gloriæ Dei & justitiæ.

473. obedientiæ perfectæ. 362. 363.

Repertorium

Deditorum orationi. 412. 413. Pfallentium post mortem. 419. 420. Devotè celebrantium. 418. Tremendæ justitiæ Dei. 505.

Exercitia spiritualia. 1. Sacerdotibus sæcularibus magis necessaria. 3. Abhorret Monialis. 4. utilissima cuivis. 4. 6. 7. 8. 9. ex S. Bernardo. Facientes. 4. 5. 7. 9. 26. Quæ facientibus observanda. 12. usque 17. Oratio prævia ad illa. 26. ac seqq.

F.

Felicitas pauperum Evangelicorum. 274.

S. Felix Nolanus Presbyter contemptor divitiarum. 274.

Fervor Sanctorum. 225. Fervoris defectus. 243. Prosecutio. 237. Perseverantia etiam in occupationibus. 238. Remissio. Vide *Tepiditas*. Renovatio. 244.

Filius Dei se offert ad Redemptionem humani generis adhuc in utero B. V. Mariæ. 49. Vide *Christus*.

Finis creationis hominis. 33. 34.

Formulæ duæ quotidianæ oblationis. 486. 491.

Formula perfectæ resignationis. 495.

Formula pacti super damnatione æterna cum Divina justitia. 504.

S. Fran-

Rerum, & Nominum.

S. Franciscus Seraphicus paupertatem deprædicat. 255. proprietarium pro filio suo non agnoscit. 259. coniectus in nives ad sedandas carnis tentationes. 345. Honorat sacerdotes præ Angelis. 441.

S. Franciscus Xaverius amoris Dei æstu fervens. 464. Religionis Apostolicus propagator. 474.

S. Franciscus Borgias mundum deserens, religionis statum unicam felicitatem affirmat. 55.

S. Franciscus Salesius Zelosus hæresum extirpator. 475.

Franciscus de Fabriano hirundinibus silentium imperat. 209.

Fuga optimum castitatis præsidium. 327.

G.

S. Gallus Abbas idolorum subversor. 473.

Gerardus, discipulus S. Bernardi, extaticus obedientiæ remunerationem æternam gloriam percipit. 370.

S. Gereon Monachus Hemmenrodensis videt Christum sub Missæ sacrificio. 438.

S. Gertrudis per sanctam intentionem Christo unitissima. 486. perfecte resignata. 493.

Gloria vana misera, stulta, puerilis, pessima. 285. 286. 287. assidua pugna
san-

Repertorium

Sanctorum cum eadem. 288. expugnanda. 289. 301.

B. Godefridus Ord. Præmonstrat. regiarum opum contemptor. 39.

Gratia Dei. 88. ac seqq. 105.

S. Gregorius Magnus vanâ gloriâ tentatus. 289. Zelosus hæresum extirpator. 475.

Gula sub necessitatis pallio. 265. castitatis hostis. 332. luxuriæ fomes. 341.

H.

S. Hermannus à fervore remittens propter occupationes, corripitur à Virgine Maria. 238.

S. Hieronymus patitur graves tentationes in aspera solitudine. 325. Tractat corpus suum ut asinum. 343.

S. Hilarion itidem. ibid.

Hominis lapsus. Vide *Adam*.

Hortatio Cleri ad ferventem zelum. 237. ad mortificationem pro conservanda castitate. 348.

Humilitas paupertas spiritûs. 277. ejusdem motiva. ibid. cordis, oris, operum. 278. Est certissima via salutis. 282. In quo consistat. ibid. & 283. Ejusdem septem gradus & actus. 283. Præstantia. 302.

Humilitas Christi summa. 299. Cur à Christo præelecta. 300.

Idola.

I.

Idola. Eorum subverfores. 473.

S. Ignatius Lojola se conjicit in aquas.

345. Zelosus pro aliena salute magis, quàm pro propria. 500.

Ina Rex Angliæ, Benedictinus, per
piam astutiam suæ conjugis conversus.

41. 42.

Incarnatio Verbi Divini, & Consecratio in Missæ sacrificio vi quinque verborum peractæ, sunt potentia infinitæ.

442. 443.

Indifferentia voluntatis humanæ ad omnia. 496. etiam ad infernum. 497. meritum hujus superat Martyrum. 498.

Ingrati. Vide *Mundani*.

Inobedientia. Ejus mala. 379.

Inobediens Religiosus vindicatur Divinitus. 92.

Intentio in unione cum Christo. 486.

Invidi. 40.

S. Joannes Chrysostomus veritatis
Martyr. 373.

Iracundi. 39.

Irreligiosi. Eorum mores. 389.

Israelitæ post transitum maris Rubri
mannâ pascuntur. 245.

Judicium proprium. Ejus pertinacia
in quo consistat. 285. Est mater vitio-
rum. ibid. Ejus actus & proprietates.

390. Mala. 395. Abnegatio. 401.

Judi-

Judicia mundi perversa in rebus spiritualibus. 387.

Iustitia Dei. Ejus & misericordiae disceptatio. 48. Vindicativa. 498. Tremenda. 504. Non est partialis. 507. Omnibus laudibus digna. 508. Ejus exempla. 505. Rigor in ipsum Filium Dei. 506. Pactum peccatoris cum hac salutare. 503. Formula talis pacti. 504. Ex puro ejus amore. 508. Recursus peccatoris ad illam. 509. Ad gustum illius, deletam peccati maculam, inferni poenas subire. 500. Eandem in inferno approbare, laudare. 511. Supplicatio pro hujus pacti confirmatione. *ibid.*

L.

Libellus de vita B. Catharinae Bononiensis dono datus. 365. Monita in illo de non fugiendis superioribus. 393.

Longanimitas Justitiae Divinae. 506.

S. Ludovici Ord. Min. vindicta in proprietarium. 259.

Luxuria turpissima. 310. Causa damnationis plurimorum. *ibid.* Horrenda in personis sacris. 311. Gravissime vindicata. *ibid.* Remedia contra eam, resistentia velox ad primam cogitationem malam &c. 313. Vide *Castitas*.

Luxuriosi, 39.

M.

S. Magnus, S. Galli discipulus obediendo miracula patrat. 363.

S. Marcianus Constantinopolitanus contemptor divitiarum 274.

B. Maria virgo cultrix paupertatis, & votorum Religionis. 336. Exemplum mortificationis. 352. Ejus sacer uterus deliciae Christi. 444. Illius amoris Dei intensio & meritum. 463.

S. Maria Magdalena de Pazzis amoris Dei æstu fervens. 465.

Martyres. Vide *Eiscopei. Sacerdotes.*

S. Maurus Ord. Benedict. obediens miraculosus. 362.

Meditationes. Vide *Tabula.*

Meretrices ex consideratione praesentiae Dei conversae 313.

Misericordia. Ejus & Justitiae Dei disceptatio. 48.

Missa. Vide *Sacrificium.*

Mortificatio corporalis necessaria. 344. Ejus discretio. 346. Exempla. 352.

Mortificationes faciles pro Religiosis. 343. Pro Clericis. 348. Sint moderatae, 349.

Moyse Zelosus pro aliena salute magis, quam pro propria. 499. Vide *Via purgativa. Visio.*

Mulier malitiosa describitur. 321. A. SS. Ber-

Ss. Bernardo & Carolo expellitur : à S. Thoma Aquinate titione fugatur. 322.

Mulieres sunt plurimorum ruina. 325.

Mulierum etiam propin quarum consortia suspecta, & devotarum periculosa. 326.

Mundus carnifex suorum amatorum. 42. Excommunicatus cum suis affectis

46. 47. Ejus ingratitude. 43. Fallacia

44. Fruitio amara. ibid. Symbolum

Bellua marina. 40. Hujus sceditate Ethelburga conjunx convertit maritum.

42.

Mundani diabolo servientes. 35. In-

grati porcis similes. 37. Perituris adhæ-

rent. ibid. Eorum insatiabilitas. 40.

Mundanarum rerum nullitas. 38.

N.

Nestero Abbas de obedientia. 386.

S. Nicetius Trevirensis Episcopus nascitur rarus ut Monachus. 418.

S. Notbertus Zelosus hæresum extirpator. 475.

S. Nothkerus Monachus S. Galli horæ Canonice oblitus. 181. Ejus factum symbolicum. 29.

O.

Obedientia victimis, & votis aliis præstantior. 355. Est meritoria ac potens. 356. 358. Omnibus creaturis com-

petit.

Rerum, & Nominum.

petit 360. Hujus arma fortissima 362.
Miracula, imò omnipotentia. ibid.
Mortuos resuscitat. 363. Eidem obe-
diunt mortui. 364. Quid doceat Re-
gulares, & Sacerdotes sæculares. 365.
366. 367. 368. Ejus præconia 369.
Est Martyrium incruentum 370. Cœli
tessera ibid. Martyrum tessera. 374. Il-
lius condiciones & gradus. 376. Motiva
& commoda. 373. 378. Sit in Regulari
mortuo similis 384. Cœca & simplex.
398. 402. Hujus qualitates 399. Ob-
servandæ media. ibid. 400. Coactæ ma-
la. 401. Hortatio ad obedientiam.
397.

Obediens sit ut asinus. 386.

Oblatio sui, & suarum actionum.
485. In unione intentionum Christi. 486.
Ejus concomitantia. ibid. 497. In unio-
ne sanguinis Christi. 489. Hujus inter-
pretativa actualis 490. Est jugis ora-
tio. 391.

Odericus Ord. S. Franc. Convent.

Religionis propagator Apostolicus. 474.

Opinionis pertinacis mala. 395.

Oratio singulare castitatis præsidium.

352. Armarium Clericorum. 412. Reli-
giosis & Clericis commendatur. ibid.

Hujus præstantia & potentia. 407. Sym-
bola & utilitas. 408. Necessitas. 409.

Virtus contra vitia. 411. Elogia. ibid.

Mm

Fasti-

Fastidium pessimum signum. 414. Huic deditissimus S. Carolus, aliique sancti Episcopi. 413.

P.

Parochus. Parochi otiosè vagantes. 317. Sanguinis Christi custodes, sic & animarum ibid. 318. Pro quibus ab ipsis gravis reddenda ratio. ibid. Zelosi persecutionibus obnoxii, sint fortes, & patientes. 368.

Parochorum officium. Vide *Sacerdotum*.

Patris æterni potestas generativa collata cum sacerdotum potestate consecrativa. 445. Ejusdem vox de Filio suo. 464.

Paulus Apost. Zelosus pro aliena salute magis, quàm propria. 499.

Pauli Monachi obedientia miraculosa. 363.

Pauli Simplicis obedientia 386. ob eam suscipitur in Monachum. 388.

Pauper. Pauperes Evangelici Deum possident. 254. Illorum gloria. ibid.

Paupertas Evangelica cur commendata Apostolis. 249. Illius commoda. ibid. Prærogativæ. 250. Condiciones in

Cleri-

Clericisi 251. In Religiosis. ibid. Elogia
ejusdem ex S. Francisco. 255.

Paupertas spiritûs in quo consistat.
Vide *Humilitas*.

Paupertas Christi corporalis extrema.
299. spiritûs. Vide *Humilitas*.

Peccata. Suorum rememoratio. 506.
Detestatio & annihilatio. 509. Venia-
lium incuria. Vide *Venialium*.

Perfectio. Ejus tres viæ, Purgativa,
Illuminativa, Unitiva. 20.

Persæ. Eorum mos cum suis Regi-
bus. 43.

Personæ Deo sacræ. Vide *Luxu-
ria*.

Petrus Gonzalez Dominicanus in
præsentia plurium ab equo excussus
convertitur. 40.

B. Petrus de Eugubio in Umbria
Ord. S. Augustini è sepulchro alios
cantantes: Te Deum laudamus, juvat.
420.

S. Petrus de Alcantara amoris Dei
est ferverens. 464.

S. Philippus Neri idem. 465.

Philosophiæ cœlestis doctrina mun-
danæ contraria circa obedientiam. 388.

S. Placidus Dissertin. obedientiæ Mar-
tyr. 372.

Proprietas quid sit. 260. Unde regu-
letur ejus gravitas. 261. Nec in mini-

Repertorium

mis est concessa. *ibid.* Regularium sacrilega. 257. Indispensabilis. 258. Illius species. 262. Pœnæ. 257. 258.

Psalmodia ab Ecclesia instituta. 415. Ejus elogia, virtutes, contenta. 416. 417. Delectatio, dignitas, fructus. 429. Lacrymas movet. 418. Nimis accelerata & interrupta confabulationibus. 424. Indevota nullum meritum habet. 426. Imò gravissimas pœnas purgatorii subibit. 427. Somnolenta reprehensa in Religiosis. 426.

Pfallere. Pfallentes. Religiosi Cistercienses occisi. 429. Sacerdotes martyrizati post mortem. 420. Iisdem se immiscent Angeli 421. Visio de hoc S. Bernardi. 422. Vices absentium suppleant. *ibid.* Imò etiam B. Virgo. *ibid.* Visio de hoc F. Abundi. 423. Docent modum pfallendi. 430. Contra luride pfallentes indignantur. 431. Hortatio ad pfallendum sapienter. 427.

R.

Reditus Ecclesiastici sunt bona pauperum. 271. Illius debita. 272. Quomodo liceat propinquis dare. 273.

Reformationes. Earum fructus. 237.

Refractarius. Vide *Inobediens*.

Reges

Reges qualem habeant potestatem. 439. Sacerdotibus sunt subiecti. 440.

Regulares. Quidam juvenis vagus ad tabernas reprehenditur. 320. Conquerentes de cibis. 265. Invectiva cœlestis contra superfluos. 263. Taxantes omnia superiorum acta, inobedientes, murmuratores, refractarii pessimi 390. 391. Illorum solatia. 263.

Resignatio perfecta in Dei voluntatem 5. 6. Qualis cuique facienda 493. Mendici usque ad infernum. 494. Talis superat Martyria. 498. In justitiam Vindicativam Dei. 498. Etiam in illius rigorem. 502. Hujus meritum infinitum 503.

S.

Sacerdotes divitiarum contemptores. 274. Luxuriosi. Vide *Luxuria*. Non sint venatores. 319. Non plebeis se immisceant. 320. Promittunt in ordinationibus obedientiam. 374. Hortatio ad illam. 375. Zelosi martyres. 374. Animarum corredemptores. 470. Fiunt alter Christus. 471. Assiduè in templo occupati. 423. Fastidientes psalmodiam, non recreationes. 424. Regiam dignitatem præcellunt. 439. Angelis etiam

Repertorium

præcellentiores. 440. 441. Sine zelo nihil sunt. 473. Eorum tituli. 316. 449. Officium. ibid. 450. Illius incuria quàm gravis. 316. Exercitia pia & occupationes. 321. 348. 349. Famulæ improbæ. 324. Symbola 450. Potestas infinita. 443. Illorum in manibus Christus. 444. Verborum potestas in omnes creaturas. 445. Eadem potestas collata cum potestate generativa Patris æterni. ibid.

Sacerdotum gloriatio de Christo præfente. 446. Puritas requisita. 447. 449. 456. Hortatio ad talem puritatem & munus suum implendum. ibid. 450.

Quidam missam celebrans, non præmissâ confessione ex incuria Divinitus punitur. 337. Alius cum malitiâ. ibid. Indignus omittat celebrare. 338. Vel præmittat confessionem. 339. Vide *Psaltere*.

Sacrificium Missæ excellens, summum. 434. Illius virtus ad delenda peccata. ibid. Efficacior victimis 435. Excellentia quatuor secundum se. 451. Aliæ ex parte offerentis Principalis. 452. Ex parte potestatis sacerdotalis in consecratione. 453. 454.

Sacrificium propriæ voluntatis. 358.

Sacrificantis paramentorum mysteria 455.

Sacrificanti in Missa accurrit SS. Trinitas.

Rerum, & Nominum.

nitatis. 437. Angeli & Christus ipse visi
assistentes. 438.

Sal. Eo cur conspergantur carnes.
346.

Salomon rerum mundanarum nullita-
tem agnovit. 38.

Samson Episcopus celebrans cœlesti
visione recreatus. 448.

Sancti rerum mundi contemptores.
280. Sibi rigidi. 348. In oratione assi-
dui. 432. Eorum victus asperitas. 266.
280. Humilitas. 302.

S. Simplicius Episcopus cum conju-
ge castus. 323.

Societatis Jesu statutum de annuis Exer-
citiis. 9.

Solatia. Vide *Regulares.*

Solitudinis Exercitiorum fructus ex
S. Bernardo. 9.

S. Stanislaus Episcopus veritatis Mar-
tyr. 373.

Status tres hominum in tribus Apo-
stolis Thaboræis repræsentati. 11.

Status Religiosi fecilitas 53. Cur
mundo incognita. 53. Eiusdem symbo-
la ex S. Scriptura. 54. Interna dulce-
do 55. 57. Media salutis 57. Puritas.
ibid. Extollitur ab Urbano II. & Grego-
rio M. Petro Cœlestino PP. 59. 60.
Vocationis beneficium ad hunc statum

& sacerdotium 62. Hujus comparatio cum Israëlitis, ac aliis. 63.

S. Stephanus Cisterc. oraturus abigit omnes alias cogitationes. 12.

P. Suarez Soc. Jesu maximi æstimat orationem. 414.

Superbi. 39.

Superfluitas. Vide *Regulares*.

Superiores oportet amare, revereri & iis obedire 360. 361. Regulares nunc multa ob mores irreligiosos subditorum connivere coguntur. 389. Consiliis utantur. 395. Talis consilii petiti bona. 396. Horum acta non taxare, monet S. Catharina Bonon. 393.

T.

Tabula Meditationum & Digressio- num in Exercitiis. 18. ac seqq.

Temporis distributio in Exercitiis 15.

Tepidi graviter perstricti à Ludovi- co Blofio. 221. Pádis assimilantur à S. Bernardo Cardinale. 227. Gravis ad- hortatio contra illos. Illorum grave animæ periculum. 227. Octo deordi- nationes. ibid. 228. Gradatim vergunt ad ruinam. ibid. Fiunt domicilium omnium

Rerum, & Nominum

omnium vitiorum. 229. Exemplum juvenis Societatem Jesu deserentis 230.

Tepiditas descripta. 221. Hæc & minimorum neglectus sunt ruina communis. 231. Remedium contra illam annua Exercitia. 232. Tepidè transacti anni non sunt computandi. 239.

Timor judicii post mortem. 134.

S. Thomas Aquinas. Vide *Mulier*.

S. Thomas Cantuar. Veritatis Martyr. 373.

Tædia in Exercitiis quomodo superanda. 17.

SS. Trinitatis consilium de hominis reparatione. 48.

U.

S. Udalricus Episcopus Veneris dormitor. 349. Orationi deditus 413. Inter psallendum visionibus illustratus, inter celebrandum cœlesti manu adjutus. 438. Vanæ gloriæ osor. 439.

S. Udalrici Presbyt. visio de tribus sacerdotibus suspensis. 120.

Velum B. Catharinæ Bonon. 365.

Venialium peccatorum Levitas falsa. 148. Incuria. 335. Evitatio. 336. Horum fœtor ex testimonio plurimum sanctorum.

Mm s

rum.

Repertorium

rum. 152. Enormitas descripta à B. Catharina Genuensi. 152. S. Theresiæ iudicium de iisdem 155. Illorum catalogus in personis sacris. 158. Illa dicere, nihil esse, est Deum arguere mendacii. 159.

Veniale peccatum non est committendum pro mille mundis salvandis. 163. S. Anselmi pro hoc rationes. 164. SS. Omnium opera non sunt condigna satisfactio pro uno peccato veniali. 165. Exigit satisfactionem infinitam. ibid. Venialia cur in sacris personis reputentur graviora. 367. Eorum gravitas ex purgatorii pœnis metienda. 168.

Via Purgativa Moyse; Illuminativa Elias, Unitiva Christus. 10. Purgativæ ingressus. 28. Symbolica ejus ostensio. 29. Aratura. 30. Hanc Moyse symbolicè emensus. ibid. Illuminativæ ingressus. 245. Unitivæ ingressus. 403.

Victus. Vide *sancti*.

Vilis æstimatio sui. Vide *Humilitas*.

S. Vincentius Ferrer. tentatus à muliere, illæsus. 324. Ejus visio de pœnis gravissimis indevote pfallentium. 427.

Virtutes plantandæ. 29.

Virtutes tres Evangelicæ in tribus Apostolis Thaboræis repræsentatæ. 11.

Visio

Rerum, & Nominum.

Visio Moyſis de Rubo. 1. Exercitiorum figura. *ibid.*

Visio S. Bernardi de Mundanis. 39.

Viſitatio ſanctiſſimi in Exercitiis. 16.

Viſitationum Clericalium & Regularium fructus. 237.

Vita tepida non eſt vita. 239. Illius damna. 240. 241. Deo ſumme odioſa. 242.

Vitia eradicanda. 29.

Unio viatoris cum Deo in quo conſtat. 484. Ejus prærequiſita. 485.

Voluntas propria vocatur infernus. 380. Quæ dicatur propria. *ibid.* Quot malorum cauſa. *ibid.* Fomes inferni. 381. Injuſta Deo, ac pernicioſa communitati. *ibid.* Hujus amatores peſſimi. 382. Sibi nocivi. *ibid.* Votifragi & prædones. 383. Illius abnegatio. 402.

Voluntas ſua Chriſto reſignanda. 493. Omnium voluntatum creatarum conformatio. 496.

Voluntas ſe cœlo privandi pro alio irrationalis. 499.

W.

Walterus Abbas Villarienſis per 10. annorum ſpatium nullum voluntarium commiſit peccatum veniale. 166.

Zelato

Z.

Zelatores pro avertendis peccatis. 473.

Pro gloria Dei. ibid. 474.

Zelus indiscretus superiorum Ecclesiasticorum nocivus 394. Sit charitativus. 345.

Zelus animarum in quibusdam sanctis foeminis excessivus 472. Hujus exemplum in Christo etiam pro damnatis mori iterum parato ex revelationibus S. Brigittæ 471. Hortatio ad hunc. 477.

S. Zosimas tentatus à vana gloria. 288.

FINIS.



Copertus Carnobrodensis Ep.

Cond. P. 5

